BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
20 MG
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III 14. a.

EX LIBRIS B. M.
C. JOS. M.ª LAIS EP. HIPPON.



nº 63

24.5.13.

III. III
20 20
A A

13-22-A 17

2

APOLOGIA

PRO

JOANNE GERSONIO

Pro suprema Ecclesiæ & Concilii generalis Auctoritate; atque independentia Regiæ Potestatis ab alio quam à solo Deo:

Adversus Scholæ Parisiensis, & ejusdem Doctoris Christianissimi obtrectatores.

PER

E. R. D. T. P.

Ecclesia est Politia monarchica ad finem supernaturalem instituta, regimine Aristocratico omnium optimo & naturæ convenientissimo temperata ab summo animarum Pastore Domino nostro Jesu Christo.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud PAULUM MORIAEN.

Aº MDC LXXVI.

Veritas Domini manet in æternum, & liberabit nos, Pſal. CXVI. & Joannis VIII.

Deus diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent, Pſal. LII.

Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet: & educet quaſi Lumen juſtitiam tuam & judicium tuum tanquam meridiem, Pſal. XXXVI.

Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos, Eccleſiaſtici IV.

Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris, Eccleſiaſtici XIII.

In hoc Libro contenta

1. *Admonitio ad Lectorem.*
2. *Præfatio causam scribendæ hujus Apologiæ exponens.*
3. *Apologia pro* Joanne Gersonio *in quatuor partes divisa.*
4. *Prima Pars Apologiæ, continet duodecim Axiomata.* Pag. 1
5. *Secunda Pars Apologiæ, continet septemdecim Axiomata.* 53
6. *Tertia Pars Apologiæ, continet septem Axiomata.* 153
7. *Quarta Pars Apologiæ, continet tria Axiomata & Epilogum.* 207
8. *Analysis Tractatus* Gersonii *de Vita Spirituali Animæ.* 265
9. *Vita* Joannis Gersonii *ex ejusdem Operibus collecta.* 293
10. Joannes Charlierus de Gerson *in tumulo glorioſus.* 321

INDEX
AXIOMATUM

Primæ Partis.

Axioma	Primum,	*Pag.*	1
— —	II.	*p.*	2
— —	III.	*p.*	4
— —	IV.	*p.*	7
— —	V.	*p.*	11
— —	VI.	*p.*	14
Obſervationes in III. IV. V. & VI. Axiomata		*p.*	16
Axioma	VII.	*p.*	28
— —	VIII.	*p.*	29
Obſervationes in VII. & VIII. Axiomata		*p.*	30
Axioma	IX.	*p.*	38
— —	X.	*p.*	42
— —	XI.	*p.*	44
— —	XII.	*p.*	49

Secundæ Partis.

Axioma	XIII.	*p.*	53
— —	XIV.	*p.*	54
— —	XV.	*p.*	70
— —	XVI.	*p.*	79
— —	XVII.	*p.*	87
— —	XVIII.	*p.*	99
— —	XIX.	*p.*	106
Axioma	XX.	*p.*	107
— —	XXI.	*p.*	113
— —	XXII.	*p.*	116
— —	XXIII.	*p.*	119
——	XXIV.	*p.*	124
——	XXV.	*p.*	126
——	XXVI.	*p.*	128
——	XXVII.	*p.*	132
——	XXVIII.	*p.*	133
——	XXIX.	*p.*	134

Tertiæ Partis.

Axioma	XXX.	*p.*	153
——	XXXI.	*p.*	170
——	XXXII.	*p.*	172
——	XXXIII.	*p.*	173
——	XXXIV.	*p.*	175
——	XXXV.	*p.*	178
——	XXXVI.	*p.*	185

Quartæ Partis.

Axioma	XXXVII.	*p.*	207
——	XXXVIII.	*p.*	209
——	XXXIX.	*p.*	229
Epilogus		*p.*	253

ADMONITIO AD LECTOREM.

Cum anno M DC V. *Societas Typographica Parisiensis opera* Joannis Gersonii *Ecclesiæ Parisiensis Cancellarii excudere incepisset, atque anno* M DC VI. *ineunte Opus integrum pene absolutum esset: nescio quo deplorando casu quædam emersit controversia inter S S. D. nostrum Paulum* V. *& Rempublicam Venetam: idque incentivo fuit doctissimo Theologo M. Paulo Sarpio Veneto ordinis Servitarum, ut contra Censuras Pauli* V. *duos Tractatus Gersonii circa materiam Excommunicationum & Irregularitatum evulgaret in Italia. Quibus Tractatibus D. Cardinalis Bellarminus lingua sua vulgari statim respondit, & Scholæ Parisiensis doctrinam de Concilii auctoritate supra Papam cum memoria piissimi Gersonii immane quantum laceravit. Tum Illustrissimus D. Barberinus S S. Apostolicæ in Francia Nuncius, provinciam dedit M. Andreæ Vallio Doctori Sorbonico explorandi, an aliqui Doctores Facultatis Theologiæ Parisiensis adversus Venetos simulatione Cardinalis Bellarmini scribere vellent: atque insuper à D. Brulartio Franciæ Cancellario impetravit, ne toto anno* M DC VI. *opera Gersonii venum exponeretur à Bibliopolis. Quæ cum eò tendere viderem, ut doctrina Majorum de Concilii & Ecclesiæ auctoritate supra Papam, magna cum Doctoris Christianissimi, & Scho-*

læ Sorbonicæ injuria opprimeretur : tum memet collegi, hancque Apologiam lucubravi : cumque animi penderem, eam necne typis efformandam curarem : idem M. Andreas Vallius collega meus Sorbonicus iniquo ferens animo Gerſonium, Alliacenum, Almainum, & Joannem Majorem Doctores Scholæ Pariſienſis, qui de immediata Eccleſiæ, & Concilii auctoritate ſcripſerunt, miſſos in lucem Richerii *procuratione, quandoquidem literas quas ad me ſcripſit in eam rem teſtes aſſervo, D. Nuncium Apoſtolicum* Barberinum *in ipſa Sorbonæ vicinia habitantem adiit, eique ut me à ſcribendo abſterreret, facile perſuaſit. Imo etiam* Vallius *ſeſe monitorum D.* Barberini, *qui nuper Cardinalis erat renunciatus, Internuncium ultro ad me oggerit : quare mihi ſubinde denunciatum accurrit, ut S S. Apoſtolicæ Nuncium convenirem, ac rumores de me ſparſos ob Cancellarii Pariſienſis defenſionem ſedarem, & D. Cardinali* Barberino *facerem ſatis. Tum quidem feſta exultatio propter baptiſmalem pompam D. Delphini Franciæ primogeniti maxime fervebat, quam aliqua triſtitiæ ſignificatione obſcurare mihi ſumma erat religio. Quocirca illuſtriſſimum* Barberinum *è veſtigio inviſi, eique perſuaſi quæcumque de mea pro* Gerſonio *Apologia adverſus Cardinalem* Bellarminum *percrebuerant, à nonnullorum opinione manaſſe, qui me doctrinæ & placitis Majorum, ut Scholæ Sorbonicæ alumnum decebat, addictum noverant : eamque ob rem me pro Chriſtianiſſimo doctore aliquid meditari proclive animum inducebant. Cauſam habes, Lector, cur hæc Apologia anno* M DC VI *edita non fuerit. Sed cum tota urbe pervagata eſſent quæ cum illuſtriſſimo* Barberino *egeram,* Nicolaus Faber *vir doctiſſimus, & mihi amiciſſimus, qui poſtea* Ludovici XIII. *Regis Chriſtianiſſimi præceptor extitit, me adiit, atque obnixe rogavit, ut ſibi memoratæ Apologiæ copiam facerem, idque à me impetravit, & exemplum neſcio quibus me inconſulto communicavit, quod initio anni* M DC VII *typis expreſſum eſt in Italia : ſed mendis ac erro-*

ribus

ribus ita exundans, ut quamprimum illud mihi videre contigit, me valde piguerit hanc Apologiam lucubraſſe. Demum poſt Henrici Magni *deteſtabile parricidium, ejuſque ſanguine adhuc calente, cum tota Gallia juſtiſſimo mœrore conficeretur, & Syndicus eſſem facultatis Theologicæ, ubi animadverti Cardinalem* Bellarminum *occaſionem captaſſe ſuum evulgandi Librum* de Poteſtate Papæ in rebus temporalibus, adverſus Barclaium, *ex Regis Franciæ interitu, eoque libro non obſcure deteſtandum* Ravaillaci *facinus propugnari: atque inſuper ejuſmodi quæſtiones cum magno Scholæ Sorbonicæ, totiuſque Galliæ afflictiſſimæ dolore & opprobrio aſſertas in Capitulo generali Dominicanorum anno* M DC XI; *Certe pro meo in veritatem amore, ac patriam communem omnium parentem obſequio, & Regni, ac infirmæ ætatis* Ludovici XIII. *commiſeratione, hanc Apologiam de integro ſub incude verſandam, & qualem nunc vides elucubrandam eſſe cenſui. Sed cum eodem tempore vir ampliſſimus* Nicolaus Verdunus *ſummam principiorum doctrinæ Majorum Scholæ Pariſienſis à me exegiſſet,* Libellum de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate *verbum de verbo quaſi ſurculum quendam ex hac collegi Apologiâ: deinde poſt ejuſdem libelli evulgationem, Cenſuraſque, & convitia in meum caput anno* M DC XII. *certatim effuſa, mihi neceſſe fuit varia Opuſcula pro ejuſdem libelli defenſione commentari: necnon eadem plane principia, & argumenta ſæpius iterare, & nonnunquam uno in libro latius aut ſtrictiùs quàm in alio tractare. Enimverò, ſicut Geneſis* 32. *dum Jacob ſibi à violentiſſimo fratris Eſau ingenio magnopere timeret, familiam ſuam in varias turmas diſtribuit,* ut ſi forte Eſau unam percuteret, aliæ ſalvæ manerent: *Ita cum ego ſemper in magno metu lucubrarim, & mihi nunquam integrum fuerit aliquid in lucem edere, varia quidem opera eadem de re ſcribere coactus ſum: quo forte ſi injuria ſeculi aliqua mearum lucubrationum periclitaretur, cæteræ integræ*

& incolumes ad posteros enatarent. Profectò qui me hostili animo infectati sunt, cum frequenter simulassent se percupere, ut quæ in Libello de Ecclesiastica & Politica potestate, brevius dicta, & asperiora esse dicebant, aliqua benigniore, & ampliore interpretatione mollirem: anno M. DC. XX. *Demonstrationem libelli de Ecclesiastica & Politica potestate ex profusiore Opere excerpsi; quantumque in me situm fuit, eo quidem animo, & proposito mitigavi, atque adornavi, partim ut illorum desiderio obsecundarem, partim etiam ut ægrorum hominum mentes, qui ad ipsius Veritatis, tanquam rigidioris, & severioris dominæ conspectum caligant, sensim ac pedetentim ad orthodoxam doctrinam justi regiminis Ecclesiæ imbibendam, hujus Demonstrationis evulgatione disponerem. Verum illi ipsi qui hoc unum à me desiderari prædicabant, quamprimum me paratum viderunt ad explicationem Libelli mei edendam, mutato derepente proposito, vi majore factâ, meme ad palinodiam adigere voluerunt: eamque ob rem Libelli de Ecclesiastica & Politica Potestate Demonstrationem; sicut & omnes alias meas Lucubrationes, tenebris consepelire coactus sum. Habes Lector, meum institutum de variis meis scriptionibus super uno & eodem argumento, quod velim æqui bonique consulas, nec putidæ Tautologiæ, aut judicii orbitati, sed temporum meorum gravitati adscribas: quæ nunquam passa sunt, ut quæ de avita scholæ Parisiensis doctrina magnis vigiliis, & diuturnis laboribus collegeram, ea simul & semel unico Opere justo comprehenderem, ac me superstite publici juris facerem.*

De hac verò Apologia ut privatim dicam, in ea tanquam in Testamento condendo, & recognoscendo plus operæ & vigiliarum, quàm in omnibus aliis Lucubrationibus meis impendi: idque partim ut eorum ingenio obsecundarem, qui tædium magni & profusi Operis legendi perferre nequeunt, partim ut fires postularet, omnes aliæ meæ Lucubrationes ad normam horum XXXIX. *Axiomatum conferantur, atque*

que emendentur. Quicumque autem amans fuerit genuinæ, ac juſtæ Poteſtatis, & Libertatis Eccleſiaſticæ, atque Apoſtolicæ diſciplinæ, necnon auctoritatis politicæ cognoſcendæ, neque iniquis partium & factionum divortiis aut anticipatis Curiæ Romanæ opinionibus, & præjudiciis ſeſe ambitioſè vel ſcrupuloſè manciparit, nunquam illum ſemel atque iterum hanc perlegiſſe Apologiam pœnitebit. Quandoquidem eſt velut ſumma & breviarium Miniſterii Eccleſiaſtici, atque imperii Politici : *Cujus ductu cuique erudito & pio viro pronum erit ea dignoſcere, quæ Jure Divino, & Naturali Eccleſiaſticæ Poteſtati, & SS. Apoſtolicæ propria ſunt, eaque ab illis ſecernere quæ ſolo Jure humano conveniunt. Hinc quoque patebit, illos magno in errore verſari, qui Zelo imprudenti excæcati has propoſitiones inter ſe pugnare autumant: ſcilicet* Deum ſuper omnia amare, & communem parentem Patriam ſecundo habere loco poſt Deum: item bonum eſſe Catholicum & bonum civem. *Ex quo pariter inſurgit, illos quos vulgari lingua* bonos Francos *nominant, modo fidem atque unitatem Catholicam cum Romana Eccleſia retineant, non egregie inſtructos eſſe ad inſaniam, ut quidam dominus Cardinalis intemperanter convitiatur: quaſi* Gratia *Naturæ & Gentium Jura deſtrueret, non perficeret: & quiſquam eſſe poſſet ſolide, & vere Catholicus, qui reſpective & proportionatim proximum, & patriam* quæ omnes omnium caritates complectitur, *non adamaret. Certe, harum rerum perfecta cognitio, magnum quidem, & in Theologia, & in Vitæ civilis commercio facit operæ pretium ad fines utriuſque Poteſtatis optime figendos, &* ſolidam ac firmam Pacem inter Regnum, & Sacerdotium conſtituendam, *adverſus illos, qui, ut ait Joannes de Pariſiis,* errorem Herodis ſequuntur, *quaſi Chriſtus* qui Regna dat cæleſtia, veniſſet ereptum mortalia. *Quocirca hæc abſque ſummo flagitio, tum à Theologis, tum à viris Politicis ignorari nequeunt: quando illorum maxime intereſt accurate utriuſque Poteſtatis terminos ac limites tenere, &*

comi-

comiter regere, ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo non gravate, aut meticuloſe reddantur. Quod fit hodie à permultis timore trepidantibus ubi nullus eſt timor, Pſ. 13. *Inſuper, ſi nos Deus Optim. Maxim. adſpirare dignetur, ut aliquando libera Concilia pro Eccleſiæ emendatione inſtitui valeant: iſthinc forſitan velut ex quodam ſalutari narthecio, aliquam moribus noſtris corruptiſſimis, & farciendo Schiſmati medicinam promere expeditum erit. Quod ſi peccatorum noſtrorum ſcabies inveterata ſalutarem medicinam Conciliorum averterit, nihilominus Apologia hæc magno ſemper uſui eſſe poterit dignoſcendis, & vitandis corruptelis, & ſuperſtitionibus ſeculi, quæ in dies ſingulos ingraveſcunt, ac genuinam pietatem, & religionem Catholicam peſſumdant*, omnibus quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti quærentibus. *Porrò, quæ hic per compendium expoſuimus, aliis libris ampliſſime tractavimus, ac teſtimoniis Conciliorum, Patrum, & Doctorum Catholicorum, necnon lumine præxeos omnium ſeculorum poſt ſalutem humani generis reparatam confirmavimus. Sequitur autem Præfatio quæ cauſam hujus ſcribendæ Apologiæ, & ſummam totius rei qua de agitur, referabit.*



Præ-

Præfatio cauſam ſcribendæ hujus Apologiæ, ſummamque rei controverſæ, & diviſionem Operis in quatuor partes exponens.

Lector Benevole, aliquot abhinc menſibus, Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, librum compoſuit, qui primum Romæ lingua vulgari, deinde converſus in Linguam Latinam editus eſt Moguntiæ contra libellum inſcriptum *Joannis Gerſonis Theologi, & Cancellarii Pariſienſis cognomento Doctoris Chriſtianiſſimi, de Excommunicationis valore Opuſcula duo*. Qua in Lucubratione Doctiſſimus Cardinalis adverſus Doctorem Chriſtianiſſimum ea profert, quæ animus Chriſtianus de homine nefario referre horret: utque in pauca illius convitia contrahamus, Gerſonii Doctrinam, *temerariam, S S. Apoſtolicæ injurioſiſſimam, omnino erroneam, ſchiſmaticam, & Hæreticorum noſtri temporis hæreſi proximam eſſe* criminatur. Quare ſi huic famoſo libello fides, nihil jam aliud ſupereſt, quam in media urbe pyram accendere, atque Viri Piiſſimi, & Sanctiſſimi cineres ex portu atque aſylo ſepulchri; unà cum omnibus illius libris unco impacto ad rogum, ut publice uſtulentur abſtrahere: aut ſaltem populum Chriſtianum omni uſu & lectione illorum interdicere. Quid tum *Adriano* VI. Papæ integerrimo, & ſanctiſſimo, quid præterea Doctiſſimis Cardinalibus Cameracenſi, Florentino, Cuſano, quid Toſtato Abulenſi Epiſcopo, Jacobo Almaino, Joanni Majori, & Alphonſo Caſtrenſi eveniet? Quid denique toti Scholæ Pariſienſi, & Eccleſiæ Gallicanæ, quæ in hunc diem *Gerſonii* Doctrinam Canonibus Synodi Conſtantienſis conſecratam pro Catholica atque Orthodoxa ſemper imbibit, & propagavit? Et ut recentiores omittamus, quotuſquiſque Patrum antiquorum non aſſeruit Claves prius, atque im-

immediatius unitati quam uni datas esse? conformiter ad Philosophorum Axioma, *qui generationem prius in totum suppositum quam in partem suppositi intendere affirmant?* Certe pars omnis formaliter & actu sumpta, respectum atque ordinem essentialiter includit ad Totum quod constituit: & separatim à Toto, nequaquam partis notionem nisi æquivoce meretur. An Illustrissimis Cardinalibus Cajetano, & Bellarmino Gersonium schismatis, ac hæreseos insimulare licebit: & Jacobo Almaino, Joanni Majori, Magistro Paulo Veneto, aut nobis ipsis doctrinam Gersonii propugnare integrum non erit? Quis nobis Jura tam æqualia dividit? non certe Lex Divina, Naturalis, aut Canonica, quæ omnibus moderationem inculpatæ tutelæ neminemque indicta causa damnari permittunt?

Fore autem credebant Adversarii, ubi nomen & famam Parisiensis Cancellarii tam horrendis inussissent stigmatibus, ut ad justissimam illius defensionem nemo aggredi auderet, quin è vestigio in schismatis, atque hæreseos suspicionem apud imperitam plebem, & Historiæ Ecclesiasticæ, imo & Theologiæ ignaros incurreret: quod genus hominum rumusculis artificiose concinnatis, & per homines conductitios certatim disseminatis præoccupari, ac percelli experimur. At vero, Deus optimus maximus qui Veritatem sic in injustitia nunquam detineri patitur, ut non statim ipsa adversum renitentes emergat, atque exultet; Ecclesiæ & Conciliorum Generalium auctoritatem hoc fidei articulo subnixam, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*, minime ita subrui patietur, quin invitis hominum molitionibus de adversariis suis magnifice triumphet. Quocirca nobis tacentibus, saxa ipsa & lapides potius in clamorem erumpent, ut aliquod perenne monimentum erigant, quod die illa formidabili Domini, qua Libri Conscientiæ aperientur, inter nos atque illos, qui notissimam & Catholicam veritatem schismatis, atque hæreseos damnare non horrent, testificabitur, & judicabit.

Porro totius controversiæ cardo in eo vertitur, quod Doctor Christianissimus pro certissimo, atque invictissimo placitorum Scholæ Parisiensis firmamento unà cum B. Augustino statuat,

Chri-

Chriſtum immediate ac per ſeſe claves toti Eccleſiæ collectim *ſumptæ dediſſe, ut per unum exerceretur:* conſequenterque, S. Petrum & alios Prælatos *diſtributim* & *ſeparatim* captos, claves tantummodo poſſidere *inſtrumentaliter*, & *miniſterialiter*, quatenus Eccleſiam repræſentant, ad quam primario & quoad dominium claves pertinent. Quo ex principio hæc quatuor conſectaria *directe*, *evidenter*, & *neceſſario* colliguntur.

Primo infallibilem decernendi facultatem, ſive poteſtatem architectonicen clavium penes univerſalem Eccleſiam, aut Generale Concilium Eccleſiam repræſentans, minime verò penes unum & ſolum Papam habitare: *qui cum ex hominibus aſſumatur, circumdatus eſt infirmitate*, Hebr. 5. ac proinde fallere & falli poteſt: quocirca infallibili norma qua dirigatur neceſſario indiget.

Secundo, Concilii Generalis auctoritatem ſic eminere ſupra Papam, ut Canones pro univerſali moderatione Eccleſiæ condat, quos Pontifex exequutioni erga particulares Eccleſias mandare: necnon etiam de illis eo in caſu diſpenſare debet, quo ipſummet Concilium ſi congregatum eſſet pro communi Eccleſiæ, non privatorum bono diſpenſaret. Enimvero *ſummi Pontifices, & Epiſcopi diſtributim capti, ſunt miniſtri & cuſtodes Canonum*, teſte Gratiano in procœmio diſtinctionis 20. verſu, *Decretis ergo.*

Tertio ſtatum aut principatum Eccleſiæ ab ejuſdem regimine diſtingui: quoniam ſtatus aut principatus Monarchicus eſt; regimen vero Ariſtocraticum: idque Dominus ita eſſe voluit, ut omnes Epiſcopi, atque ipſemet Papa magis eſſent ſoliciti de Eccleſia frequentius conſulenda, & cogenda in Concilium ad ineundam Communionem Sanctorum Univerſalis Eccleſiæ: Ita ut in rebus magni momenti nihil quicquam motu, aut ſpiritu privato decernerent, quod Eccleſiam inconſultam, invitam aut diſſentientem obligare quiret: quo enim Eccleſiæ ratio, & communis utilitas ducit, illuc ſemper collimandum, & remis ac velis properandum.

Quarto frequentem Conciliorum celebrationem, Eccleſiæ melius & ſanctius gubernandæ abſolute & ſimpliciter eſſe neceſſa-

 riam:

riam: *quod enim omnes tangit, ab omnibus debet comprobari.* Deinde communio Sanctorum, quæ finis est regiminis Ecclesiæ, neque absolute imperatur, neque Monarchice cogitur: sed per frequentiam actuum Hierarchicorum libere & suaviter stabilitur. Quare in voluminibus Conciliorum passim has observabis formulas: *præter canonem, absque canone, contra canones, vel ex canone aliquid agere:* quibus quidem liquet, Ecclesias Canone, non absoluta potestate regi oportere: & quondam in regenda Ecclesia, nihil absque Concilio & Aristocratica moderatione fuisse definitum: quam pariter ob causam omnes Theologi docent, Bullas, Decretales, & Leges Pontificias minime Ecclesiam obligare, nisi Pontifex Ecclesiæ consensu leges ejusmodi sciscat, & in mores mittat. Ex quo manifestum redditur, consensum esse formalem causam obligandi: quoniam Papa non despotice aut absolute imperat more Principum Politicorum, qui ad imperata sua mandanda exsequutioni gladio armantur.

Contra autem Cardinalis *Bellarminus* obnititur: puta summam auctoritatis Ecclesiasticæ uni & soli Petro creditam à Domino: ut eam dehinc, ejusque successores quibuscumque & quantum videretur communicarent: quemadmodum Franciæ Rex, verbi causa, Proreges, Legatos, aliosque Magistratus per cunctas Regni provincias constituit. Præcipuum verò *Bellarmini* fundamentum est, *Quod Christus sit Rex constitutus à Patre super Sion montem sanctum ejus, & regnaturus sit in domo Jacob in æternum*, Ps. 2. & Lucæ 1. atque B. Petrum sibi in generalem Vicarium elegerit, ut Ecclesiam Monarchice visibiliter regeret, quemadmodum Christus dum esset in terris, eam gubernabat. Quo ex fundamento Sophistico à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, hæc inferuntur placita.

Primo infallibilem & absolutam auctoritatem decernendi, penes unum & solum Papam successorem Petri residere: ac in ratione regiminis Ecclesiæ eandem prorsus esse rationem scitorum Papæ, & Christi: id est Oeconomi atque Domini, ministerialis & capitis essentialis, Metaphorici atque naturalis & absolute necessarii fundamenti Ecclesiæ. Lege XIV. XV. & XXX. Axiomata.

Se-

Secundo totam Conciliorum auctoritatem non à communi & Catholico Ecclesiarum consensu, sed ab unius Papæ sententia & voluntate pendere : propterea que Papam ex animi sui arbitrio de canonibus Synodorum Generalium dispensare ; imo etiam totum Jus Canonicum abrogare, & novum condere posse. Ex quo relinquitur, frustra, & supervacue cogi aut haberi Concilia : atque Episcopos esse duntaxat Papæ Consiliarios, non legitimos ac necessarios judices Controversiarum, & Ecclesiæ principes.

Tertio statum & regimen Ecclesiæ esse prorsus Monarchicum, minime verò Aristocratica moderatione temperatum, ut Synodo Constantiensi decernitur.

Quarto frequentationem Synodorum nullo modo esse necessariam, nisi forte ad bene esse, quo leges à Papa suavius ferantur, & recipiantur ab Ecclesia. Quam controversiam olim eadem Methodo atque iisdem plane argumentis, sed non ita contumelioſe adversus Parisiensem Cancellarium, & scholam Sorbonicam, Cardinales de Turrecremata, & Cajetanus ante Bellarminum agitarunt.

Quinto idem Bellarminus urget Tractatus Parisiensis Cancellarii à Magistro Paulo Veneto editos, & cæteras ejusdem Gersonii Lucubrationes *de Concilii auctoritate supra Papam*, non dogmatice ad regulam principiorum Theologiæ, sed œconomice, & ratione temporis quo schismata Ecclesiam populabantur, scripta fuisse : quia cum Gersonius cæterique auctores illius seculi cernerent schismata Antipaparum alia via sarciri non posse quam efferendo Concilium supra Papam, omnem conatum, & dianœam suam impenderunt, inquit Bellarminus, ut Ecclesiam & Concilium supra Papam exaltarent. Ex quo ille init sententiam Gersonii quamvis piissimi & doctissimi, tamen erroris atque Schismatis suspectam : neque id cuiquam mirum videri debere, cum S. Cyprianus tantus vir & Martyr, errore Anabaptistarum contaminatus fuerit.

At si verum amamus, causa Gersonii & Cypriani longo dissident intervallo : quia hujus opinio totius Ecclesiæ Catholicæ

conſenſione damnata eſt: Gerſonii verò & ſcholæ Pariſienſis Doctrina Jure Divino, Naturali, & conſtantiſſima praxi octo primorum Conciliorum Generalium conſecratur: deinde eſt in integrum à Patribus Synodi Conſtantienſis, quaſi jure poſtliminii reſtituta: neque ab ullis aliis quam ab ignaris aut Curiæ Romanæ aſſeclis convellitur: qui quidem ſua privata commoda ex Eccleſiæ incommodis, & ruina mirifice ambiunt, & architectantur. Præterea, ut de aliis operibus Cancellarii ſileamus, ejus invictiſſima principia hac explicabuntur Apologia, & Bellarmini argutiis opponentur. Certe duo Opuſcula *de Cenſurarum valore*, à Magiſtro Paulo Veneto edita, aliquanto poſt Conſtantienſe Concilium Schiſmatibus extinctis, eo potiſſimum tempore lucubrata ſunt à Gerſonio, quo Martinus v. pro vero atque indubitato Pontifice ab omnibus Chriſtianis Nationibus & Principibus Italiæ, Galliarum, Germaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Flandriæ, Angliæ, Scotiæ, Navarræ, Portugalliæ, & Hiſpaniarum colebatur: ſolo Arragoniæ regulo excepto, qui Petrum de Luna Arragonia oriundum propugnabat, & profugum exceperat. Quæ conſtantiſſima Chriſtianorum Principum erga Martinum obſervantia, hunc excivit, ut Conſtitutionem de non provocando à Papa ad Concilium Univerſale ederet; atque legatos ſuos in Gallias tum bellis Anglorum vehementer laceras & proſtratas, mitteret, quo Jus commune, & Sacras Electiones, quæ tum à Majoribus noſtris ſervabantur, antiquaret. Hocque ut primum Gerſonius animadvertit, quaſi Spiritu prophetico ea præſagiret quæ hujus ævi infeliciſſimi adulatores pro abſoluta Papæ Monarchia contra Synodi Conſtantienſis decreta comminiſci debebant, huic peſti alexipharmacum condire volens, primum Martini v. Conſtitutionem de non provocando à Papa ad Concilium univerſale, analytice examinavit, atque non modo Piſani, & Conſtantienſis Synodi acta, cum ipſius Martini electione, verumetiam Legem divinam & naturalem funditus diruere probavit, Tractatu *Quo modo, & an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare:* poſtea dialogum Apologeticum pro geſtis Synodi Conſtantienſis lucubravit: tertio diſcuſſionem hujus aſſer-

tionis,

tionis, *Sententia paſtoris etiam injuſta eſt timenda & tenenda:* quarto Tractatum inſcriptum *Reſolutio circa materiam Excommunicatorum, & irregularitatum:* quinto libellum *de examinatione doctrinarum:* Quibus omnibus opuſculis, Synodi Conſtantienſis inviolabilem auctoritatem poſteritati præſtat. Quas lucubrationes, valde dolendum huc atque illuc per Cancellarii opera diſgregatas, non in unum faſciculum coacervatas eſſe: maxime verò quod paulò poſt Synodi Conſtantienſis diſſolutionem ad ejuſdem Acta adverſum Curiæ Romanæ artes obvallanda, ſcriptæ & vulgatæ fuerint.

Cum ergo à S. Bernardi temporibus, Eccleſia Catholica nullum magis pium, fortem, candidum, & diſciplinæ veteris, ac Hierarchici ordinis prudentem aſſertorem habuerit Gerſonio: idque ei ſanctum & mirabile Doctoris Chriſtianiſſimi agnomen inter exteras nationes compararit: atque Antonius Poſſevinus Theologus Societatis Jeſu, in ſuo apparatu ſacro, quod permaximi eſt ad præſentem controverſiam momenti, teſtetur *Doctiſſimum & piiſſimum Cancellarium Pariſienſem cum animam efflaret, omnes viſum divini amoris affectus hauſiſſe à Domino, & eructaſſe: hancque divinam vocem in extrema vitæ periodo* fortis eſt ut mors dilectio *ſæpius iteraſſe.* Procul dubio ex divina Apoſtoli monitione Hebr. 13. *Intuentes in exitum converſationis Gerſonii, qui nobis loquutus eſt verbum Dei*, neminem Theologorum, & Catholicorum tanti viri fidem, ac ſalutarem doctrinam, forti & conſtanti animo imitari, palamque profiteri pudere debet: cum præſertim Schiſmatibus exciſis Teſtamento ſuo eam ſollicite admodum, & nominatim commendarit, utque poſteris fidelirer ac diligenter aſſervaretur, & communicaretur, à Patribus Cæleſtinis Avinionenſibus, apud quos eam depoſuerat, etiam atque etiam flagitarit, & caverit: tantum ergo abeſt ut directe aut indirecte retractandam vel ſolo tempore Schiſmatis uſui eſſe poſſe cenſuerit, ſicut fabulantur Adverſarii.

Sexto dum Bellarminus prædicat doctrinam de Papæ auctoritate ſupra Concilium hodie in omnibus Theologiæ Catholicæ Scholis, puta in Italia, Hiſpania, Flandria, Germania, Polo-

nia, atque in ipſamet Francia edoceri: vel nomine Scholarum Theologiæ Catholicæ ſola Jeſuitarum Collegia, quæ omnes Academias Europæ ferme abſorpſerunt, vel una facultatem Pariſienſem deſignat: Si primum, vera quidem narrat, quoniam experientia comperimus, Jeſuitas hoc potiſſimum habere in votis, ut antiqua Sorbonæ placita obliterent, ſuaque domeſtica in illorum locum ſubſtituant, quo ſui ſodalitii privilegia, & immunitates contra Jus commune in perniciem omnium Ordinariorum à Curia Romana extortas, pro Catholicis dogmatibus, ſi Deo placet, venditent, & quæcumque animo ſuo lubitum fuerit, conficiant: idque jamjam ſe feciſſe non obſcure gloriantur, dum voce & ſcriptis, quàm id modeſtè & Chriſtianè, aliorum eſto indicium, velut pro hoſtimento rependunt *Artículos Pariſienſes, & decreta Sorbonæ non tranſire Sequanam:* quaſi verò hæc ad Juris, & non ad facti quæſtionem ſpectarent. Quod ſi poſtremum, hoc eſt facultatem Pariſienſem à Majorum inſtitutis deſciviſſe Bellarminus indicat, magnopere fallitur, quoniam Schola Sorbonica ſolummodo propter miſeriam temporum, & Hæreſes bacchantes ab hac tractanda diſputatione ſuperſedit: miraturque Jeſuitas, & reliquos abſolutæ Monarchiæ fautores, quando prudentiæ & charitatis Chriſtianæ ratio id exigit, non idem feciſſe, atque ab hujuſmodi odioſis controverſiis, quæ ut antiqua Schiſmata nutriunt, ita nova exſuſcitant, & magnam Eccleſiæ Romanæ invidiam conciliant, non penitus abſtinuiſſe: cum eis pronum & expeditum foret cauſam ſuam alia ratione, quam propudioſa Gerſonii, & Scholæ Pariſienſis condemnatione defendere? Profectò ſcribendo in doctorem Chriſtianiſſimum, totque libros certatim *de abſoluta Papæ Monarchia etiam in rebus temporalibus* edendo, timere debuerunt, ne multos in ſe Catholicos Hiſtoriæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & veræ Theologiæ peritiſſimos excirent: tumque demum aliquid ſuarum opinionum arcanis maxime infeſtum audirent? præſertim quod hoc eruditiſſimo ſeculo, in quo permagna eſt bonorum, & antiquorum librorum copia, nullus limatioris judicii exiſtat, modo ſe totum Curiæ Romanæ ambitioni non dediderit, & Dictatis Recentiorum

non

non immerſerit, qui ſolo lumine naturali non cernat, prorſus naturæ repugnare, ac eſſe impoſſibile unicum & ſolum hominem humana infirmitate circumdatum, plus ſapere & videre quam Eccleſiam Catholicam in Synodum Generalem ex omnibus mundi provinciis confluentem.

Porro quia Cardinalis Bellarminus omnia firmamenta quibus ſuam Reſponſionem adverſus Gerſonium inſtruit, ampliore & luculentiore Methodo in primo & ſecundo tomo ſuarum Controverſiarum elaboravit: atque hi libri omnium eruditorum manibus volvuntur, eam ob rem hinc potius quàm ex illa contumelioſa Reſponſione in Venetos argumenta depromemus: hancque Apologiam in quatuor partes diſtribuemus: ſummamque hujus operis xxxix. Axiomatibus αὐλοποιϊκοῖς breviter, ac dilucide complectemur: quod eo à conſilio effectum eſt, ut ſi quæ eſſet in hac lucubratione falſitas, aut cavillatio, prima fronte unicuique pateret: quandoquidem error, & mendacium paucis verbis, certaque Analyſi; ſicut veritas propugnari nequit. Veritatis enim ſicut & naturæ unica eſt via, eaque ſimplex & plana: Contra autem erroris ac mendacii multiplex, & implicata: utque illa nihil timet ne non cognoſcatur: ita mendacium & dolus malus ne detegatur: quia detegere, deprehendere, & evertere eſt. Et hinc mirificæ & reconditæ artes ſimulandi atque diſſimulandi hominum hujus ævi, quorum & geſta & ſcripta fuco ſophiſticæ loliginis paſſim adſperguntur, & obteguntur.

Cæterum proteſtor, me neque in hac Apologia, neque in omnibus aliis meis lucubrationibus, & Commentariis quicquam velle detractum aut imminutum fidei Catholicæ, & paci & unitati Eccleſiæ, juſtæque ac legitimæ auctoritati Pontificis, quam vindicare molior: aut etiam ſanæ cujuſquam hominis doctrinæ: paratumque eſſe nedum Eccleſiæ Catholicæ ſanctiſſimæ parentis, verum etiam cujuſcumque privati hominis orthodoxo judicio acquieſcere. Quocirca ſi nobis imprudentibus, nec ſatis accurate ratiocinantibus aliquid forſan exciderit, nemo nobis ſuccenſeat, homines enim ſumus, atque illorum exemplo qui

ad

ad aram Lugdunenſem quondam certabant, præſto adſumus, ut quicquid ſcripſimus, etiam lingua & lacrymis palam atque in aperto deleamus; ſi forte aliquando opera noſtra nobis ſuperſtitibus publici juris fiant. Enimvero præterquam magnæ ducerem laudi, gloriam & honorem Dei cum Eccleſiaſtica diſciplina, etiam privata mea ſarcire infamia & morte: inſuper credo, atque profiteor, Eccleſiam Catholicam & Romanam, velut unicam, & immaculatam Domini ſponſam, filios per ſacramenta, quæ Chriſtus propria morte inſtituit, vitæ æternæ parere, educare, roborare, & perficere: continuoque nemini unquam poſſe juſtam occaſionem contingere, ab illa communi parente recedendi, *& corpus Chriſti dilaniandi* quod eſt Eccleſia Catholica, ut ait S. Auguſtinus lib. primo de Sermone Domini in monte cap. quinto. *Nam cum propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Eccleſia ſit corpus Chriſti, non videtur ab iis exhiberi Chriſto fides, à quibus evacuatur ejus paſſio, corpuſque diſtrahitur*, inquit Ambroſius in oratione de obitu Satyri fratris, verba de Schiſmate Luciferi Calaritani Epiſcopi Sardiniæ faciens. En vero Synopſin hujus Apologiæ, quam unius oculi proſpectu Lectoribus intuendam exhibemus.

PRI-

PRIMA PARS APOLOGIÆ

continet Ecclesiæ definitionem, & decretum Synodi Constantiensis de immediata Ecclesiæ, & Concilii generalis auctoritate supra Papam : quorum affinitatem cum Legis naturæ principiis demonstrat.

I.

ECclesiæ definitio tum per internas, cum per externas causas essentiales. 1.

II.

Ecclesiam immediate habere auctoritatem à Christo, atque Romanum Pontificem directivo & coactivo Ecclesiæ, & Concilii generalis judicio subjici. 2.

III.

Deum & naturam nunquam deesse in necessariis: atque in genere causæ efficientis vel Potestatis, aut Legis obligantis, divinam voluntatem primam esse causam, rationem, Legem & regulam obligandi: ac proinde cunctas Leges à Deo derivari, ac repeti oportere ut obligent in conscientia: & de Legis divinæ, naturalis, canonicæ, & politicæ definitione: quodque Juri divino & naturali innitantur, & nulla præscriptio contra Legem divinam & naturalem decurrat. 3.

IV.

Christum Legem naturalem sacraviſſe, non antiquaſſe: & de certa via ac ratione judicandi, utrum aliqua doctrina, Censuræ, Leges, humanaque instituta ad veritatis normam procedant. 4.

V.

Nullam esse in terris Potestatem, quæ hominibus usum ratiocinandi, & Collectiones inferendi ex Lege divina, naturali, & Canonica interdicere valeat: atque Ecclesiam solummodo de externis, non de internis aut occultis judicare. 5.

VI.

Solum literalem sensum scripturæ dogmatibus fidei constituendis usui esse posse: & quanta vis insit argumentis à similitudine & negatione, ut vocant. 6.

*** Ob-

Obſervationes in III. IV. V & VI. Axioma.

7. De Juris naturalis diſtributione in primarium, ſecundarium ſimplex, & complexum.

8. De triplici Juris divini partitione, in jus divinum ſecundarium ſimplex, & complexum.

9. De Jure Canonico, & ſcriptis Patrum, quantæ ſint auctoritatis.

10. In Patrum Lectione ſemper, Dogmatica ab oratoriis ſecerni oportere.

VII.

11. Civilem ſocietatem, atque omnes politiæ formas legitime conſtitutas Juris eſſe divini naturalis à Deo conſecrati: atque omni perfectæ communitati prius & immediatius datum à natura, ut ſeipſam gubernet, quam uni alicui ſingulari, aut pluribus hominibus, ut totam communitatem regant: & continuo Poteſtatem Eccleſiaſticam prius, eminentius, ac eſſentialius unitati quam uni convenire.

VIII.

12. Omnem Politiam, conformiter ad cauſas ſuæ inſtitutionis, eſſe ſibipſi architectonicen ac ſufficientem, neque ab ullo ejuſmodi facultate privari poſſe.

13. Obſervationes in VII. & VIII. Axiomata.

IX.

14. Pacem, unitatem, & dilectionem eſſe finem, & propoſitum omnium politiarum, ſtatuum, dignitatum, Legum, atque inſtitutorum divinorum, & humanorum: & præſertim Legis Euangelicæ: & idcirco Poteſtatem deſpoticam, ſive puram & abſolutam Monarchiam Juri divino & naturali penitus repugnare.

X.

15. Juri divino pariter repugnare, ut quiſpiam in ſua cauſa judex, aut teſtis ſedeat: & quidnam ſit decretum aliquod ex Canonum diſciplinis promulgari.

XI.

16. In moralibus & politicis, mediocritatem ſemper laudabiliorem, certiorem, & ſecuriorem eſſe: atque nimiam æqua-

litatem

litatem aut inæqualitatem, unionem aut divisionem pestem haberi ac ruinam omnium politiarum: Optimum vero & præ- 17.
stantissimum principatuum esse in quo status est Monarchicus, consilio aut Aristocratico regimine temperatus: & de Consilii atque regiminis Aristocratici, necnon hæreditarii atque electivi Principatus differentia.

XII.

Conclusio primæ partis hujus Apologiæ, quod Lumen na- 18.
turale nos quasi manu ducat in cognitionem divinæ voluntatis: atque amplius formam justi & necessarii regiminis Ecclesiæ demonstret: & quanti sit momenti hoc vulgare effatum, ERROR COMMUNIS FACIT JUS.

SECUNDA PARS APOLOGIÆ,

tractat de causis & principiis essentialibus Aristocratici regiminis, conformiter ad Sacræ Scripturæ oracula, & praxin Ecclesiæ Catholicæ.

XIII.

Christum prius atque immediatius arcana sua, & Potesta- 19.
tem Ecclesiasticam toti Ecclesiæ quam uni & soli Petro communicasse.

XIV.

De causis essentialibus Ecclesiæ, & triplici Potestate Chri- 20.
sti, nimirum supremæ auctoritatis, excellentiæ, & puri ministerii: atque sacerdotium Domini esse velut causam totius jurisdictionis Ecclesiasticæ: ordinem vero hierarchicum causam efficientem secundariam ministerialem Ecclesiæ: & Christum multo ante quam aliquid seorsim Petro largiretur, Jurisdictionem Ecclesiasticam aut Potestatem clavium toti Ecclesiæ collectim detulisse. Cæterum longe aliud esse dicere Claves datas unitati ut per unum exerceantur: & simpliciter datas unitati: ac de comparatione definitionis Ecclesiæ cum essentialibus causis Potestatis Ecclesiasticæ: & Papam secundum omnia causarum essentialium genera subjectum esse ge-

nerali Concilio, tanquam partem toti, filium matri, oculum homini, & miniſtrum ſponſæ Chriſti.

XV.

21. Eccleſiam eſſe & dici proprie unam, totam, integram, catholicam, ac infallibilem, ob internas & eſſentiales, non propter externas, inſtrumentales, accidentales, & mutabiles cauſas: atque ordinem Hierarchicum, Primatum, Papatum, Epiſcopatum & Presbyteratum formaliter, quoad inſtitutionem ac eſſentiam penitus eſſe invariabiles, ac immutabiles: materialiter autem, ſubjective, quoad exiſtentiam, atque exercitium mutationi eſſe obnoxios: confutatio argumentorum quibus adverſarii Papam caput eſſentiale Eccleſiæ efficere moliuntur.

XVI.

22. De duplici foro Eccleſiæ, & ſupremo effectu Sacerdotii Chriſti ratione juriſdictionis externæ: totamque auctoritatem, & ſufficientiam Eccleſiæ in eo præſentem verſari, & conſiſtere, ut de omni genere peccati cunctorum hominum cognoſcat, illudque remittat, aut retineat: Cenſuris pervicaces, ne quidem Papa dempto, feriat: Synodos ad Leges, & Canones ſciſcendos cogat, quibus omnes mortales baptiſmate donatos vinciat: & de ſenſu Canonis NEMO PRIMAM SEDEM JUDICABIT.

XVII.

23. Facultatem excommunicandi per quandam Analogiam reſpondere coactivæ juriſdictioni ſeculari: & de juſta ratione ferendarum Cenſurarum, & quouſque ſe extendant: atque Eccleſiam in vim Cenſurarum neminem rebus, & adjumentis, quæ Jure naturali & gentium poſſidet privare, multoque minus Reges, & Principes Chriſtianos throno regio abdicare poſſe.

XVIII.

24. Quidnam ſit, & unde oriatur Eccleſiæ infallibilitas, ſolamque Eccleſiam collectim, non Epiſcopos aut Pontifices Romanos diſtributim, & ſeorſim, eſſe infallibiles: & de Bellarmino qui ut infallibilitatem ſoli Papæ addiceret, ſacram ſcriptu-

ſcripturam corrumpere non eſt veritus: genuinus ſenſus loci hujus ſcripturæ, EGO ROGAVI PRO TE, PETRE UT NON DEFICIAT FIDES TUA, Lucæ 22.

XIX.

Recapitulatio ſuperiorum Axiomatum de diſcrimine quo Eccleſia collectim, & Prælati diſtributim, ac ſeorſim capti Claves aut Juriſdictionem eccleſiaſticam poſſident. 25.

XX.

De Conciliorum auctoritate, & celebratione, atque Eccleſiam donatam à Chriſto poteſtate ſeſe in Synodum congregandi, & canones obligatorios condendi: ac frequentem Synodorum celebrationem eſſe abſolute neceſſariam ut Eccleſia melius & ſanctius gubernetur: & de Ariſtocratici Eccleſiæ, atque obligarchici Papæ Concilii differentia. 26. 27.

XXI.

De Concilii œcumenici natura, & definitione, quod Eccleſiam Catholicam repræſentat, & immediate auctoritatem habet à Chriſto, non à Papa. 28.

XXII.

Libertatem ferendi ſuffragii eſſe conditionem eſſentialem ad celebrationem Synodorum penitus neceſſariam: & de Legum politicarum, & Sanctionum eccleſiaſticarum differentia. Porrò conſenſum Catholicum omnium Eccleſiarum cauſam eſſe formalem obligandi omnes Chriſtianos ad obſervationem decretorum Synodalium: & de tribus indubitatis fidei regulis. 29.

XXIII.

Concilium Generale poſſe omnes actus Juriſdictionis quos Papa exercet, amplius, eminentius, & quaſi per dominium gerere: excepta tantum Verbi divini prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione. Decreta Conciliorum ejuſdem omnino eſſe auctoritatis quam ipſummet Concilium congregatum: Quod in quæſtione facti, non in quæſtione juris errare poteſt. 30. 31. 32.

XXIV.

In celebrandis Synodis, antiquos canones, quoad ejus 33.

fieri poteſt, eſſe potius revocandos quam novos ſtatuendos.

XXV.

34. Quemadmodum eſt ſummi Pontificis regulariter & ordinarie Generalia Concilia indicere, & convocare: ita ſi rogatus id facere detrectet aut per morbum ſonticum, vel aliam ob cauſam id nequeat: Eccleſiam caſualiter, & extraordinarie poſſe Concilium congregare, & clavium exercitium regere, definire, atque abuſus tollere, ſicut Conſtantiæ, & Baſileæ factum eſt: & de poteſtate quam Imperatores tanquam domini Reipublicæ Chriſtianæ, & vindices pacis, libertatis, & ſecuritatis, Reipublicæ habent in celebratione Synodorum.

XXVI.

37. Papam jus habere concludendorum aut confirmandorum Conciliorum, nihil aliud eſſe quam inita Sanctorum communione, & ſubducto ſuffragiorum numero, Concilia canonice concludere, ac definire: Et quænam olim fuerit ratio decidendi naſcentes controverſias: ac de ſufficienti inſtructione quam Romani Pontifices legatis ſuis perferendam dabant ad Generale Concilium: deque via, & ratione qua Patres in examinandis controverſiis utebantur.

XXVII.

38. Quando & quatenus Papa de canonibus Conciliorum diſpenſare valeat.

XXVIII.

39. Licitum eſſe à ſummi Pontificis, & à Synodi provincialis ſententia ad Generale Concilium provocare.

XXIX.

40. De Praxi regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ quadringentorum & mille annorum ſpatio ſervata: & curnam & quando exoleverit, atque abſoluta Monarchia increbuerit.

PARS TERTIA,

De primatu Petri, ſacris electionibus, Hierarchico ordine, Paſtorum reſidentia, & Immunitatibus Eccleſiaſticorum.

XXX.

41. De ſtatu aut principatu Monarchico Eccleſiæ, & ejus natu-

naturali objecto: atque Christum B. Petro tanquam œconomo, & vicario suo, capitique ministeriali Ecclesiæ solum exercitium, & exequutionem regiminis, non absolutum regimen contulisse: & de triplici potestate qua Pontifex hodie utitur fruitur: ac de differentia inter principatum Ecclesiæ, & ducis Venetiarum. Depulsio augmentorum pro absoluta Papæ Monarchia.

XXXI.

Statum aut principatum Ecclesiæ sic esse Monarchicum, ut in puram Aristocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari plane repugnet. 42.

XXXII.

Nisi Christus B. Petrum in summum Pontificem instituisset, Ecclesiam illum in eadem auctoritatis prærogativa quam à Christo habuit potuisse instituere. 43.

XXXIII.

Statum aut principatum Ecclesiæ esse electivum, non hæreditarium: eamque ob rem sacras electiones à Christo per ministerium Apostolorum institutas, quo missioni factæ à Domino succederent, atque ordinarium Ecclesiæ seminarium existerent. 44.

XXXIV.

Ordinem hierarchicum ejusdem omnino esse speciei in hodierna, & Apostolica Ecclesia: atque Episcopos, & Presbyteros Jure divino Apostolis, & LXXII. discipulis successisse, ac Senatum Ecclesiæ efficere, & Presbyteros debere Ecclesiam in commune cum Episcopis regere. 45.

XXXV.

Residentiam pastorum Juris esse Divini & Naturalis prorsus indispensabilis, sicut & conjugum cohabitationem: & nihilominus ita capi debere, ut ad semper, non pro semper obliget. 46.

XXXVI.

Personas Ecclesiasticorum quoad celebrationem divinorum officiorum, & sacramentorum administrationem; illorum autem bona, & facultates temporales, quantum ad 47.

res

res usui vitæ necessarias pro conditione & natura status Ecclesiastici, immunitatem habere divinam: & quanta contentione certatum sit, ut Clerici plane liberi, atque immunes essent à jugo politicæ potestatis.

PARS QUARTA,

De Ecclesiæ potestate in res Temporales, ac vicissim de Regum & potestatum seculi auctoritate in Ecclesiasticos.

XXXVII.

48. Ecclesiam habitare in politia temporali tanquam in proprio subjecto, & domicilio; atque unicam efficere Rempublicam Christianam cum seculari Politia.

XXXVIII.

49. Christum mutuæ obligationis vinculo Ecclesiam cum republica seculari, & Ecclesiasticos cum politicis Principibus colligasse: ac illos in Spiritualibus duntaxat præesse voluisse: & quidnam sit proprie Ecclesiam pollere indirecta potestate in Temporalibus: & de argumentis Bellarmini in contrarium, quæ plane sophistica sunt.

XXXIX.

50. De causis essentialibus Politicæ potestatis, & Analysi cap. XIII. Epistolæ Pauli ad Romanos: quibus manifestissime demonstratur à priori, dominium atque usum gladii materialis erga omnes ambitu Reipublicæ contentos, nemine dempto, uni & soli politico Principi competere: Argumenta vero Bellarmini in contrarium propulsantur.

51. Epilogus superiorum Axiomatum summatim innumera absurda & corruptelas complectens, quas Curia Romana per suum absolutum, & despoticum dominatum in Ecclesiam effudit.

PRIMA

APOLOGIA
PRO
JOANNE GERSONIO.

Prima pars Apologiæ, continet Eccleſiæ definitionem, & decretum Synodi Conſtantienſis, de immediata Eccleſiæ, & Concilii generalis auctoritate ſupra Papam: quorum affinitatem cum legis naturæ principiis demonſtrat.

AXIOMA I.

Eccleſiæ definitio tum per internas, cum per externas cauſas eſſentiales.

I. QUando uniuscujuſque rei cognitio à notitia definitionis pendet, omniaque in definitionem reſolvi debent: ideo hanc Apologiam ab Eccleſiæ definitione ſic exordiemur: *Eccleſia eſt Politia monarchica, ad finem ſupernaturalem ſpiritualem inſtituta, regimine Ariſtocratico omnium optimo, & naturæ convenientiſſimo temperata à ſummo animarum paſtore Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Cujus Axiomatis hæc ſumma eſt, ſcilicet Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum, exequutionem verò regiminis monarchicam: propterea quod & Romano Pontifici, & ſingulis Epiſcopis reſpective, & proportionatim incumbit ex officio, canones communi Eccleſiarum conſenſu factos, exequutioni mandare: necnon etiam quando res poſtulat, leges in actu primo condere, ut dehinc ejuſmodi leges communi Eccleſiæ conſenſu, & approbatione ſciſcantur, atque in rem judicatam abeant.

Porro Ariſtocraticum Eccleſiæ regimen efficit, ut Eccleſia Romana more aliarum Eccleſiarum, id ſit & habeatur quod revera eſt, nimirum particularis, non univerſalis: ſiquidem Chriſtus omnes gentes, & nationes, ex quibus Catholica coaleſcit Eccleſia, æqualiter & indiviſim ad lucem Euangelii evocavit: neque Romana Eccleſia ſuper eas quicquam aliud excepto Primatu obtinet, Axiomate xxx. At regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ (de hoc enim præciſe & nominatim ſermo eſt impræſentiarum) *Omnium optimum, & naturæ convenientiſſimum diximus*, ut Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis differentiam indi-

caremus, & consignaremus. Cum enim nihil sit tam humanæ naturæ congruum, & consentiens, quam ab interno principio suaviter moveri; id est, ratione & consilio comiter gubernari: lex autem gratiæ hac tantum via procedat, & propagetur, nequaquam verò absolute, & monarchice per vim, & coactionem externam more Potestatum seculi dominetur, atque perrumpat: consurgit necessario regimen Ecclesiæ, quia libere & suaviter hominum animis præest, non autem corporibus, & terrenis rebus per vim externam imperat, omnium quidem optimum, suavissimum, & naturæ convenientissimum esse: de qua re amplius disputabitur infra. Cæterum ne hic eadem cogar frustra iterare, analysim hujus definitionis in XIV. Axioma rejiciemus, & pro secundo Axiomate decretum Synodi Constantiensis *de Concilii* generalis auctoritate suprà Papam subnectemus, propterea quod nostram definitionem & regimen Aristocraticum liquido comprobat.

AXIOMA II.

Ecclesiam immediate habere auctoritatem à Christo, atque Romanum Pontificem directivo, & coactivo Ecclesiæ, & Concilii generalis judicio subjici.

II. *Sancta Synodus Constantiensis legitime congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet: cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad fidem, exstirpationem schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris:* quarta & quinta sessione: quæ ducentorum Patrum consensu primum Nationaliter, deinde Synodice comprobata, & concluſa est: *Præsentibus Oratoribus, & Procuratoribus Regis Romanorum, Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Cypri, Navarræ, Marchione Montis Ferrati, aliisque pluribus nobilibus, & reverendis Patribus in multitudine copiosa testibus.*

Quo in decreto tres enumerantur causæ propter quas generalia Concilia celebrari solent: *Nimirum propter fidem, Schismatis exstirpationem, & Ecclesiæ reformationem in capite & in membris:* atque in his casibus Synodus Constantiensis statuit absolute & simpliciter Papam subjici generali Concilio: & ita Adversariorum effugia obstruuntur, contendentium Patres Constantienses non absolute loqui de quocumque generali Concilio, sed duntaxat in casu schismatis, quando sunt plures Antipapæ: quod falsissimum esse convincitur hoc alio canone Constantiensi, quinta sessione. *Item declarat sancta Synodus quod quicumque, cujuscumque conditionis, status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui*

qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus ſanctæ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit recurrendo. Qua in conſtitutione hæc concepta verba occurrunt notanda, *& cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis*, &c. Manifeſto enim oſtendunt, *quotieſcumque de fide, exſtirpatione ſchiſmatis, & Eccleſiæ reformatione in capite & in membris agitur, Papam ſubjici Concilio generali legitime congregato.* Quæ decreta per omnia & in omnibus Legi divinæ & naturali, necnon etiam praxi Eccleſiæ Catholicæ congruere, tota hac Apologia à priori & à poſteriori demonſtrabitur. Bene igitur Pariſienſis Cancellarius conſideratione 8. Tractatus inſcripti *Reſolutio circa materiam excommunicationum & irregularitatum* perhibet, *hæreſin eſſe damnatam per Conſtantienſe Concilium, aſſerere Papam judicio correctivo Eccleſiæ & Synodi generalis Eccleſiam Catholicam repræſentantis minime ſubjici.* Quid ergo venit in mentem Bellarmino in examine Tractatuum Gerſonii, quos Theologi Veneti anno 1606. evulgarunt conſideratione octava, aſſerere, *Conſtantienſe Concilium nuſpiam declaraſſe hæreſim eſſe negare ſuperioritatem Concilii ſupra Papam?* Annon obſecro hæreſis eſt communioni Sanctorum, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritati pervicaciter in iis quæ ſunt fidei reluctari? Cujuſmodi hæc eſt aſſertio: videlicet *Papam legibus Catholicus ſacerdotii Chriſti non eſſe ſubditum*: vide Axioma XIV. & XVI. Quæ aſſertio maxime culpanda venit, præſertim in Theologis, qui Catholicam veritatem de immediata Eccleſiæ, & Conciliorum generalium auctoritate propugnare tenentur: quoniam Eccleſiæ melius, & ſanctius regendæ perneceſſaria eſt. Unde qui eam perſpectam & cognitam impugnant, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ, dum res poſtulat, minime tuentur, certe peccant in Spiritum Sanctum, juxta illud Apoſtoli: *Si euangelizavero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi ſi non euangelizavero.* Et 1 Cor. 14. *Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem ut prophetetis*: hoc eſt genuinum ſenſum locorum difficilium ſcripturæ teneatis. Ibi enim Prophetia capitur pro vera intelligentia, & expoſitione Scripturæ, doctrinæ, atque aliarum rerum quæ à Deo revelantur, ut notant Gloſſæ. Siquidem Dominus, *antequam cœlos conſcenderet, alios Paſtores, alios Doctores in conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii dedit Eccleſiæ*, Epheſ. 4. Certumque eſt Prælatos & Theologos in officio veritatis aſſerendæ, & explicandæ, Prophetis, Apoſtolis, atque aliis Doctoribus Eccleſiæ ſucceſſiſſe: conſequenterque in rebus ad veritatem fidei & juſtum Eccleſiæ regimen ſpectantibus, fruſtra ignorantiam, aut excuſationem obtendere: quando Chriſtus illos tanquam *ſal & lumen mundi poſuit ſu-*

per candelabrum, quatenus verbo atque exemplo aliis prælucerent, minime verò ut subtus modio, aut in angulo domus latèrent, Matthæi 5. *Noli fieri judex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem Potentis, & ponas scandalum in agilitate tua*, Ecclesiast. 7. & 13. *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Etenim, *nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei*, Lucæ 9. Hercle scandala, & mala innumera quæ ex regiminis Aristocratici abrogatione profluunt, quæque infra explicabuntur, cunctos Prælatos, atque Doctores in istius culpæ consortium adducunt, qui metu hominum, ambitu, cupiditate, vel desiderio commodorum præsentis vitæ, Catholicam veritatem hujus divinæ, & mansuetissimæ moderationis palam profiteri non audent. *Nam servi scientes voluntatem Domini, & non facientes vapulabunt plagis multis*, Lucæ 12. *Quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*, Rom. 1. Verum quibusnam principiis, & regulis in certissimam cognitionem hujus Catholicæ veritatis eatur, si placet sigillatim, & familiariter demonstrare aggrediamur.

AXIOMA III.

Deum & naturam nunquam deesse in necessariis, atque in genere causæ efficientis, vel potestatis, aut legis obligantis, divinam voluntatem primam esse causam, rationem, legem, & regulam obligandi: ac proinde cunctas leges à Deo derivari, & repeti oportere, ut obligent in conscientia: & de Legis Divinæ, Naturalis, Canonicæ, & Politicæ definitione, & differentia: quodque Juri divino, & naturali innitantur, atque nulla præscriptio contra Legem divinam & naturalem decurrat.

III. QUando Deus est infinite potens, bonus, & sapiens, hercle *cuncta ejus opera sunt perfecta, omnesque illius viæ judicia*, Deuteron. 32. Quare ea semper facit quæ rerum naturæ magis conveniunt: & dando esse, sive actum primum, unà etiam cumulatè largitur omnia quæ sunt ad esse & actum secundum sive operationem necessaria: neque unquam deest in necessariis, neque redundat in superfluis: neque frustra & temere aliquid facit, aut in Lege Euangelica *vult fieri mala ut eveniant bona*, Roman. 3. hæc enim summam arguerent imprudentiam, impotentiam, & imperfectionem, quam in Deum cadere repugnat. Ut autem causa prima universalissima, & omnipotens, auctor est omnis Entitatis, veritatis, & bonitatis naturalis, moralis, & supernaturalis, necnon etiam immediatus naturæ, & gratiæ opifex: quocirca gratiam & naturam velut nativos divinæ omnipotentiæ fœtus æqua-

æqualiter tuetur, & conservat. Ex quo percrebuit inter Theologos, *Gratiam non destruere sed perficere naturam.* Alioqui certe, Deus sibi ipsi contradiceret, ac dissentionis, non pacis auctor haberetur contraquàm docet Apostolus cap. 14. prioris ad Corinthios. Porro sicut omnes causæ secundæ absque motu & influxu Dei penitus consepultæ jacent, & in nihilum rediguntur: sic & omnis potestas, doctrina, Leges, censuræ, præcepta, constitutiones, atque humana instituta, nullam vim obligandi in conscientia, aut quicquam legitime efficiendi obtinent, nisi divinæ voluntati, potestati, & legi penitus concordent. Quo spectat illa vox Domini Joann. 1. *Et sine Ipso factum est nihil:* & cap. 15. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in Me, & Ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine Me nihil potestis facere.* Et Proverb. 8. *Per Me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Enimvero Legum sicut & rerum omnium aliarum essentiæ à Deo immediate manant, at quoad existentiam à Regibus aut Legislatoribus pendent.

Verum pro superiorum collectionum appendice, & corollario statuendum, nunquam fas esse in lege Euangelica, quocumque quæsito colore *facere mala ut eveniant bona:* quoniam omne Bonum Morale, sed multo magis Euangelicum, causâ integrâ constat, sicut malum ex singulis & minimis quibusque coalescit defectibus. Quare Apostolus blasphemiæ deputat dicere licitum facere mala ut inde bona eliciantur. Itaque quoties magnum aliquod bonum faciendum occurrit, aut prætenditur in causa Religionis, ab illo est abstinendum, si absque alicujus mali patratu illuc perveniri nequit: *Nullum enim peccatum ne minimum quidem veniale, est medium eligibile aut faciendum ut peccata etiam gravissima evitentur*, ut notat Cornelius à Lapide post Caietanum commentariis in caput 3. ad Romanos. Quam Euangelicam regulam, si stricte, accurateque, ut necesse est, teneremus, non tot & tantis peccatorum compensationibus indulgeremus: neque universam Europam specioso prætextu Boni majoris, aut vindicandæ Religionis Catholicæ, rebellionibus, Regum parricidiis, flamma, cæde, & sanguine cruentari vidissemus: quæ omnia falso ad majorem gloriam Dei fieri circumferuntur.

PORRO LEX NATURALIS, innascitur hominibus, estque ipsamet recta Ratio quam sic definiemus, QUÆDAM LEGIS & voluntatis divinæ particula, aut irradiatio, hominibus naturaliter indita, nobis agenda, fugiendaque demonstrans ad finem naturalem consequendum: qui est *honeste vivere, neminem lædere, jus suum cuique tribuere:* idest alteri nihil quicquam facere quod tibi secundum rectam rationem fieri nolles. Quo sensu locus Apostoli Ephes. 5. & consimiles capiendi: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam.* Siquidem tantum opis, fomenti, & alimen-

torum corpori humano tribuere oportet, quantum recta ratio, ut munia noſtra ad laudem Dei obeamus, ſuadet.

DIVINA LEX, quædam eſt voluntatis divinæ particula, & irradiatio, hominibus ſupernaturaliter revelata, ad vitam, & beatitudinem æternam obtinendam ſacriſque Bibliorum libris continetur, & imperatur: imperatur dico, ut præcepta divina ab Euangelicis conſiliis ſecernantur: quorum illa etiam nolentes, hæc autem volentes tantum obligant: & multo minoris ſunt obligationis quam præcepta. Unde qui monaſterium aliquod ingrediuntur, ſi eorum parentes indigeant, clauſtro egredi tenentur quo ſuis parentibus opem ferant: propterea quod Conſilia Euangelica divinis præceptis cedere debent. lege B. Thom. 22. quæſt. 184. artic. 3. & 189. artic. 6. in corpore articuli.

LEX CANONICA eſt humana conſtitutio, naturali & divinæ legi congrua aut minime diſſentiens, ſuaviſſimo Eccleſiarum conſenſu, & Sanctorum communione ſancita, aut conſuetudine introducta ad ſanciendam Eccleſiaſticam diſciplinam, & bonum regimen Eccleſiæ. Quare inſtar Euangeliorum ab omnibus Chriſtianis coli, & ſuſpici debet, auctore B. Gregorio *diſt.* 15. *Can. Sicut Sancti Euangelii.* Præterea legi divinæ, & naturali ſicut ancilla dominæ ſuæ inſervit. Tomis autem Conciliorum, & Corpore Canonico continetur, nec non pariter Decretalibus Pontificum, modo ejuſmodi Decretales receptorum, & uſitatorum Canonum diſciplinis non diſcordent.

LEX CIVILIS eſt conſtitutio Principis auctoritate ſancita, aut moribus populorum introducta: cujus ope homines in civili ſocietate viventes reguntur conformiter ad Legem naturalem, ut in pace vivant.

Demum obſervare oportet, quicquid ex his quatuor Legum fontibus, evidenter, & neceſſario ſcaturit, aliquam naturalis, divinæ, canonicæ, aut politicæ legis prærogativam proportionatim, & reſpective obtinere. Deinde teſte Gerſonio cap. 1. de Regulis moralibus, nullam poſſe decurrere præſcriptionem, neque conſuetudinem ad oppoſitum contra legem divinam & naturalem: & ſi quæ exiſtat merum eſſe abuſum, propterea quod jus divinum, & naturale eſt fundamentum omnium legum. Quandoquidem auctore B. Thoma prima ſecundæ quæſt. 95. articul. 2. in corpore: *Omnis Lex humana in tantum habet de virtute legis & juſtitiæ, in quantum eſt ſecundum regulam rationis.* RATIONIS AUTEM PRIMA REGULA EST LEX NATURÆ: *& conſequenter omnis lex humanitus poſita in tantum habet de ratione legis, in quantum à lege naturæ derivatur.* Et Bellarminus cap. undecimo Libri de Laicis ſtatim initio, *Notandum eſt*, ait, *quod ſicut res cæteræ quoad exiſtentiam pendent ab agente, non quoad eſſentiam, eſſentiæ enim ſunt æternæ: ſunt enim quædam participationes poſſibiles divinæ eſſentiæ: Ita etiam Lex quoad exiſtentiam pendet à legiſlatore: Non enim erit lex niſi dicetur ab eo qui habet auctoritatem:*

tatem: At quoad eſſentiam non pendet. Quod enim Lex obliget eſt quid æternum, & immutabile, & participatio quædam legis æternæ Dei, quæ eſt prima & ſumma regula: & hoc videtur voluiſſe dicere B. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. cum ait: Peccatum eſt dictum vel factum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Quibus accurate perpenſis facile eſt judicare, rectene dictum ſit à Gerſonio lib. de Vita ſpirituali animæ, *Leges, quæ divinæ aut naturali Legi nequaquam conſentiunt, non obligare in conſcientia, aut ad pœnam æternam, ſed duntaxat ad pœnam civilem aut temporalem.* Quod ab illo dictum eſt, ut ea quæ juris ſunt pure humani ſecerneret ab iis quæ juris ſunt divini, & naturalis. Et idcirco cap. primo de Regulis moralibus obſervat eſſe ſummopere neceſſarium in omni doctrina morali, & politica, rationem certam inire, quâ jus divinum, & naturale à legibus merè poſitivis aut humanis ſecludamus: Ut obligatio quæ indè oritur, omnibus aut ſaltem ſapientibus pateat. Quem in finem multa diſputat libro jam laudato de vita ſpirituali animæ, & nos eandem ob cauſam ejuſdem Gerſonii, & S. Bernardi imitatione *Lib. de Præcepto & Diſpenſatione*, hanc Apologiam lucubravimus. Profecto Patres antiqui ea quæ juris erant poſitivi humani, arbitrio hominum relinquenda, neque propterea pacem, & concordiam Eccleſiarum turbandam cenſebant, ut docent geſta Victoris Papæ adverſus Eccleſias Aſiæ cap. 22. 23. & 24. Libri quinti Hiſtoriæ Euſebii; lege librum memoratum S. Bernardi.

Denique lector attendat hoc axiomate agi de Lege naturæ abſolute & formaliter: ſequenti vero relative, & comparative ad legem Euangelicam, in quam Dominus eam velut ſurculum inſeruit, ut hominibus inſtar pædagogi eſſet ad legis divinæ cognitionem.

AXIOMA IV.

Chriſtum Legem naturalem ſacraviſſe, non antiquaſſe: & de certa via ac ratione judicandi, utrum aliqua doctrina, Cenſuræ, leges, humanaque inſtituta ad normam veritatis procedant.

IV. CHriſtus immediatus naturæ & gratiæ opifex Legem naturalem non ſolvit ſed adimplevit, ac in ſuis generalibus Principiis ita conſecravit, ut inde gratia inciperet, ubi natura deſineret. Quare Exodi 20. & 5. Deuteronomii, item quinto, ſexto, & ſeptimo Matth. cuncta Legis naturæ præcepta in legem Moſaicam & in Euangelium inſeruntur. Certe *prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus in veritate*, Pſal. 144. Invocare autem in veritate, eſt naturæ adjumentis benè & appoſite ſecundum rectam rationem uti: quoniam divina providentia, *facientibus quod in ſe eſt nun-*

nunquam denegat gratiam: & Deus ſemper omnibus præſto adeſt qui naturæ dotibus rectè utuntur. Actorum x. verſu 35. de Cornelio Centurione. Itaque Lex naturalis, & Euangelica ſibi invicem tanquam manus auxiliares mutuas operas, ſubſidia, & interpretationes haud ferme aliter quam Jethro & Moiſes commodant, Exodi 18. Quocirca ubi lex divina nihil clarè & diſtincte præcipit, maxime in Moralibus & politicis, necnon in Eccleſiaſtica diſciplina optime conſtituenda, tum perfugio habere debemus Juris naturæ oracula, & ſubſidia, eaque intrepide, & conſtanter audire, & ſequi. Joannes Major cap. 18. Commentarior. in Matthæum: *Quilibet ſequi tenetur modum qui eſt Lumini naturæ conformior, niſi de oppoſito doceatur per Legem divinam.* A qua ſententia non longe abludit Gratianus *diſt.* 9. *can. ſana quippe.* §. *Cum ergo in naturali jure.*

Quibus ita conſtitutis, quinque conſectaria, velut indubitata principia apud omnes hinc eliciemus. Primum cunctas animi, & corporis dotes hominibus tributas à natura: item omnia Jura, & appendices civilis ſocietatis, & pacis ac tranquillitatis publicæ, ad quæ tuenda nati ſunt homines: juſtam quoqui ſui defenſionem & conſectaria inde neceſſariò manantia nobis quidem lege Euangelica auctiora, ampliora, & luculentiora fieri, nequaquam vero abrogari, detrahi, aut imminui. Hujus generis ſunt recta ratio, judicium, & prudentia naturalis, deſiderium cognoſcendi, ſimiliter interna contritio ad veniam peccatorum obtinendam, atque aliæ ejuſmodi dotes, & facultates animi. Quid igitur cauſæ eſt ut aliqui hodie cæcam obedientiam tantopere commendent, quando B. Paulus, perfectiſſimum exemplar viri ſpiritualis, *qui judicat omnes, & à nemine judicatur*, Zelum ſapientia orbatum, & humilitatem ſapientia Chriſtiana deſtitutam damnat Roman. 10. & cap. 2. ad Coloſſenſes, atque ſcriptis ſuis paſſim omnes Chriſtianos Argos & Lynceos, non talpas aut cæcos efficere conatur, more Naas regis Ammonitarum, qui ut uſum clypei geſtandi in bello ſibi ſocietate junctis adimeret, oculum dextrum eis eruere, ſicque facultate ſeſe tuendi, & ſibi conſulendi privare conſueverat, capite x 1. lib. primi Regum. Quæ proculdubio genuina eſt imago cæcæ obedientiæ, in quam Apoſtolus hæc ſcripſiſſe videtur cap. 1. ad Philippenſes: *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu, ut probetis potiora, & ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti.*

Alterum conſectarium eſt, quicquid directe aut indirecte Legem divinam, aut naturalem, aut etiam canones uſu receptos quandiu Eccleſia illos retinet, convellit, nullo modo obligare in conſcientia ſecluſo ſcandalo, quod ex non obſervatione legis poſſet emergere: idque accurate docet B. Thomas prima ſecundæ quæſtione 96. articul. 4. Et Bellarminus lib. quarto de Romano Pontifice cap. 15. *Nam*, inquit, *leges injuſtæ ratione materiæ, id eſt quæ ſunt contrariæ divino juri, ſive naturali, ſive poſitivo, non ſolum non obligant, ſed etiam*

non

non debent ullo modo servari, juxta illud Actorum 5. Obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Id etiam docet Hieronymus in cap. 6. ad Ephesios, Augustinus in Psalm. 124. & sermone 6. de verbis Domini; & Bernardus lib. de præcepto & dispensatione. At Leges quæ sunt injustæ ex parte finis, vel auctoris, vel etiam formæ seu modi, servandæ sunt quando sequeretur scandalum, si non servarentur. Et hoc deduci potest ex cap. 5. Matthæi: Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo & alia duo: & si quis abstulerit tibi tunicam, da illi & pallium. Est enim sensus, non ut hoc semper faciamus, sed ut parati simus id facere, quandocumque id erit necessarium ad gloriam Dei. Item ex illo 1. Petri 2. Servi subditi estote dominis non solum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. Hucusque Bellarminus explicatè asserens Leges juri divino positivo aut naturali contrarias, nullo modo obligare, neque servari debere. Quo ex indubitato principio proclive nobis erit omnia ejus documenta pro absoluta Papæ monarchia in spiritualibus & temporalibus, tanquam Legi divinæ, & naturali planè contraria diruere.

Tertium consectarium, Quoties duo præcepta juris diversi ordinis inter se pugnant aut contraria sunt, tunc præceptum inferioris ordinis debere cedere præcepto superioris ordinis; quod supra illustravimus exemplo præceptorum Decalogi & Conciliorum Euangelicorum quæ non sunt præcepta.

Quarto statuendum necessitate occurrente, legis humanæ mutationem necessario fieri oportere: quia ut auctor est S. Bernardus cap. quarto de præcepto & dispensatione: *Quod est institutum pro charitate, nunquam militat contra charitatem.* Finis autem omnium Legum & præceptorum est Pax, charitas & unitas, Axiomate IX.

Quinto ad normam infallibilem hujus proloquii, omnes omnium mortalium doctrinas, bullas, Censuras & decretales Pontificum, Leges humanas; item genus vivendi, instituta, & actiones hominum qui sese extraordinario pietati profitendæ dedunt explorare, ac semper hujus præcepti meminisse debemus, Roman. 12. *Obsequium vestrum sit rationabile*, id est Legi naturali, & rectæ Rationi conforme, *ne quid nimis*, ait Glossa. Nam corporalis *exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia*, prioris ad Timoth. 4. & cap. 9. prioris ad Corinthios: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* puta jejuniis, vigiliis, atque assiduo labore manuum, quo sibi necessaria ad victum comparabat, ut *sine sumptu poneret Euangelium*, prior. ad Corinth. 4. & Actor. 20. Quæ causa fuit patribus Ecclesiæ primitivæ statuendi, ut omnes Clerici artem aliquam ediscerent, cujus ope sibi victum necessarium acquirerent, sicut Can. 51. & 52. quartæ Synodi Carthaginensis consignatum legimus his verbis: *Clericus quantumcumque verbo Dei eruditus, artificiolo vel agricultura, absque Officii sui detrimento, victum sibi comparare debet*: hæc ergo

erat caſtigatio qua S. Paulus concupiſcentiam quaſi equum ferocientem in gyrum rationis ducebat: ut inſuper omittam innumeros labores quos ubique terrarum pro Euangelii promulgatione exantlabat. De flagellationibus autem quibus nonnulli Religioſi utuntur, eas tum opinor frequentari cœpiſſe, cum Monachi ab opere manuum quotidie per aliquot horas faciendo ceſſarunt: quæ ordinaria exercitia nunquam eos otiari patiebantur, ac illis erant pro acri flagellatione & caſtigatione corporis, ut colligere licet ex Auguſtino *de opere Monachorum*. Superioribus & confirmandis attexam cap. 2. ad Coloſſenſes: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum quæ non vidit ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput* &c. *Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu ſecundum præcepta, & doctrinas hominum: rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.* Quem ad locum Gloſſæ, & interpretes teſtantur, Apoſtolum monere à permultis hominum adinventionibus qui vitæ ſanctimoniam extraordinario profitentur, atque humilitatem, & cultum voluntarium ſapientia Chriſtiana vacuum præſeferunt, eſſe cavendum, atque in primis conſiderandum, *An caput teneant*, id eſt Chriſtum gratiæ & naturæ auctorem ſequantur. Si enim illorum inſtituta neque Euangelio, quod Lex eſt regia & perfectæ libertatis, neque legi naturæ, hoc eſt rectæ rationi, conſentiant, ideo repudianda ſunt, propterea quod *caput non teneant*. Proculdubio, finis & ſumma totius Chriſtianæ religionis eſt Chriſtum imitari, animum avocando à corpore, & ſeculi illecebris, quantum recta ratio ſuadet, & opera miſericordiæ erga proximum exercendo, non abeundo in proprias adinventiones. Unde Apoſtolus: *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti*, cap. 11. prioris ad Corinthios: Et Jacobi 1. *Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Statuamus igitur *Religionem, id eſt, verum Dei cultum in imitatione Dei conſiſtere*, ut ait Lactantius. Quo in cultu multo magis credendum & fidendum ſcripturarum teſtimoniis, quàm miraculis aut extraordinariis reſponſis quæ nonnulli homines oſtentui habent. Ratio eſt, quia miracula valde incerta, & falſitati abnoxia ſunt: multique pſophetæ falſi ſeſe in Angelos lucis transformare conſueverunt. Quapropter geſta iſthæc extraordinaria, lege ordinaria comprobari, examinari, & auctorari Dominus præcipit Eſaiæ 8. *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro vivis à mortuis? Ad Legem magis & ad Teſtimonium. Quod ſi non dixerint juxta Verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Quo pariter reſpexit Chriſtus Lucæ 16. exponens parabolam divitis epulonis qui à patre Abrahamo flagitabat, ut quempiam ex mortuis ad fratres ſuos ſuperſtites ablegaret, quo facilius à peccatis avocarentur. Cui Abrahamus, *habent*, inquit, *Moyſen & Prophetas, audiant*

audiant illos. Profecto quamquam Christus indubitatis splenderet miraculis, tamen conjunctim cum Scripturis suam missionem comprobari præcipit Joannis 5. alloquens Judæos: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam possidere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Quare Apostolus ad Galat. primo: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod nos euangelizavimus vobis, anathema sit.* Qua ex periodo Chrysostomus in hunc locum nominatim asserit, *potius sacris Scripturis credendum quàm Angelis de cælo descendentibus aut mortuis.* Jure quidem, quoniam nihil est magis erroribus atque illusionibus obnoxium plurimis miraculis quæ venditantur; & si plebi imperitæ, mulierculis permultisque aliis auscultes, omnia coruscabunt & personabunt miraculis, propterea quod magno quæstui sunt multis, quorum proinde testimonia suspecta sunt. Nota satis hæc historia: *magna Diana Ephesiorum*, Actor. 19. De ejusmodi miraculis & revelationibus lege Gersonium *de probatione Spirituum & Examinatione doctrinarum, & distinctione verarum visionum à falsis, item in Declaratione veritatum quæ credendæ sunt de necessitate salutis.* Concludamus ergo contra hodiernos pruritus novitatum, superstitionum, & miraculorum, si quæ nunc responsa de cælo, aut aliqua nova extra ordinem circumferantur, ad Legis divinæ, & naturalis normam necessario probari, & explorari oportere.

AXIOMA V.

Nullam esse in terris potestatem quæ hominibus usum ratiocinandi, & collectiones inferendi ex Lege divina, naturali, & canonica interdicere valeat: atque Ecclesiam solummodo de externis, non de internis aut occultis judicare.

V. CUm vis & facultas ratiocinandi Juris sit Divini ac Naturalis: & prima regula Legis naturæ sit recta ratio, auctore B. Thoma Axiomate III. sanè nulla in terris Potestas, etiam Papalis, Ecclesiastica, aut Politica existit; quæ sub censurarum aut aliarum pœnarum interminatione usum legitimum rationis impedire, aut etiam vetare queat, quo minus Theologi, Canonistæ, & alii homines docti discretivo & doctrinali judicio sufficienter præditi, aliquas ineant Collectiones aut Inductiones ex divina, naturali, & canonica lege, scriptis Patrum, aut doctorum catholicorum, vel monimentis historiarum, aut ex aliis hominum institutis, easque Collectiones & Inductiones emittant in vulgus. Si enim Christus Dominus & magister profitetur se venisse in mundum, ut *Legem adimpleret, non solveret* Matth. 5. quanto magis Papa Oeconomus Christi, & Ecclesiæ suæ sponsæ minister? Cæterum ex duabus opinionibus probabilibus, Theologi qui utram

que sedulo & accurate cum omnibus argumentis contrariis examinarunt, certe alterutram quâ verisimiliorem duxerint amplecti possunt: immo verò nisi rectæ rationi, id est, Deo ipsi Legis naturæ creatori adversari velint, eam defendere debent: quando ut ait Apost. 14. ad Roman. *Omne quod non est ex fide*, id est, ex conscientiæ, & rectæ rationis ductu, *peccatum est*. Quam ob causam Theologi docent *conscientiam erroneam obligare*, credendo aliquid malum aut vetitum esse quod nequaquam malum aut vetitum est: hocque fit propterea quod Ratio homini pro duce & sole data est à Deo tanquam prima legis naturæ regula. Porro conscientiæ erroneæ exemplum occurrit cap. 8. prioris ad Corinthios de Idolothytis, hoc est eorum esu quæ Idolis immolabantur, utque B. Paulus erroneas conscientias informet, positive asserit, secluso scandalo Christianis licitum vesci idolothytis, tanquam alimentis indifferentibus, quia idolum nihil est. Sed ut ad propositum regrediar de Collectionum aut Inductionum evulgatione: pro certissimo habendum id fieri oportere pace, concordiâ, & unitate Ecclesiæ salva, Axiomate 1 x. Quocirca nemini quantumvis docto & pio humanas aut Ecclesiasticas leges oppugnare fas est in publicæ pacis detrimentum: nisi forte ex silentio doctorum magnum aliquod, evidens, & intolerabile scandalum, atque manifestus legis divinæ contemptus exsurgeret. Tum enim *oportet magis Deo quàm hominibus obedire: & multo satius est scandalum nasci quàm veritatem deseri, cap. qui scandalizaverit de Regulis juris in Decretalibus.* Consule Gersonium tractatu de Resolutione circa materiam excommunicationum 7. considerat. Ubi asserit vim atque usum canonicum Censurarum æstimari oportere ex potestate legitima ferentis censuras: ita ut ante omnia videndum sit, An Prælati sua potestate per excessum abutantur. *Alioquin si iniquis Censuris esset obediendum, Prælati quamcumque vellent servitutem inducere possent super Christianos: & ita patet quod hoc commune dictum*, sententia Prælati vel Judicis etiam injusta timenda est, *indiget glossa. Alioquin non est generaliter verum, si timenda dicatur, quia est sustinenda, nec repellenda imo in casu pati illam, esset asinina patientia & timor leporinus & fatuus*, ait Gersonius. Cujus assertionis hæc est ratio, quod justa & legitima potestas Ecclesiæ tota sit ministerialis spiritualis, non absoluta aut despotica ut Prælati pro animi sui lubitu ea cogant extrinsece quæ imperant more Principum seculi. Enimverò Papa solummodo claves puri ministerii, non absolutæ auctoritatis possidet. Unde Hieronymus cap. 16. in Matthæum ad hæc verba, *Tibi dabo claves regni cælorum: Istum locum, ait, Episcopi, & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum sed reorum vita quæratur.* Quasi diceret, illos sua potestate omnino abuti, qui *Euangelii & Legis gratiæ cathedram, quasi in dominatum & regium tribunal* transforma-

re co-

re conantur: ubi quod placuit Principi, legis habet vigorem. Horsum & vox B. Leonis Magni spectat 24. *quæst* 1. *can. Manet ergò Petri privilegium, ubicumque ex ipsius æquitate fertur judicium.* Accedit & Gregorii Magni homilia 26. in Euangelia quam Gratianus conjecit in suam collectionem XI. *quæst.* 3. *can.* 60. *Ipse ligandi: Sæpe, ait Gregorius, in solvendis ac ligandis subditis Pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit ut ipsa hac ligandi, & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum moribus exercet. Unde rectè per Prophetam dicitur Ezech.* 13. *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Sensus B. Gregorii est, illos se sua abdicare potestate qui ea abutuntur. Idem 2. *quæst.* 7. *can.* 57. *Admonendi sunt subditi ne plusquam expedit sint subjecti, ne cum studeant plusquam necesse est hominibus subiici, compellantur eorum vitia venerari.* Glossa & Lyranus in cap. 16. Matthæi: *Tibi dabo claves: Claves sunt discernendi scientia, & potentia, qua dignos recipere, & indignos excludere debet à regno cælorum secundum verum judicium præhabitum: quia debent indigni excludi, & digni recipi: & supposito hoc in terra debito usu clavis Deus illud approbat in cœlis, aliter non:* lege XIV. XVII. & XVIII. Axioma.

Itaque hinc insurgit, Papam aliquas facultates aut privilegia concedendo, non posse Canonice statuere aut prohibere, *ne quis cujuscumque status, gradus, & præeminentiæ existat, Institutum quorumdam Regularium, vel illorum Constitutiones* &c. *quovis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directe, vel indirecte impugnare, vel eis contradicere audeat*, &c. Hæc enim imperata plane despotica sunt & longe lateque potestatis ministerialis Spiritualis Ecclesiæ cancellos prætergrediuntur: estque compertum, Theologos quotidie veritatis indagandæ studio, de Lege divina, & potestate Dei disputationes inter se conferere: quanto magis de facultatibus, & privilegiis, quæ permulti à summis Pontificibus multitudine negotiorum obrutis, obreptitie extorquent?

At vero, quoniam Ecclesia de externis tantum, non de occultis judicat; ideò in Conciliis illi solummodo anathemate feriuntur, qui palam aliquid dicunt aut faciunt adversus fidem: reliqui autem qui contra tacite sentiunt aut meditantur, quia Pacem & unitatem Ecclesiæ non solicitant, aut violant, divino judicio reservantur. *Quod si id faciant antequam quæstio aut controversia sufficienter eliquata fuerit universali Concilio: tum humanæ infirmitatis errorem cooperit charitas unitatis*, ut de S. Cypriano docet Augustinus lib. priore de Baptismo. cap. decimo octavo contra Donatistas. Quæ regula Augustini, multis quæstionibus, & difficilis natis & nascentibus placandis, ac terminandis, hodie usui esse potest. Equidem Nilus initio libri primi de Primatu narrat causam separationis Græcæ Ecclesiæ à Romana hanc unam esse, *quod quæ-*

ſtiones inter Græcos & Latinos controverſæ, non ſint communi œcumenicæ Synodi decreto ſolutæ & explicatæ ex veteri Patrum inſtituto: ſed quod Romani quidem Magiſtrorum in hac re partes ſumunt, & Græcos inſtar diſcipulorum dicto audientes habere velint: idque Gulielmus Durandus agnominatus *Speculator* confirmat prima parte *de modo generali Concilii celebrandi, Rubrica de exceſſu Cardinalium, & Curialium.*

Verum ut huic obſecundem proloquio, nihil quicquam in hac Apologia proferre conſtitui, quod non evidenter & neceſſario ex Jure Divino & Naturali, actis indubitatis Conciliorum, ſcriptis Patrum, hiſtoriis authenticis, & catholicis auctoribus colligatur: atque etiam ipſius facti evidentia tam clare probetur ut à nemine judicii acumine prædito in dubium verti queat. Qua via & ratione juſtis hominum cenſuris, & redargutionibus me iturum obviam ſpero: iniquas autem cenſuras, quæ nulla propoſitione notata, aut ratione reddita, contra Canones ad opprimendam veritatem, & abuſus incruſtandos aut fulciendos cuduntur; aut etiam hominum obnoxiorum convitia nihil moror: quia ut ſæpe dixi Adverſariis, hominis eſt Chriſtiani, & præſertim Theologi conſtanter in fide atque unitate Eccleſiæ Catholicæ viventis, non mundi hujus corruptibilis diuturnitate, nedum præſentis vitæ terminis, ſed ſola æternitate vitam ſuam, omneſque actiones metiri.

AXIOMA VI.

Solum literalem ſenſum Sacræ Scripturæ, dogmatibus fidei confirmandis uſui eſſe poſſe: & quanta vis inſit argumentis à ſimilitudine & negatione, ut vocant.

VI. CÆterum quia omnium Philoſophorum conſenſione invaluit, ſemper Concluſiones in debiliorem partem Argumenti propendere: quatuor Conſectaria inde neceſſario exurgunt: primum, cuncta dogmata fidei ad Jus divinum primarium & poſitivum ſpectare, atque ex ſolo literali & hiſtorico ſenſu plano, atque evidenti directe elici oportere: nequaquam vero ex Allegoriis, Metaphoris, Parabolis, vel alio quopiam ſenſu indirecto, abſtruſo, implicato, detorto, & longius petito; cujuſmodi eſt Parabolicus, Allegoricus, Moralis, Tropologicus, Anagogicus &c. niſi forte ejuſmodi allegoriæ & ſimilitudines aliis locis clariſſimis Scripturæ juventur, & evolvantur.

Alterum conſectarium, ex majore propoſitione Syllogiſmi de ſenſu literali & directo: minore autem de indirecto, Metaphorico, Allegorico, Morali, Myſtico, vel Parabolico ſenſu, &c. Concluſionem non ſimpliciter, & abſolute, ſed

te, sed metaphorice duntaxat, analogice, & secundum quid, capi oportere. Quamobrem S. Dionysius epistola ad Titum rectè ait, *Theologiam mysticam non esse argumentativam, aut demonstrativam.* Et S. Augustinus epistola 48. ad Vincentium Donatistam Rogatianum circa medium: *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in Allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta Testimonia quorum lumine illustrentur obscura?* Nam Donatistæ sio errori firmando locis allegoricis Scripturæ patrocinari conabantur. His de causis Gersonius de vita Spirituali animæ, lectione secunda, hanc Doctrinam vocat *Magistralem conclusionem:* quia omnium Philosophorum, & Theologorum consensu percrebuit; argumentum parabolicum aut allegoricum, altero pede semper claudicare. Legendus quoque Almainns de potestate Ecclesiastica & laica, quæst. secunda cap. 12. Et hinc dignoscitur quæ vis & pondus insit argumento Bonifacii VIII. ducto ab allegoria duorum gladiorum Lucæ 22. *Domine, ecce duo gladii hic* &c. Quo ex textu inducere Papam utrumque habere gladium, est ex Quolibet colligere Quodlibet.

Tertium Consectarium, quando Ecclesia aut Papa ipse, directe, & Jure divino positivo, claro atque perspicuo, donatus est potestate ligandi, & solvendi spiritualiter tantum, & privandi Christianos, etiam hæreticos sola communione Ecclesiastica, Axiomate XIV. & XVII. plane quidem erroneum est asserere, Papam indirecta potestate, hoc est, per multiplicem ratiocinationem Scholæ argutiis detorta, atque extorta; posse Reges hæreticos regno abdicare aut etiam vita privare; sicut docetur Directorio Inquisitorum, & à Bellarmino, Suare, Becano, Santarello, atque aliis Jesuitis confirmatur: suntque deuteroses iis similes quas Dominus in Scribis & Pharisæis culpabat.

Quarto pro appendice superiorum contendo in ratione potestatis, aut privilegiorum divinitus concessorum Ecclesiæ aut Pontifici, certissime tenendum ea solum dari, quæ lege divina nominatim & directe exprimuntur, aut necessitate consequentiæ colliguntur ex Scripturis: Contra autem illa omnia negari quæ nec speciatim excipiuntur, nec data aut excepta esse privatim demonstrantur. Quo ex fundamento pronum erit, colligere ex Scripturis quænam immunitates & privilegia jure divino concessa sint Ecclesiasticis, & B. Petro ratione primatus, & potestatis Ecclesiasticæ; de quibus agetur Axiomate XXX. & XXXVI.

Sed quoniam omnium sermone decantatur, argumenta à similitudine altero pede claudicare; item à negatione nullius esse ponderis: hîc monendus Lector, omnia præcepta ad fidem spectantia, debere aliquo præcepto positivo & affirmativo Sacræ Scripturæ clare, & directe comprobari: consequenterque dato quod tale præceptum aut aliquid æquivalens unde necessitate consequentiæ non evidenter, & necessario eliciatur, minime occurrat in Scripturis: tum intrepi-

trepide ſtatuendum nuſpiam tale præceptum extare. Et ita inimus abſolutam Papæ Monarchiam qua Eccleſiæ libertas hodie opprimitur, rem eſſe penitus humanam, & fictitiam, quia nullum ejus veſtigium extat in Sacris Scripturis, Conciliis, aut libris Patrum antiquorum: immo verò eam funditus diruunt, Axiomat. XIV. XV. XXIX. & XXX.

OBSERVATIONES in III. IV. V. & VI. AXIOMA.

7. *De Juris Naturalis diſtributione in primarium, ſecundarium ſimplex, & complexum.*
8. *De triplici Juris Divini partitione in Jus Divinum poſitivum, Jus Divinum ſecundarium ſimplex, & complexum.*
9. *De Jure Canonico, & Scriptis Patrum, quantæ ſint auctoritatis.*
10. *In Patrum lectione ſemper dogmatica ab oratoriis ſecerni oportere.*

VII. CUm Deus Optim. Max. populum Iſraël ad Dominicæ incarnationis œconomiam peragendam delegiſſet, eandem ob cauſam uni & ſoli Iſraëliticæ genti legem Moſaicam credidit ut Iſraëlitæ partim Jure ordinario, partim Prophetarum reſponſis extra ordinem regerentur. Contra vero, quia Deus Pater Chriſto filio dilectiſſimo univerſas gentes dedit in hæreditatem, & figuræ veteris Teſtamenti complementum ſortitæ ſunt, ideo voluit mundum univerſum ſub Chriſto, partim Naturali, partim Divina lege, & Sanctionibus Canonicis gubernari, neque extraordinaria reſponſa aut revelationes de cælo expectari, ut mos erat Iſraëlitis. Profecto S. Auguſtinus Eccleſiam Jure divino, naturali, & Canonico regi debere ſic perhibet *Diſt.* 12. *Can. Omnia talia quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.* Itaque quatuor præcedentibus proloquiis, triplicem juris ſpeciem comprehendimus, ut ex Sapientis præcepto triplicem funiculum nectaremus, cujus ope omnes Theologi; & ſuas, & aliorum lucubrationes, velut quodam perpendiculo probarent aut improbarent. A lege autem naturali tanquam à priore atque nobis evidentiore probandi initium fecimus, propterea quod nobis innaſcitur, eſtque velut divinæ Legis proœmium, quod ſequenda fugiendaque præmonſtrat: *Eſt enim non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus*, ut ait Cicero pro Milone; & Apoſtolus cap. 1. ad Romanos: *Inviſibilia Dei à creatura mundi Per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus,*

virtus, & divinitas. Hercle quidem, ut Axiomate IV. oſtendimus, Deus cap. 20. Exodi, & 5. Deuteronomii, & multo uberius cap. 5. 6. & 7. Matthæi, voluit Legem naturalem tanquam divinæ Legis Iſagogen, ſervumque atrienſem Euangelii, & Pædagogum in Chriſto inſtaurari; quatenus ex mutua analogia, & neceſſitudine Naturæ cum gratia, homines accurate ratiocinando, atque inductiones inferendo, ad Legis Euangelicæ notitiam aſſurgerent. Qui enim rectam ſequitur rationem, nunquam aberrabit, quoniam æternum Patris λόγον, id eſt, Chriſtum gratiæ auctorem habet ducem, ſaltem implicite, atque interpretative. *Quis oſtendet nobis bona? Signaſti ſuper nos lumen vultus tui, Domine, dediſti lætitiam in corde meo* Pſal. 4. Nam imago, & ſimilitudo ſpirans, & viva deſiderio ſui Prototypi atque originis geſtit, & exultat, agendaque & fugienda in cor noſtrum inſinuat. Utque de meipſo profitear, certe præter fidem quam in Chriſtum Dominum redemptorum noſtrum habeo; cujus fidei beneficio *Spiritus quotidie clamat: Abba Pater; ac gemitibus inenarrabilibus inceßanter pro nobis orat*, & cor noſtrum exſtimulat, nihil eſt quod me in hoc perditiſſimo Atheorum, & Hypocritarum ſeculo tantopere conſoletur, atque in fide Chriſtiana corroboret, quam dum obſervo Legem gratiæ, & perfectæ libertatis, ſuaviſſimis Legis naturæ regulis penitus congruere. *O Domine, ſignaſti ſuper me lumen vultus tui, dediſti lætitiam in corde meo: noſque leni tuo jugo, & ſarcinæ levi ſubdidiſti: atque Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligaſti*, inquit Auguſtinus Epiſtola 118. ad Januarium: cui concordat S. Hilarius decimo de Trinitate ſub finem: *In ſimplicitate itaque fides eſt, in fide juſtitia eſt: in confeſſione pietas eſt. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere ſolicitat: in abſoluto nobis ac facili eſt æternitas, Jeſum ſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe Dominum confiteri. Si quis enim voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet & de doctrina, Joann. 7.*

Cæterum duplex eſt Jus naturale; primarium ſcilicet, & maxime proprium, deinde ſecundarium vel minus proprium: quorum prius cuncta generalia principia notiſſima: poſterius ſolas concluſiones, Inductiones, & appendices complectitur, quæ à jure naturali primario, tanquam rivuli à fonte manant. Sed præciſe illa Naturæ legem conſtituunt, quæ prioris ſunt generis: quia ut paulo ante ex M. Tullio obſervavi; *hæc non ſcripta ſed nata lex*, &c. Quamobrem ad naturæ legem evidentiſſima, & notiſſima quæque Juris naturalis principia referre oportet: quorum ſupremum, generaliſſimum & omnibus mortalibus pervagatiſſimum eſt, *Deſiderium ſui & ſua conſervandi*, omnibus quidem ſic à natura inditum, ut non modo in pueris rationis uſu orbatis, ve-

rumetiam in ipſiſmet belluis ſuo quoque modo exſplendeſcat. Ut enim abundantius, & cumulatius eſſe habeas, primum eſſe, atque vivere oportet. Quo ex principio tanquam à naturali ſcaturigine cuncta alia profluunt: cuiuſmodi eſt *deſiderium beatitudinis, libertatis, ſocietatis civilis, & vitæ honeſtioris.* Item *alteri non facere quod tibi fieri nolles*; & contra *alteri facere quod tibi fieri velles juxta rectum rationis uſum*, & ſimilia, quæ ipſius naturæ ductu, & auſpiciis, abſque ulla ratiocinatione hominibus patent. Hincillud egregium Ciceronis documentum primo officiorum: *Bene*, ait, *præcipiunt qui vetant quicquam agere quod dubites æquum ſit an iniquum: æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.* Et tertio libro, illos velut ſceleratos atque impios graviter criminatur, *qui deliberant, utrum id ſequantur quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent: in ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiam ſi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda non ſunt in quibus eſt turpis ipſa deliberatio: atque etiam in omni deliberatione celandi, & occultandi ſpes, opinioque removenda eſt: ſatis enim nobis perſuaſum eſſe debet, ſi omnes Deos hominesque celare poſſimus, nihil tamen avare, nihil injuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum.* Quæ oratio nos docet in rebus moralibus minime ratiocinandum ad excuſandas excuſationes in peccatis, ut hodie mos eſt plurimis, pulvillos conſuentibus ſub cubitis peccantium. *Quod enim ſimplex ſincerumque id & naturæ conſentaneum*, eodem Tullio auctore: ex quo facile eſt conjicere, utrum duplicitas & verſutia æquivocandi rectæ rationi conſentiat, & in civili ſocietate admitti debeat. Profecto Ethnici contra æquivocandi artifices & compenſatores peccatorum exſurgent in die judicii. Ex omnibus autem operibus antiquorum, nullum arbitror in rebus moralibus cum Ciceronis, Senecæ & Marci Antonini Imperatoris libris comparandum, & in quibus efficaciora & luculentiora legis naturæ principia ad vitam bene inſtituendam clarius effulgeant. Quare Officiorum volumina, quæ Plinius nunquam de manibus ponenda, & memoriter ediſcenda ſcribit, merito *legis naturalis Euangelium* nuncupari poſſe arbitror.

Venio ad Jus naturæ ſecundarium, aut minus proprium, quod ratiocinando per neceſſariam & evidentem conſequentiam aut inductionem ex jure primario elicitur, & bipartito dividitur, puta in ſimplex & complexum: quorum illud unica ratiocinatione clare & expedite colligitur: ut verbi gratia, dato *univerſos homines Naturæ inductione amantes eſſe ſuæ conſervationis*, inſurgit illos pariter naturali magiſterio beatos eſſe percupere. Quo ex proloquio hæc alia ceu rami à trunco, & radice arboris pullulant: *primum homines natos eſſe ad civilem ſocietatem*, extra quam nullus ſe naturaliter tueri aut beatus eſſe poteſt. Quæ occaſio fuit Ariſtoteli aſſerendi primo Politicorum, illos qui extra ſocietatis civilis commercium vitam degunt, aut Deos eſſe aut beſtias. Alterum

conſe-

consectarium est, *naturæ repugnare aliquam esse rempublicam servorum:* qualis est hodie Turcicum imperium cum omnibus ferme Dynastiis, & principatibus Orientis: ubi Reges despotice regnant, & continuo nullus subditorum ibidem beatus esse potest, si ad naturæ & civilis societatis propositum attendas: quoniam animus bene à natura informatus servire recusat. Tertium consectarium, *ad civilem vitam secundum naturæ ductum feliciter degendam, aliquo opus esse principatu*, & consequenter electiones Juris esse naturalis secundarii. Nam cuncti homines etiam in extrema Barbaria nati, imo ipsimet pueri, sola naturæ propensione, *Rex eris* ajunt *si bene feceris.* Quod si forte objiciat aliquis lib. 1. Regum cap. 8. Samuelem juris Regii breviarium, juri naturæ, atque humanæ libertati, plane contrarium, conscripsisse: excipies illum voluisse populum Israël ab Regis habendi desiderio absterrere, ei proposita humani regiminis principum Orientis, quod tum affectabat differentia, à suavissima Dei moderatione, qua sub Samuele, atque aliis Prophetis, & Judicibus gubernabatur. Quod genus regiminis Exodi 19. versu. 6. vocatur *Regnum sacerdotale*, & à Josepho θεοκρατία, quia omnium erat suavissimum, & legi naturæ maxime consentiens, in quo ipsi qui alios regebant erant Sacrificatores & Judices, non Reges vocabantur. Cum enim, ut jam observavi, Deus propter incarnationem filii unicum populum Israël sibi delegisset, ejusque privatim regendi curam capesseret, moleste quidem ferebat Israëlitas, quasi divini regiminis fastidio de Rege habendo, more aliarum nationum Orientis, cogitare: quæ Nationes Regibus suis despotice subjiciuntur: idque est quod Samuel indicat, summam juris Regii explicans: futurumque sciebat Dominus ut Reges Judæorum suo exemplo populum ad Idololatriam allicerent, & pertraherent. Quare eidem Samueli nominatim ait, *Non te abjecerunt sed me, ne regnem super eos.* At maxime dignum observatione mitissimum Dominum, statim atque Judæos in proposito Regis habendi constanter perseverare animadvertit, ne illos contra jus & libertatem naturalem absolute regere videretur, eis tandem concessisse ut sortito sibi Regem constituerent, quod electioni æquipollet. Sed relicto Jure divino naturali simplici, & incomplexo, transeamus ad complexum atque involutum, quod ut cognoscatur, variam & multiplicem animi inductionem exigit: unde solis sapientibus, accurateque ratiocinantibus pervium esse potest, ut verbi causa *Depositum aliquando non reddendum*: *Errorem communem facere jus*, atque alia ejusmodi.

IIX. Duplex quoque est Jus divinum, ut omnes censent Theologi, quorum labor & industria tota in illo explicando, distinguendo, & colligendo occupatur. Quæ enim ex Sacris Scripturis clare colliguntur, perinde habenda ac si in illis concepta essent. Legendus Gersonius Tractatu *de credendis ad necessitatem salutis, & lib. de Spirituali vita animæ*, lectione secunda:

item Melchior Canus lib. duodecimo de Locis cap. sexto. At Jus divinum primarium etiam Positivum appellatur eo quod tam clare & explicate in Sacris Scripturis ponitur, & asseritur, ut ad planam sui cognitionem, & intelligentiam nihil ferme aliud præter vocum atque terminorum quibus exprimitur notitiam desideret: sola enim lectione absque ulla ratiocinatione innotescit. Nam, ut ait Augustinus 2. de doctrina Christiana cap. 9. *Quæ ad fidem & bonos mores pertinent, aperte traduntur Sacris Scripturis: hisque solummodo ad convincendos Ecclesiæ hostes utendum est*, ut idem contra Epistolam Parmeniani & Petiliani multis confirmat. Exemplo erit hoc præceptum Euangelii, *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Matthæi 28. Ex cujus loci nuda lectione dignoscimus Baptisma esse penitus ad salutem necessarium, atque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti conferri oportere. Similiter cap. 26. Matthæi claret, Dominum discipulis suis verum & proprium corpus, non solam figuram, aut symbolum, & similitudinem corporis edendum porrexisse. Nihil enim, si ad verba & mentem Testatoris attendas, clarius dari potest: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, &c. Quæ verba ut mens Testatoris intelligatur, nulla ratiocinatione, sed sola lectione indigent. Hercle communis experientia comprobat, bonum, & prudentem Patremfamilias nunquam clarius, & magis ex animo loqui, quam dum Testamentum conditurus totam familiam de iis erudire vult, quæ ubi mortalitatem exuerit, à liberis suis servari desiderat, præsertim ut pacem & concordiam inter eos conciliet, ac stabiliat, ne de Patris voluntate tanquam dubia vel obscura digladientur. Quapropter magnam hodie Christo faciunt injuriam, quasi esset Deus dissentionis, non pacis & concordiæ, qui dum conderet Testamentum, propriumque corpus in cibum, & sanguinem in potum, ad jugis & perennis convivii apparatum daret, illum vocibus Metaphoricis, ambiguis, aut obscuris usum perhibent: cum certissimum ac evidentissimum sit, omnium maxime propria, & clarissima usurpasse vocabula, quæ in hoc Mysterio explicando impendi poterant: idque ipsum quatuor Euangelistæ, S. Paulus & Patres antiqui testantur. Itaque monstro simillimum est sectarios qui cæteris in rebus tam ardenter pro sensu literali Scripturæ vindicando præliantur, contra in hac formula Testamenti Domini explicanda, *hoc est corpus meum*, &c. ad Metaphoras, & allegorias confugere, sicque Judæos imitari, qui imaginarium, quam verum & præsentem Messiam habere malunt: ut præterea omittam Metaphoras, & allegorias dogmatibus fidei constituendis, & condendis Testamentis minus utiles esse vocibus proprie sumptis, Axiomat. VI. Quod verò clausulam hanc obtendunt, *Petra autem erat Christus*, prior.

ad Co-

ad Corinth. 10. Respondeo eos fallere vel falli, non observata veteris atque novi Testamenti differentia. Cum enim lex Mosaica umbra esset futurorum bonorum, atque omnia Judæis in figura contingerent Hebræorum 10. idcirco petra Christum apud Judæos significabat, Numerorum 20. Christo autem revera fruimur in Lege Euangelica: & ita prodigiosum quidem est homines novitatum amatores, verba Domini & Euangelistarum ad puram, symbolicam, & figurativam manducationem detorquere: ac si vera ratio & natura Sacramenti cum veritate & realitate corporis & sanguinis Christi nequaquam perdurare posset, aut hoc quidpiam absurdi involveret. Sed contendunt, præcipuum effectum hujus Sacramenti esse collationem gratiæ, eamque continuare speciebus panis & vini quasi momento temporis in stomacho Christianorum absumptis: ac proinde hæc Spiritualiter potius, juxta naturam spiritualem Sacramentorum & gratiæ per fidem (sicut in Baptismo) quam corporaliter & realiter intelligi oportere: & continuo realitatem nulli esse usui Ecclesiæ, cum tam cito absumatur. Rependo, sicut diversa est ratio sepulturæ, & convivii: ita & differentem esse naturam Sacramenti Baptismi, & Eucharistiæ. Siquidem *per Baptismum consepelimur cum Christo in mortem peccati*, Roman. 6. & 2. ad Colossenses. Quare sicut sepultura res est transvolans quæ semel tantum peragitur, quia semel morimur: ita semel tantum baptizamur in vita, neque Baptismus iterandus. Sed quoniam convivium res est vere subsistens, frequenterque iteratur, ac realiter, & vere percipitur: ideo etiam Christus cum suum corpus, & sanguinem in Eucharistiæ Sacramento nobis per modum alimenti, atque jugis convivii tradiderit, propterea corpus suum vere, & realiter in Eucharistiæ mysterio subsistere, asservari, & coli in Ecclesia voluisse, ut omnibus esset solatio, & pro viatico morientibus daretur: cujus rei innumera extant exempla apud Patres Ecclesiæ primitivæ, quibus exemplis claret, sectarios hujus seculi nullo modo cum Ecclesia Apostolica consentire. Lege Eusebium lib. 6. cap. 36. de Serapione, & Ambrosium in funebri oratione fratris sui Satyri. Itaque dum sectarii inter Sacramenti Baptismi & Eucharistiæ naturam minime distinguunt; & ad sobrietatem sapere, atque Ecclesiæ pacem & unitatem servare nolunt, non pertinent ad corpus Christi, quod est Ecclesia. Sed objiciunt, Dominum justo & perfecto convivio alumnos suos voluisse in vitam æternam recreare & saginari: justum autem & perfectum convivium non esse, in quo panis absque vino apponitur contra præceptum Domini Joannis 6. à versu 53. & cap. 11. prioris ad Corinthios: quam in rem laudant usum primitivæ & Græcanicæ Ecclesiæ, quæ sub utraque specie perpetua Synaxim peregerunt. Respondeo usum calicis semper indifferentem fuisse veteribus: ita ut eo qui vellet uteretur aut abstineret pro animi sui sententia. Et quoniam permulti

BIBLIOTECA REALE ROMA VITTORIO EMANUELE

quiritantur ſe hac ſolum de cauſa in ſuo ſchiſmate obdurare, vellem profecto ut cum bona Eccleſiæ venia, uſus priſtinus ad ſarciendum ſchiſma reſtitueretur atque paci & concordiæ conſuleretur, quantum fieri poteſt.

Cæterum poſita corporis Chriſti præſentia juxta iſtud Euangelii oraculum, *hoc eſt Corpus meum*: neceſſitate conſequentiæ infertur, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe adorandum: idque ad Jus divinum ſecundarium ſpectare, quod ejuſmodi eſt, ut ratiocinando ex Sacris Sripturis clare, & directe velut concluſio neceſſaria ex propriis principiis colligatur. Quamobrem Suares lib. 4. de legibus cap. 4. numero 19. & quidam alii Theologi, hanc ſecundam Juris divini naturalis ſpeciem appellant Jus divinum naturale: quia non ſola lectione, ut Jus divinum poſitivum, & primarium innoteſcit, ſed lumine Naturali per ratiocinationem exprimitur. Ut autem dicam quod ſentio, iſthæc Juris Divini Naturalis appellatio non mihi ſatis evoluta videtur: quando certum eſt, Legem naturæ, de qua paulo antè diximus, Jus Divinum Naturale à cunctis Theologis ideo nominari, quod Deus eſt naturæ opifex: unde Juri Divino ſecundario, nomen Juris Divini Naturalis tribuere, eſt æquivocationibus ea involvere, quæ maxime clara, & explicata eſſe debent. Sed quoniam exploratiſſimum eſt, conſectaria vel concluſiones ad imbecilliorem partem argumenti ſemper inclinare, Axiomat. VI. ſtatuendum, quanto aliqua Concluſio ex ſacris hauſta literis plus aut minus ratiocinationis exigit: conſequenter etiam tanto plus aut minus Juris Divini & firmitatis obtinere: quæ enim ad fidem, & dogmata conſtituenda pertinent, ea clariſſime oportet ex Scripturis Sacris colligi. Quamobrem Jus Divinum Secundarium in ſimplex & complexum diſtribuemus: quorum illud unica & ſimplici inductione animi, neceſſitate conſequentiæ ex Scripturis elicitur. Complexum vero multiplicem, & anxiam animi collectionem expetit, ac proinde multo minus Juris Divini poſſidet, neque ita ad fidem Catholicam, conſtituendam facit, ut Jus Divinum ſimplex: cujus eruendi formam ipſemet Chriſtus perdocet cap. 22. Matthæi de animæ immortalitate adverſus Sadducæos diſputans ad quos, *erratis*, inquit, *neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo: de reſurrectione enim mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis, ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum ſed viventium.* Certe eo ipſo quod Dominus ſeſe vocat Deum Abraham, Iſaac & Jacob, & Deum viventium, non mortuorum: inde colligit, & convincit animam eſſe immortalem, & continenter reſurrectionem mortuorum. Quo genere argumenti Apoſtolus pariter utitur cap. 15. prioris ad Corinthios: *Si reſurrectio mortuorum non eſt, vana eſt fides noſtra. Quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Equidem

auctore

auctore Bellarmino lib. primo de Purgatorio cap. 3. circa medium, Scriptura per animæ immortalitatem aliquando mortuorum resurrectionem, & contra per resurrectionem animæ immortalitatem comprobat: eam vero clare & explicate Christus docet Matthæi 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere:* & Lucæ 23. dum alteri latronum vitam meliorem pollicetur his verbis: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Nam ut ait Ecclesiastes cap. 12. versu. 7. *Spiritus hominis redit ad Deum qui dedit illum:* & versu 14. *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato sive bonum sive malum.* Quod autem cap. 3. versu 21. legitur, *Quis novit, si Spiritus filiorum Adam adscendat sursum: & si Spiritus jumentorum descendat deorsum?* in eam partem capiendum est, quasi in persona impiorum loqueretur: aut potius de notitia & scientia experimentali, atque omnibus evidenti & perspecta: fide autem duntaxat animæ immortalitatem tenemus: eam verò à Spiritu jumentorum longe distare clare docet Scriptura, narrans Deum solo verbo *Fiat*, omnia alia ab homine creasse: in hominis autem creatione quasi manum operi admoviſſe, hominem formando primum de limo terræ: deinde inspirando in faciem ejus spiraculum vitæ ad imaginem & similitudinem suam, ut omnibus rebus creatis nedum Jumentis dominaretur Geneseos 1. & 2. Sed ad Apostolum regrediamur, qui per Juris Divini secundarii inductionem Roman. 10. probat *nos esse hæredes, quia filii Dei sumus:* atque homini Christiano nihil timendum, quando Deum habet protectorem: Si filii & hæredes, inquit, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quid ergo dicemus ad hæc, si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiam *cum illo nobis omnia donavit?* Præterea ex facultate remittendi, atque retinendi peccata, & solvendi atque ligandi animas (quæ facultas Juris est divini positivi Matthæi 16. 18. & Joannis 20.) unica & simplici collectione per necessitatem consequentiæ inferimus peccata remitti aut retineri non posse absque certa & evidenti illorum notitia: & continuo declarationem, & confessionem peccatorum quoad rem & substantiam Juris esse divini secundarii: propterea quod nulla sit peccatorum remissio absque mentis mutatione & confessione peccatorum apud Deum. Quod vero attinet ad existentiam, id est modum, & ritum confessionis, est quidem Juris Ecclesiastici: nimirum ut hic ritus confitendi sit publicus aut secretus coram sacerdote. Porro ex secreta confessione exsurgit sigillum, quod arcanam confessionem sequitur ut effectus causam. Quia autem Lex divina supremo illi & generalissimo Legis Naturalis principio contraria esse nequit, quo principio omnes sui conservationem desiderant: inde ratiocinando colligimus, Deum voluisse ut per publicam peccatorum confessionem nobis & infamiam, & periculum

crearemus: ſiquidem *jugum Domini ſuave eſt, & gratia Naturam non deſtruit ſed perficit*: conſequenterque inſurgit, potius ſecretam quam publicam confeſſionem peccatorum coram ſacerdote eſſe neceſſariam. Quem in finem olim in Eccleſia primitiva poſt errorem Novatianorum publicus ſacerdos pœnitentiarius inſtitutus, & aliquot ſeculis poſt à Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo abrogatus eſt in Eccleſia Conſtantinopolitana; ut Socrates libro quinto cap. decimo nono, & Sozomenus lib. 7. cap. 16. memorant. Verumtamen hic ritus privatim confitendi ſacerdotibus, ſemper continuavit in Eccleſia Occidentali, de quo tandem ſub Innocentio III. in Lateranenſi Synodo ſalutare præceptum annuatim confitendi die ſancto Paſchæ conditum eſt cap. *Omnis utriuſque ſexus*, idque ut permultorum negligentia caſtigaretur. Denique in Græcia poſt illum publicum pœnitentiarium abrogatum à Nectario, cum Naturæ inſtinctus, & ſtimuli conſcientiæ, homines Chriſtianos adigerent ut frequenter ſacerdotes, velut Spiritualis Medicos privatim conſulerent, tum demum jure poſtliminii mos confitendi in uſum rediit apud Græcos, atque in hunc diem invaluit, ſicut ante præceptum Synodi Lateranenſis omnibus liberum erat in Eccleſia Latina peccata ſua abſque ulla temporis præſcriptione, quandocumque vellent confiteri. Hæc autem juris & facti quæſtionem, quo ad uſum Confeſſionis aperiunt.

Porro Jus divinum complexum, omnes capit Tropos, metaphoras, allegorias, ſimilitudines, & cætera ex quibus certa & evidens Concluſio, abſque varia & multiplici ratiocinatione exprimi nequit: Unde aliquanto minus Juris Divini ſibi vendicant quam alia quæ pertinent ad Jus divinum ſimplex. Nullus tamen negare poteſt maxime habendam rationem Troporum, allegoriarum, parabolarum &c. ſi modo non longius petantur, & clariſſimæ ſint: quandoquidem hæc ad tertium genus Legis Divinæ involutum & complexum ſpectant, & mos eſt Orientalium loqui per parabolas. Huc ergo refer parabolam Zizaniorum Matthæi 13. qua edocemur malis parcendum ne bonis noceatur: item metaphora fundamenti domus, petræ, paſtoris, ligandi & ſolvendi Matth. 16. & Joannis ultimo: quibus in eo genere nihil clarius dari poteſt: & idcirco Primatus Petri inde colligitur & confirmatur Axiomate XXX.

Summam hujus diſputationis de Juris divini diſtributione in tres ſpecies, concludam illuſtri ſententia S. Bernardi opere de præcepto & diſpenſatione cap. decimo: *Melius eſt*, ait, *obedire Deo quam hominibus, & Magiſtris quam condiſcipulis: majoribus quippe major, minoribus minor opera noſtra & cura debetur: de quorum etiam contemptu, juxta eandem conſiderationem gravior leviorve offenſa contrahitur. Tam ergo qualitas præceptorum quam auctoritas præcipientium, & obedientiæ præfigit metam, & inobedientiæ terminat culpam.*

pam. His itaque distinctionibus animadversis, & obedientiæ modus & inobedientiæ pondus facile reperitur: & his gradibus non solum inter diem, & noctem, sed etiam inter diem & diem: itemque inter noctem & noctem, inter bonum videlicet & melius, inter malum & pejus discernitur. Quocirca Lector cogitatè attendat, an præceptum Juris Divini primarii cum alio præcepto Juris Divini secundarii, aut etiam utrum Jus divinum secundarium simplex, cum Jure Divino complexo pugnet: quoniam sicut lumen solis, minora stellarum & lunæ lumina absorbet: itidem Jus divinum secundarium Juri Divino positivo & primario; sicut Jus divinum complexum debet cedere simplici in auctoritatis pondere. Sylvester *verbo Lex § nono: Ubi duo præcepta contraria Juris diversi ordinis inter se committuntur, tunc præceptum inferioris ordinis debet cedere præcepto ordinis superioris.* Quam ad regulam certissimam, si presbyteri qui confessiones audiunt in Ecclesia consideratè, ut par est, attendant, facile, & absque ullo scrupulo multas poterunt evolvere difficultates quæ ex hominum inceptis, & actionibus nascuntur. Verbi causa, præceptum est Juris divini positivi: *Non occides*, & *cunctos homines necessitate subditos esse Politicis potestatibus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, atque *bonum commune privato bono anteponendum:* quia pax publica, & salus totius populi inde pendet, Roman. 13. & Axiomate XXXIX. Jam demus, aliquem in secreta confessione referare sacerdoti conspirationem factam in caput Principis, & contra statum Reipublicæ. Quidnam erit faciendum Confessori? Censent Theologi, salvo sigillo debere Principem & Magistratum politicum periculi impendentis Reipublicæ generatim commonefieri. Hoc autem utrum regulæ S. Bernardi, & Sylvestri, de Juris Divini primarii cum secundario comparatione satisfaciat, Ecclesiæ Catholicæ judicio statuendum relinquo: quoniam confessio arcana & sigillum inde manans Juris duntaxat sunt divini secundarii: & confessio quoad modum publicum aut secretum juris est tantummodo Ecclesiastici. Hanc pericopen duabus Augustini regulis concludam: altera est *periculosum esse rationibus humanis, & non auctoritate ipsius Scripturæ sacram scripturam exponere*, lib. tertio de Doctrina Christiana cap. vigesimo octavo. Altera, *ad penetranda, & dissolvenda arcana Scripturarum, plurimum valere disciplinam disputationis; sed sophistica cavenda esse*, lib. secundo de Doctrina Christiana cap. trigesimo primo. Certè à sophisticis omnes errores, abusus, & hæreses quæ Ecclesiam infestant, manarunt: hæcque fuit causa S. Bernardo Epistola 189. ad Innocentium P P. querendi de Petro Abellardo primo Scholasticæ Theologiæ inventore, *quod rationem fidei humanis ratiunculis agitandam committeret.*

IX. Ultimo loco succedit Jus Canonicum, ad quod ea proprie revocantur, quæ Sanctorum communione, aut Catholica Patrum consensu Synodice, &

nice decernuntur, vel etiam totius Eccleſiæ Catholicæ tacita aut expreſſa conſuetudine recipiuntur, Axiomate III. Huc pariter accurrunt omnes Bullæ & Conſtitutiones Pontificum, quæ vel ex Canonum diſciplinis ſciſcuntur, aut etiam pro Juris Divini Naturalis, & Canonici interpretatione, exequutione, & vindiciis eduntur, & communi Eccleſiæ conſenſu auctorantur. Siquidem Papa invitam, inauditam, aut non conſentientem Eccleſiam obligare nequit, ejuſque ſcita non antè obſtringunt quam recipiantur, *Diſt. 4. Can. in iſtis.* §. *Tum Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.* Hercle communis eſt Theologorum ſententia, Leges vim actualem obligandi nanciſci non à ſolo actu primo quo conduntur, & vulgantur, ſed ab actu ſecundo quo in mores, actum, & operationem tranſeunt: tum enim proprie ſciſcuntur, & firmantur ipſo uſu: adi Gerſonium de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione quarta. Cæterum quoties in geſtis Conciliorum diſcors ſententia occurrit, Canones docent ſemper illius Concilii ſententiam potius amplectendam, cujus antiquior & potior eſt auctoritas, *diſt. 50. can. 28. Domino.* §. *In fine autem. & 33. quæſt. 2. Can. hoc ipſum.* §. *In fine.* Quæ cauſa eſt ut prudentes doceant in novis Conciliis potius antiquos Canones revocandos in uſum quam novos condendos, Axiomate XXIV.

In auctoritatis pondere Teſtimonia S.S. Patrum Juri Canonico ſuccedunt; quantique ſint pretii ad ſacras Scripturas collata, S. Auguſtinus variis docet in locis quos Gratianus ſuccenturiavit diſt. 9. à tertio canone ad nonum: quorum Canonum quintus ſic habet: *Ego ſolis Scripturarum libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere: ac ſi aliquid in eis offendero quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe Codicem, vel interpretem non aſſequutum eſſe quod dictum eſt, vel minus intellexiſſe non ambigam: alios autem ita lego ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerint, ſed quia mihi per alios auctores vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt.* Epiſtola 9. ad Hieronymum. Item lib. 2. cap. 31. & 32. contra Creſconium. Neque enim ſine cauſa tam ſalubri vigilantia canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & ſecundum quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus. At literas Cypriani non ut Canonicas habeo, ſed eas ex Canonicis conſidero, & quod in eis divinarum *Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo.* Conſulendus idem Auguſtinus *diſt. 19. can. in Canonicis.* Ex Gregorii XIII. emendatione, quoniam Gratianus Auguſti-

guſtinum interpolaverat. Hinc vero inimus, Patres & Doctores Eccleſiæ tantum mereri fidei, quantum & ipſi ſua ſcripta Legi Divinæ conformia effecerint. Quare Gerſonius de examinatione Doctrinarum, parte prima, conſiderat. prima docet; *Canonizationem alicujus perſonæ nequaquam homines compellere ut doctrinæ illius* qui eſt canonizatus firmiter adhæreant. Lege ejuſdem Gerſonii librum de vita ſpirituali animæ, & Bielem lectione 41. in Canonem Miſſæ *K.* ubi multa in eam rem commentatur. Hanc verò ſectionem finiam Regula Auguſtini lib. trigeſimo tertio cap. ſexto contra Fauſtum Manichæum: qua regula rationem probandi ſcripta genuina auctorum à ſpuriis ſic declarat: *In literis ſecularibus fuerunt certiſſimi auctores ſub quorum nominibus poſtea multa prolata ſunt, & ideo repudiata, quia vel his quæ ipſorum eſſe conſtaret, minime congruerent, vel eo tempore quo illi ſcripſerunt, nequaquam innoteſcere, & per ipſos vel familiariſſimos eorum in poſterum prodi commendarique meruerunt.* Quam ad regulam ſi Epiſtolas Clementis, Anacleti, & aliorum Pontificum qui Synodum Nicænam præceſſerunt contulerimus, repudium facile patientur.

X. At verò in legendis Patrum antiquorum ſcriptis, Theologi dogmatica ab oratoriis ſedulo diſtinguere debent. Illa autem voco dogmatica, quæ ad unius veritatis normam rigidiſſime ſcribuntur, congruenter ad cauſas eſſentiales rerum, abſque ulla amplificatione, extenuatione, aut alia figura vel colore Rhetorices. Contra verò oratoria ſunt quæ imperitæ plebi eruditionis, & movendis affectibus commentamur, ac proinde tropis, atque aliis ſchematibus quibus Oratores & Concionatores uti ſolent adornamus. Porrò Theologia Scholaſtica quando ſuis eſt contenta finibus, nec vitio nugatorum in ſophiſticas argutias degenerat, mirum in modum dignoſcendis & ſecernendis dogmaticis ab oratoriis inſervit; quia cauſas & principia rerum accurate indagat, & demonſtrat. Huc inſerenda regula Gerſonii *in Declaratione veritatum quæ credendæ ſunt de neceſſitate ſalutis ſexto gradu:* nimirum expendi oportere, *quæ plus conducunt ad nutriendam vel fovendam pietatem vel devotionem religioſam, & inflammandum affectum quam ad inſtruendum intellectum: & ubi pietas devota magis adſpicitur quam veritas certa. Reſpicit autem iſte gradus Legendas, & miracula Sanctorum, vitas Patrum, Viſiones devotarum perſonarum, & ſimilia: quæ omnia ſuſcipit Eccleſia, & legi permittit ad commovendos affectus pios fidelium,* &c. Similiter ad calcem libri de examinatione Doctrinarum poſt exemplum ſeductæ mulieris hæc ſubnectit: *Cæterum vocatio ſolitariorum & Monachorum iſta eſt ut plus ſtudeant affectui devotionis quam intellectus eruditioni,* &c. Quare ut dogmaticis tractandis ſe immiſceant, non multum probat.

AXIOMA VII.

Civilem ſocietatem, atque omnes Politiæ formas legitime conſtitutas, Juris eſſe Divini Naturalis à Deo conſecrati: atque omni perfectæ Communitati politicæ, prius & immediatius datum à natura ut ſeipſam gubernet, quam uni alicui ſingulari aut pluribus hominibus, ut totam Communitatem regant & continuo poteſtatem Eccleſiaſticam prius, eminentius ac eſſentialius unitati quam uni convenire.

XI. QUando Deus Geneſis 2. verſu 18. pronunciat, *non eſſe bonum hominem eſſe ſolum*; & Geneſis 9. poſt diluvium univerſam terram habitandam & replendam Noë atque ejus liberis impartitur, ut in ea Reſpublicas conſtituant: eamque ob rem decernit ut qui humanum ſanguinem fuderit, capite puniatur. Deinde Chriſtus Legem Naturalem in ſuis generalibus principiis auctoravit Axiomat. IV. & Matthæi 7. verſu 12. nominatim edicit, *ut quæcumque volumus homines nobis faciant, ea & illis faciamus, atque in hoc ipſo Legem & Prophetas conſiſtere*, Matthæi 22. verſu 40. & ad Romanos 13. verſu 10. Apoſtolus perhibet *plenitudinem Legis in dilectione conſiſtere*. Profecto hinc clare dignoſcitur bene & conformiter ad Legem dictum ab Ariſtotele cap. primo lib. primi de Republica, *Civilem ſocietatem Juris eſſe Naturalis*; & Juriſconſultos tria præcepta Juris Naturæ ſtatuiſſe, nimirum *honeſte vivere, neminem lædere, Jus ſuum cuique tribuere*: quibus præceptis Summa totius vitæ civilis breviter demonſtratur, & præſcribitur. Cum autem à principio univerſi homines Jure Naturali æque liberi, & æque potentes nati ſint: & multitudo populi collectim ſumpta nullius plane actualis Dominii, aut Principatus capax & idonea ſit; proptera quod major pars populi neque ad imperandum, neque ad parendum idonea eſt: eam ob cauſam Deus populo, & multitudini collectim ſumptæ, ſupremam duntaxat contulit auctoritatem quoad habitum, & in actu ſignato, ut tandem populus pro ſua propenſione naturali, Monarchicum, Ariſtocraticum, aut Democraticum principatum ſibi cooptaret. Quæ cum ita ſint, claret ſecundum Naturæ placita, prius atque immediatius alicui perfectæ Communitati politicæ inditum, ut ſeipſam quoad habitum & in actu ſignato gubernet, quàm ut Monarchicè, Ariſtocraticè, aut Democraticè gubernetur. Quia hoc pendet ab electione populi explicitè, aut interpretativè, expreſſè aut tacitè: & conſequenter legitima, atque ordinata poteſtas unius ſuper alios, à communi conſenſu populi derivatur, ut jam docuimus. Hiſque de cauſis propter peccatum Adami, Jus gentium tanquam appendix, interpretatio, & concluſio

cluſio Juris Naturæ introductum eſt, à quo præterea Jus belli manavit, *Meumque & Tuum*, quaſi limites totius orbis & provinciarum mundi, defixi ſunt: omniaque Regna & Dominia inde ortum habuerunt, ut docent Juriſconſulti *D D. de Juſtitia & Jure. L. manumiſſiones*, *L. ex hoc Jure Gentium*, *titulo primo.* Certè Jus Gentium implicitè & interpretativè populi conſenſum continet; quo conſenſu ſuprema poteſtas uni cuipiam defertur: idque, ut arbitror, eſt quod Juriſconſulti *Legem Regiam* vocant, *L. quod Principi placuit. D D. de Conſtitutionibus Principum*, *titulo* 4. Etſi enim multi Principatus ab uſurpationibus & invaſionibus primam ſuam originem traxerint, nihilominus progreſſu temporis in juſtum deſierunt Principatum, quem populus ſuo conſenſu comprobavit. Quare in omni libera civitate, aut principatu juxta naturam benè conſtituta, nunquam Leges in uſum & rem judicatam tranſeunt, abſque populi conſenſu, & receptione *Diſt. 4. can. In iſtis. §. Leges inſtituuntur.* Quæ cauſa eſt ut Reges Franciæ, quamquam omnium maximè abſoluti, tamen edicta, & Reges ſuas mittant ad Parlamentum ut conſignentur. Quia Parlamentum eſt velut medium inter Regem & populum: qua in re benignitas & juſtitia Regum noſtrorum maximè explendeſcit: qui non Electione ſed Jure hæreditario ſupremum adepti ſunt Principatum. Hæc enim Axiomata, præſertim locum obtinent in Electivo principatu, atque ex omnibus Electivis principatibus qui unquam extiterunt, aut extare poſſunt, maximè in Eccleſia: cujus poteſtas eſt duntaxat miniſterialis, ſpiritualis, omnium mitiſſima, liberrima, & Naturæ magis conſentanea; quippe quæ nullâ facultate abſolute cogendi prædita eſt, more poteſtatis ſecularis. Conſule Axioma I. & XIV. atque hinc certo ſtatue, ex Legis Naturæ inſtituto Eccleſiaſticam poteſtatem, priùs, eminentiùs, ac eſſentialiùs unitati quàm vni & ſoli Papæ convenire.

AXIOMA VIII.

Omnem politiam, conformiter ad cauſas ſuæ inſtitutionis, eſſe ſibiipſi Architectonicen, & ſufficientem: neque ejuſmodi facultate privari poſſe ab ullo.

XII. CUm Deus & Natura nihil fruſtra faciant, Axiomate III. certè ſicut cauſa finalis, ita & omnis Politia eſt ſibiipſi ἀυτάρκης, & ideoque omnibus rebus ad ſui conſervationem neceſſariis inſtructiſſima eſt; conformiter ad cauſas eſſentiales ſuæ inſtitutionis. Quod ipſum Ariſtoteles Naturæ genius de omni genere regiminis Politici cap. 2. libri prioris de Republica comprobat: & Moſes de Synagoga Judæorum, Chriſtus autem

de Eccleſia: ille quidem Deuteronomii 17. *Si difficile & ambigium apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem* &c. *Surge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem: & facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus*, &c. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Quem ad locum Chriſtus alluſiſſe videtur, quando inſtituit poteſtatem excommunicandi, Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. *dic Eccleſiæ: qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus:* quo de Oraculo amplius agetur Axiomate XVI. & XVII.

Verùm jam ſæpe monui, hîc nominatim agi de Electivo principatu: in quo ſuprema poteſtas quoad habitum & in actu ſignato ineſt per dominium, & proprietatem eligentibus, deferturque Principi electo, quoad uſum, exercitium, & exſequutionem. Itaque ſicut in Imperio Germaniæ & regno Poloniæ, ordines Imperii, & regni Poloniæ ſummam imperialis & regiæ poteſtatis auctoritatem ſemper penes ſe retinent: ſimiliter in Eccleſia ordo Hierarchicus collectim ſumptus, eminentiam, atque dominium poteſtatis Eccleſiaſticæ habitu, ſuppletivè, formaliter, originaliter, per dominium, & proprietatem retinet: idque adeo, ut tantopere repugnet Eccleſiam privari facultate ſeſe tuendi, & purgandi à nefariis per excommunicationem, quàm hominem ſingularem abdicari poteſtate ſeſe, & ſua privatim propugnandi ſecundum Jus Naturæ. Nam *propter quod unumquodque tale & illud magis.* Sanè quod Architectonicè, & per dominium ac proprietatem natura ſua alicui communitati nativum & peculiare eſt: aliter quidem quàm per uſum, exercitium, miniſterium & exequutionem uni & ſoli aut paucis qui deliguntur competere nequit: ſiquidem electio efficit ut ſint tanquam Procuratores, & Legati communitatis ad ejus ſuprema munia obeunda: adi Gerſonium de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideration. Quartâ, & de Auferibilitate conſiderat. Duodecimâ.

OBSERVATIONES in VII. & VIII. AXIOMATA.

XIII. IN hæc duo Axiomata quatuor potiſſimum notanda occurrent: primo Bellarminum ut nodos indiſſolubiles horum pronunciatorum declinaret, *fateri quidem abſolutè & ſimpliciter vera eſſe in Politicis corporibus Lege Naturali conſtitutis: nequaquam verò in Eccleſiæ corpore, in quo virtus ab extrinſeco procedit. Papa enim caput Eccleſiæ non habet auctoritatem ab Ec-*

ab Ecclesia, sed à Deo: ideoque principale agens Ecclesiæ non est Ecclesia sed Deus, inquit lib. secundo de Conciliorum auctoritate cap. 19. Sed multipliciter illudit veritati. Nam sicut annuo institutionem potestatis Ecclesiasticæ non ab ipsa Ecclesia sed à Christo immediate manare, quia solus Deus gratiam peccatorum facere potest: ita contendimus, Christum illam instituendo potestatem, eam originaliter, virtualiter, per proprietatem, & dominium individuum, & in commune detulisse omnibus Apostolis, atque discipulis suis, qui Ecclesiam repræsentabant, quo ejusmodi potestas facilius conservaretur, & propagaretur ad posteros absque ullo sumptu, labore & circumcursatione. Quare in toto ordine Hierarchico collectim sumpto habitat velut in totali & adæquato subjecto: quemadmodum videmus regiam potestatem inesse ordinibus Regni Poloniæ, qui eo fine Regem deligunt, ut Rex eandem potestatem quoad usum, ceu minister regni à quo deligitur, exerceat. Procul dubio Lex Naturalis quâ communitates politicæ sibi præpositos solent cooptare, nobis planè demonstrat, quidnam hac in parte de Lege Divina tenendum sit, Axiomate III. idque praxi certissima Ecclesiæ, quæ sacris electionibus Pastores sibi legere consuevit, demonstratur à B. Hieronymo *dist.* 93. *can. Legimus* §. *Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quo modo si exercitus Imperatorem faceret; aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint; & Archidiaconum vocent:* de Sacris electionibus, infra Axiomate XXXIII. jam multoties dixi, totâ hac Apologiâ me agere nominatim de Principatibus Electivis, non de Hæreditariis, qui armis quæsiti Victores quam volunt Legem victis imponunt. Etsi autem Curia Romana electiones abrogarit, nondum tamen efficere potuit, neque, ut opinor, unquam efficiet, quo minus Papa deligatur, utque hæreditate Sanctuarium Dei possideatur.

Secundò observandum est Ecclesiam sicut & civilem societatem non longiùs, aut precariò, vel aliunde quam à semetipsa post Deum, rationem & modum se & sua protegendi debere mutuari: alioqui sequeretur Ecclesiam non modò frustra & temerè institutam, verumetiam multo minus benè ac sufficienter rebus ad sui conservationem necessariis quam civilem societatem, & respublicas temporales cumulatam esse. Hanc autem sufficientiam Ecclesiæ congruenter ad causas essentiales Spirituales potestatis Ecclesiasticæ interpretari & capere debemus Axiomate XIV. Ex quo inducimus quamcumque Politiam civilem aut Ecclesiasticam prorsus contra Naturæ propositum, nedum temere & imprudenter facere, si aliquam Legem ferat, quam propriis viribus, & nativis opibus, id est causis essentialibus suæ institutionis facilè ergà majorem partem subditorum in rem judicatam mittere nequeat. Etenim sicut

omne

omne violentum Naturæ adverſatur, ita diuturnum eſſe nequit. Quocirca Bellarminus lib. quinto de Romano Pontifice, & adverſus Barclajum Naturæ placitis, & cauſis eſſentialibus Eccleſiaſticæ poteſtatis manifeſtò repugnat, dum Romano Pontifici auctoritatem indirectam in temporalibus eo ſenſu arrogat, ut Reges ſibi non obtemperantes regio ſolio detrudere poſſit: de qua controverſia nobis futura eſt diſputatio, Axiomate XXXVIII, & XXXIX. Interea dum verò hic urgeo, cuicumque competit poteſtas aliquid faciendi, ei pariter convenire media neceſſaria & ſufficientia ad illam poteſtatem exercendam: quando auctore Ariſtotele de ſomno & vigilia, *cujus eſt potentia, ejuſdem quoque eſt actus, atque exercitium poteſtatis*: aliàs ejuſmodi poteſtas eſſet omnino ſupervacua contra III. Axioma. At certiſſimum eſt poteſtatem gladii & armorum, ſine quibus Reges exauctorari nequeunt, nullo modo convenire Papæ formaliter ut Papa eſt, neque etiam Eccleſiæ quatenus Eccleſia differt à Republica civili. *Abſit enim dicere in ſummo Pontifice aut in Eccleſia eſſe formaliter poteſtatem ad occidendum, cui Dominus uſum gladii materialis prohibuit*, inquit Almainus de auctoritate Eccleſiæ cap. octavo ad quintum argumentum Cajetani. Unde etiam concludit, *in terris immediatè ſubjectis ſummo Pontifici, in quibus nullum recognoſcit ſuperiorem quoad temporalitatem, ibi Prætores ſeu Judices licitè cauſas ſanguinis exercere, non auctoritate quæ ſit formaliter in ſummo Pontifice, ſed auctoritate quæ eſt formaliter in populo*: quia ut duobus præcedentibus Axiomatis probatum eſt, populus quoad habitum, & in actu ſignato poteſtatem retinet; eamque ſuo conſenſu tranſmittit in Judices quos Papa directè, & per ſe deligit, & conſtituit in terris Patrimonii S. Petri. Quibus ita poſitis ampliùs inſto adverſus indirectam poteſtatem in rebus temporalibus quam Bellarminus adſcribit Pontifici Romano: Nemini datam poteſtatem indirectam in alium, quin pariter eidem juxta Naturæ dotes comperat facultas exercendi & exequendi per ſe, & non per alium, ejuſmodi indirectam poteſtatem: quoniam alioqui fruſtra, & inefficax eſſet. Unde cum Maxim. Pontifex ratione terrarum & dynaſtiarum patrimonii S. Petri indirectam habeat poteſtatem fundendi ſanguinis: in vim, & conſequentiam ejuſdem indirectæ poteſtatis, directè quidem, & per ſe, laicos Magiſtratus conſtituit: & ita cum Papa formaliter ut Papa uſum gladii exercere nequeat, illum indirectè exercet per Magiſtratus Politicos, in quos directum habet dominium & imperium tanquam Princeps Politicus. Ex quo à Contrariis infero, cuicumque non ineſt directa facultas ad aliquam poteſtatem indirectam gerendam & exercendam, neque eidem pariter ullo modo poſſe illam poteſtatem indirectam competere: quia ejuſmodi poteſtas indirecta contra naturæ inſtitutum exiſteret, ſuoque nativo effectu careret. Sed Papa aut Eccleſia non prædita eſt directa poteſtate ad arma diſtringenda ſine quibus Reges abdicari nequeunt. Ergo

ad ſen-

ad ſenſum & mentem Bellarmini iſta poteſtas indirecta nullo modo ineſſe poteſt Eccleſiæ aut Romano Pontifici. Quod confirmatur explicatione cauſarum eſſentialium poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ planè ſpirituales ſunt, abſque ullo Jure territorii, gladii materialis, coactionis externæ, aut poteſtate irrogandi pœnas temporales Jure Divino. Et ita habemus, Eccleſiam non poſſe ullum Chriſtianum, multóque minus Reges privare, aut exſpoliare Juribus, atque opibus quas Lege Naturæ, & Gentium poſſident. Accedit inſuper, Eccleſiam non poſſe integram familiam, nedum urbem, provinciam, vel Regnum excommunicare. Et quamquam Interdictum Generale loci adinventum videatur, ut eſſet inſtar generalis excommunicationis in populum univerſum: tamen oppono id genus pœnæ & coactionis violentiſſimæ penitus adverſari Legi Gratiæ, paci, & charitati Chriſtianæ, quæ finis eſt omnium Legum, & actionum Eccleſiaſticarum: conſule Axioma IX. & XVII. Non ſum quidem inſcius, Bellarminum quinto de Romano Pontifice cap. 7. ex conſtitutione Bonifacii *unam Sanctam*, docere, Papam non habere uſum ſed duntaxat Dominium & plenam directionem gladii: conſequenterque Reges teneri ad illius nutum explicare & recondere gladium. Et cap. decimo nono adverſus Barclajum: *Si nolit Imperator ad nutum ſacerdotis gladium ſtringere, vel ſi contra nutum ejus ſtrinxerit, & res ſit ad Bonum ſpirituale neceſſaria, coget illum Pontifex gladio ſpirituali, id eſt, cenſuris Eccleſiaſticis gladium materialem ſtringere aut in vaginam recondere: Etſi cenſuris non movebitur, & Eccleſiæ neceſſitas id requirat, liberabit ſubditos ejus ab obedientia, eique imperium abrogabit: ita oſtendet gladium eſſe ſub gladio, & utrumque gladium ad poteſtatem Eccleſiæ pertinere, quamvis non eodem modo.* Hæc Bellarminus, quæ alias demoliemur. Tantummodò nunc urgeo, hæc fruſtra & contra naturæ inſtitutum venditari. Cùm enim tantâ prudentiâ, vigilantiâ, & opibus bella gerantur, ſi Eccleſia aliquem cogeret Principem ad bellum alicui inferendum, ille, ut imperium, & cenſuras Eccleſiæ eluderet, poſſet quidem in ſpeciem exercitum conſcribere, & cunctationibus, atque aliis fabricis ſimilibus mandatum Papæ irritum efficere. Ex quo relinquitur, facultatem indirectam Bellarmini, ut jam obſervavi, naturæ propoſito adverſari, niſi Eccleſia ipſa per ſe & directè arma expedire, & diſtringere valeat. Quod autem Bellarminus & quidam alii nuperi ſcriptores obtendunt, Eccleſiam Jus habere fundendi ſanguinis, ut clarè habetur in Directorio Inquiſitorum, idque ex officio Inquiſitionis Romanæ, & geſtis Inquiſitorum confirmant à poſteriori; infra quidem explicabitur, & confutabitur. Non me fugit, à ſeculo Gregorii VII. ſolenne fuiſſe quibuſdam Pontificibus eorum Principum quos abdicare volebant Regna prædæ occupantibus exponere, ut hac arte alios Principes ad arma faciliùs excirent. Sed rependo, hæc eſſe mundanæ ſapientiæ arcana, non Legis Gratiæ placita: quæ

à fævis & ſanguine abhorret ; nec vult mala fieri ut inde eveniant bona.

Tertium notabile eſt, quando politicæ Poteſtates ſibiipſis ſunt ſufficientes, & architectonicæ, poſitum eſſe in manu politicorum Magiſtratuum ſeſe & ſua armis, atque aliis opibus, quibus ſunt à Deo inſtructi, tueri adverſus quoſcumque, etiam ipſos Eccleſiaſticos, ſi forſan novis rebus ſtudeant, atque injuſtis cenſuris, turbulentis concionibus, aut aliis novis atque inuſitatis dogmatibus vel perniciosis incœptis, ac molitionibus publicam tranquillitatem, quæ Juris eſt Divini Naturalis, infeſtent, aut violent: quod nominatim docet Pariſienſis Cancellarius, tractatu inſcripto, *Diſcuſſio illius aſſertionis, Sententia Paſtoris etiam injuſta tenenda eſt:* & opuſculo quod ab ipſo vocatur *Reſolutio circa materiam excommunicationum & Irregularitatum.* Item Franciſcus à Victoria Dominicanus Hiſpanus ſub finem primæ Relectionis *de Poteſtate Eccleſiaſtica, ſectione ſeptimâ §. octava propoſitio: & tertiâ Relectione de poteſtate Papæ & Concilii propoſitione vigeſimâ ſecundâ.* Quibus concordat M. Joannes de Pariſiis tractatu *de poteſtate Regia, & Papali* ferme initio capitis vigeſimi primi. Inſuper contendo, his graviſſimis temporibus quibus ab Henrici Magni excidio ſub infirma Ludovici XIII. ætate tumultuatur, & novi Doctores libros certatim edunt, quibus perſuadere conantur, Eccleſiaſticos *nequaquam de Jure ſubditos eſſe politicis Poteſtatibus in rebus etiam civilibus, & temporalibus*: Jure meritóque ſupremos Magiſtratus poſſe Sacramentum fidelitatis exigere ab Eccleſiaſticis tanquam ſubditis naturalibus Regum: etiam ab illis ipſis qui nihil temporalis poſſident. Quod ſi uſueveniat illos juxta nuperam artem Magiſtrorum æquivocandi, aut aliis dolis velle Magiſtratibus illudere: hos quidem Jure ſuo ad Status politici conſervationem, & ſupremam Regis auctoritatem vindicandam, prudenter uti poſſe ſervato temperamento parabolæ Zizaniorum. Quamobrem conſtitutio Innocentii III. *cap. Nimis de Jurejurando*, eo tantùm in caſu debet intelligi, quo Clerici ſuſpicione rerum novarum minime laborarent. Præterea neque Innocentii, neque ipſius Eccleſiæ Sanctiones Juri Divino, & Naturali, quo Clerici politicis Poteſtatibus ſubjiciuntur, ullo modo derogare, nihiloque magis Clerici à ſeculari poteſtate eximere, valent; quam Rex aut Magiſtratus politicus Chriſtianos à Spirituali poteſtate Papæ & Epiſcoporum abſolvere poteſt: ſiquidem unicuique quæ ſua ſunt, ſtrictè accuratéque ſervari, & reddi debent. Deum teſtem appello qui corda hominum ſcrutatur, me ſolo veritatis amore pro quæſtione Juris hæc ſcribere, rerum noſtrarum commiſeratione, & ſenſu acerbiſſimo doloris eorum affectus, quæ ſub ætate pupillari Regis vidi tumultuari. Profectò novorum Theologorum dogmata Euangelio contraria, Anarchiam quandam & confuſionem Babylonicam in Rempublicam Chriſtianam invehunt, qualem

lem deſcribit Habacuc cap. primo: *Lacerata eſt lex, & non pervenit uſque ad finem judicium.* Quid enim politicis Poteſtatibus exarmatis & imbellibus aliud futurum ſupereſt, quam ut civitas ita ſcindatur, ut in nos invicem cæco impetu more belluarum, & piſcium in mari irrumpamus, noſque mutuò dilaniemus? Amabo, lector, conſideratè perpende, ecquidnam Navi vela facienti accidere poſſit, in qua ſacerdotes turbas in navi concientes, & Navarcho parere non modò detrectantes, verumetiam legem dicere molientes, veherentur? Annon ſicut Nautis Jonam auctorem tempeſtatis in mare præcipitem dare jus fuit: ita & Navarchis in iſtos turbones animadvertere liceret, quando nullum aliud ſupereſſet remedium? *Nam ſalus navis ſuprema lex eſt.* Sed de his uberiùs Axiomate XXXVIII. & XXXIX. de juſtis autem, & neceſſariis Eccleſiaſticorum immunitatibus Axiomate XXXVI.

Quartò ùt Doctrinam Scholæ Pariſienſis in invidiam rapiant, obtendunt quibus principiis, & rationibus docet Papam exauctorari poſſe ab Eccleſia, iiſdem pariter viam munire populo ad Reges, & Monarchas cogendos in ordinem: atque ipſum Gerſonium in quadam concione habita coram Carolo VI. & Domino Delphino Franciæ, nec non in decem Conſiderationibus, quas ſcripſit *contrà adulatores Principum*, laudare veterum Philoſophorum ſententiam, Ariſtotelis nimirum, Ciceronis, Senecæ, & aliorum qui perhibebant nullam poſſe gratiorem, & acceptabiliorem hoſtiam offerri Deo quam Tyrannum; & conſequenter, hæc iis plane adverſari, quæ de Regiæ poteſtatis independentia ab alio quam à ſolo Deo venditamus. Rependo primum, longè differentem eſſe rationem gladii materialis Poteſtatum ſeculi, & Spiritualis Eccleſiæ; item furioſorum tumultuum, & ſeditionum quas populus in Reges atque Principes concitat; & Concilii generalis legitimè congregati, in quo totius Eccleſiæ conſenſu dictante Spiritu Sancto, ſententia fertur in Papam &c. Secundò quoad Pariſienſem Cancellarium, certum eſſe tribus aut quatuor annis ante Ducem Aurelianenſem à Burgundo peremptum, ea dixiſſe & ſcripſiſſe quæ objiciuntur ab adverſariis, juxta veterum Philoſophorum Ethnicorum opinionem: deinde poſtquàm animadvertit M. Joannem Pariſ. in tanti ſceleris defenſionem furioſè incumbere, ſeſe in Concilium diligentiùs adhibuiſſe, ac priorem opinionem quam de Tyrannis tollendis, juxta Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum placita evulgarat, velut contrariam Euangelio planè mutaviſſe: affirmando porius hac in parte Chriſtianis quam paganis aſſentiri oportere: quia ut toties dixi, Lex gratiæ Naturam illuſtrat, & perficit, docetque, *non eſſe facienda mala ut eveniant bona.* Certè cum Ethnici crederent, ſola naturæ inductione Reges & Principes deligi, & conſtitui à populo, conſequenter etiam animum inducebant, poſſe naturaliter tolli, ſi evaderent Tyranni, contra quàm Lege gratiæ edocemur: nos enim informat, ſapientes aut

fatuos, bonos aut malos Principes à Deo irato vel propitio, hominibus propter eorum peccata dari ſicut annonæ, & frugum abundantiam aut caritatem, ſterilitatem & nimios imbres, cæteraque mundi mala; ac propterea Reges qualeſcumque ſint, patienter & cum humilitate ferendos, & quærendum eſſe auxilium divinum per pœnitentiam, & peccatorum emendationem: quando Scriptura teſtatur, *quod Deus regnare facit hominem Hypocritam propter peccata populi*, Job. 12. & dat *Regem in furore ſuo, & aufert in indignatione ſua*, Oſeæ 13. *& dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud*, Daniel 4. Unde B. Auguſtinus commentar. in Pſalm. centeſimum vigeſimum, quantum, ait, Chriſtianos Jure meritóque Juliano Apoſtatæ paruiſſe; eique honorem debitum politicæ Poteſtati reddidiſſe: *Aliquando injuſti perveniunt ad honores ſeculi*, inquit, *cum pervenerint, & facti fuerint Judices, vel Reges, quia hoc facit Deus propter diſciplinam populi ſui, non poteſt non fieri, niſi ut exhibeatur illis honos debitus Poteſtati* &c. Certè Eccleſiæ militantis virtus tribulationibus perficitur, neque eam inſtituit Dominus ut hîc altâ pace fruatur & triumphum agat, ſed ut continuò militet atque exerceatur, ſicut ibidem docet Auguſtinus: *Quoniam non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ſed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus, quando unus Chriſtus in claritate ſua apparens congreget omnes gentes, & dividat eas ſicut dividit paſtor hædos ab ovibus*, &c. *Ipſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum*, &c. *Et videte quia exhæreditati ſunt qui non amant pacem: Non amant pacem qui dividunt unitatem. Pax poſſeſſio piorum eſt, poſſeſſio hæreditum*, &c. Quare Apoſtolus ait cap. 11. prioris ad Corinthios, *oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Idque Reges quam privatos homines æquè attinet. Quocirca in Lege Euangelica poſtquam populus tacito aut expreſſo, implicito aut explicito conſenſu Regem cooptavit; hic ſi forte Tyrannus aut hæreticus evadat, non propterea tollendæ hæreſis, aut Tyrannidis prætextu, unitatem, & Pacem publicam, quæ Juris eſt Divini, & Naturalis, convellere licet: eſtque communi experientia comprobatum, nunquam diriſſimo, & crudeliſſimo ulli Tyranno vim illatam, quin continuò Pax, & tranquillitas publica violaretur: proque uno tolerabili Tyranno centum, imo mille crudeliores, & immaniores bacchatos fuiſſe. Quamobrem fruſtra adverſarii objiciunt commune hoc Adagium, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*, locum habere inter Principem & populum, ſicut in contractibus privatorum, in quibus ſtatim plana atque evidens eſt cauſa violationis fidei, nec ob eam rem Pax publica labefactatur, ſecus quàm accidit in publicis contractibus, quæ inter Principem & populum intercedunt: ubi violatio hæc fidei, à multis concauſis & circumſtantiis obſcuris, & incognitis hominibus proficiſcitur, ita ut cuinam culpa ejus rei primùm, præcipuè adſcriben-

ſcribenda ſit, non promptum ſit dijudicare. Accedit inſuper abſque ſeditionibus, bellis civilibus, & magna hominum ſtrage tantis malis medicinam fieri non poſſe, atque ejuſmodi humani generis peſtes, ut plurimum ea ipſa mala quæ vitare cupimus, exacerbare & augere. Quapropter, ut jam dixi, petendum eſt auxilium à Deo per pœnitentiam, atque I yrannus ſolo Dei judicio relinquendus, ut docet Gerſonius in poſtrema ſua ſententia, veriſſima quidem & tutiſſima, quam leges prima parte operum, Tractatu inſcripto, *Aſſertiones contentæ in propoſitione defuncti M. Joannis Pariſ. & forma condemnationis eorumdem*, &c. Quod ſi aliquis eſſet notoriè *Tyrannus*, ait, *& incorrigibilis per ſuperiorem, & intolerabilis per ſubditos, nihilominus S. Thomas in ſuo de regimine Principum ad Regem Cypri; Nicolaus Creſmius in tranſlatione ſua circa principium quinti Politicorum, & aliorum plures dicunt, & deducunt ex intenſione, quod talis Tyrannus eſt magis Judicio Dei reſervandus, quam per privatam auctoritatem, vel ſeditionem occidendus. Videantur eorum Reſponſiones. Conſtat autem in hac parte magis credendum eſſe Catholicis Doctoribus quam Philoſophis infidelibus, ſi forſitan aliter ſentiunt in factis, vel in ſcriptis: quemadmodum judicabant: eſſe opus fortitudinis ſemetipſum occidere, & multa ſimilia, quæ lex Chriſtiana comdemnat.* His ergo rationibus permotus Gerſonius anno. 1415. nihil non peregit in Synodo Conſtantienſi, ut has duas ſeditioſiſſimas propoſitiones ſynodicè damnari curaret: prior, *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos deliquentes corrigere*; ſeſſione octavâ, articulo 17. errorum Joannis Wicleff: ſecunda propoſitio, *Quilibet Tyrannus poteſt & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque Vaſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias* &c. ſeſſione 15. Synodi Conſtantienſis. Quæ propoſitiones communi Patrum conſenſu erroris atque hæreſeos damnatæ ſunt: & nihilominus hanc aliam ut veram & Catholicam iidem Patres ſciverunt: nimirum *generale Concilium Eccleſiam Catholicam repræſentare & immediate auctoritatem habere à Chriſto, atque ſummum Pontificem directivo, & coactivo Eccleſiæ Catholicæ, & generalis Concilii Judicio in certis caſibus ſubjici*, &c. Sicque confirmatur, longe differentem eſſe rationem Conventus Concilii Eccleſiæ, & factionum aut ſeditionum populi furentis: item gladii ſpiritualis Eccleſiæ, & temporalis, ut amplius infra oſtendetur. Verum de hac controverſia pluribus diſputatum eſt à me opere expreſſo de Poteſtate Eccleſiæ in rebus temporalibus, adverſus Bellarminum, Becanum, Suarem, & Cardinalem Perronium: qui me fruſtra criminatus eſt, quòd tempore bellorum civilium Ligæ in alia omnia iverim, atque opinionem contrariam ſententiæ quàm nunc tueor ſequutus ſim, quod non inficior. Cum enim tempore bellorum civilium anno 1587. ſtadium Theologiæ ingreſſus fuiſſem Pariſiis, atque alios libros quam Theologorum Scholaſticorum & Controverſiarum minimè

egerem, certè libros Bellarmini de Romano Pontifice & tanſlatione Imperii à Græcis ad Francos pro Quinto Euangelio toto illo tempore adorabam: maximè verò quòd Magiſtrorum noſtrorum, & Concionatorum Cathedræ nihil aliud perſonarent: idque incentivo fuit Joanni Bucherio Doctori Pariſienſi ut ſeditioſiſſimum opus *de Juſta Henrici* III. *abdicatione* ſcriberet. Sed anno 1592. poſtquam ſum Laurea doctorali donatus, pertæſus, & fatigatus Barbarie, atque immanitate furorum noſtrorum civilium, me quidem inexhauſto labore, & ſtudio ad Sacrorum Bibliorum, Patrum, Conciliorum Eccleſiæ, & Hiſtoriæ lectionem contuli, atque ſummo Dei beneficio S. Bernardus libris de conſideratione ad Eugenium P P. mihi primus omnium præluxit ad Myſterium dominatûs abſoluti Curiæ Romanæ detegendum, & cognoſcendum: quo abſtruſiſſimo Myſterio, Curiales purum & ſpirituale miniſterium Eccleſiæ in temporalem, & infallibilem Monarchiam transformarunt, atque omnes politicas Poteſtates diviſerunt ac in ſe invicem ſpecioſo prætextu religionis armarunt, & commiſerunt, arrogata ſibi facultate non modo deponendorum, verumetiam interimendorum Regum qui eis ad nutum obtemperare detrectarent, aut ſuas Dynaſtias ad normam, & ſtylum Curiæ Romanæ nequaquam gubernarent: quam in rem pro animi ſui lubitu plurimas decretales, & bullas certatim condiderunt. Quo Myſterio cognito, & perſpecto à me, tantum animo hauſi dolorem, propter Legis Euangelicæ, & manſuetudinis Chriſti ab iſtiuſmodi Myſterio diſſidium, & diſcordiam, ut ea continuo quæ Baccalaureus Theologiæ probaram, & velut Quintum Euangelium adoraveram, condemnarim: atque viciſſim illa ipſa quæ priùs condemnaveram, coluerim & adoraverim.

AXIOMA IX.

Pacem, unitatem, & dilectionem, eſſe finem & propoſitum omnium Politiarum, Statuum, dignitatum, Legum, atque inſtitutorum Divinorum, & humanorum, ac præſertim Legis Euangelicæ: & idcirco Poteſtatem deſpoticam ſive puram, & abſolutam Monarchiam, Juri Divino & Naturali penitus repugnare.

XIV. QUando deſiderium ſui conſervandi primum, atque ſupremum eſt Legis Naturæ principium: & cuncti homines Naturali inſtinctu, & inductione, beati & liberi eſſe deſiderant: atque Chriſtus Dominus Legem Naturalem, & politicas Poteſtates legitimè conſtitutas conſecravit, ut antecedentibus Proloquiis docuimus: profectò, & Naturæ & Gratiæ repugnat, aliquam eſſe rempublicam ſervorum, utque etiam aliqua ſit deſpotica,

tica, & plane absoluta potestas regendi homines ad merum & solum imperantis arbitrium nullo prorsus quæsito consensu subditorum. *Nam salus populi suprema lex est: & finis regentis beata est vita populorum: atque initio eadem omnino fuit Regum & Legum constituendarum causa. Jus enim semper quæsitum est æquabile*, ait M. Tullius secundo de Officiis. Quocirca Dominus, *qui posuit fines suos pacem*, Psalm 147. illis graviter succenset qui populum habent pro mancipiis: *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?* Idque pariter confirmat Apostolus Roman. 13. asserens, *Principem esse Dei ministrum in bonum, & qui proximum diligit, legem impleviſſe.* Deinde cap. 13. posterioris ad Corinthios perhibet, *omnem Potestatem pro veritate, non adversus veritatem, atque in bonum & ædificationem, non in destructionem datam:* & prioris ad Timotheum cap. 1. *finem præcepti esse Charitatem:* & cap. 3. ad Romanos, *nunquam esse facienda mala ut eveniant bona.* Quibus ex oraculis Theologi rectè inferunt, finem & propositum omnium Politiarum, Statuum, dignitatum, Legum, Magistratuum, institutorum, atque etiam actionum hominis Christiani esse pacem, unionem, dilectionem, & Bonum publicum: consequenterque omnes humanas Leges, & institutas, tantumdem habere firmitatis, bonitatis, & justitiæ, quantum & charitatis, dilectionis, & pacis: quia, ut superius ostendimus, Lex civilis justa, semper est conclusio vel determinatio Legis Divinæ moralis, teste Bellarmino cap. undecimo libri de Laicis. Quæ causa est ut ne quidem Principi politico arma in quemquam movere liceat, nisi sese & sua propugnandi causa, utque Pax asseratur; siquidem Pax prima est conditio, & causa finalis belli, teste Augustino Epistola 207. ad Bonifacium conjecta in Corpus Canonicum 23. *quæst. 1. can. Noli.* §. *Non enim Pax quæritur ut bellum excitetur; sed bellum geritur ut Pax acquiratur: esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad Pacis utilitatem vincendo perducas. Beati enim pacifici, quia filii Dei vocabuntur*, &c. Quare Aristoteles cap. primo libri octavi Ethicorum demonstrat, Pacem & amicitiam majori curæ esse Legum-Latoribus quam Justitiam, & si Pace fruantur cives nihil desiderare Justitiam. Quæ divina documenta plus satis conducunt ad Legis Euangelicæ & potestatis Ecclesiasticæ excellentiam commendandam, velut Legi Naturali omnium maximè conformem. His etiam de causis Dominus Esaiæ 34. Pastores damnat *qui cum austeritate & potentia imperant:* & Lucæ 22. suos more Regum seculi qui gladio armantur ad absolutè cogendum, dominari vetat: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Hercle dilectio est fundamentum Pastoralis Officii, Axiomate XIV. & XXX. Hinc illa S. Bernardi exhortatio ad Eugenium Papam: *Præsis ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves: præsis ut fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam: ad quid ut des escam illis in*

illis in tempore? hoc est, ut dispenses, non ut imperes, hoc fac & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis injustitia. Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus tibi formido quam libidinem dominandi, cap. primo lib. tertii de Consideratione, ex Gerardi Vossii recensione Romæ edita & Clementi VIII. nuncupata anno. 1594. Hicque inter alia dignum observatione occurrit *Imperium atque dominatus*, quæ propria sunt politicæ Potestatis, opponi *dispensationi & ministerio Ecclesiastico*: atque S. Bernardum docere illud, magis esse formidandum Pontifici quam venenum, & gladium, id est, quàm mortem ipsam. Appositè quidem, quoniam mors cum gratia & charitate, nobis accessionem præbet ad vitam æternam: contra dominatus absolutæ infallibilis Monarchiæ adulatorum quia Ecclesiam corrumpit, atque odium Dei conjunctum habet, certus est aditus ad gehennam. Proculdubio, sicut Lex Euangelica tota in dilectione & ministerio occupatur, atque unitatem, & Pacem pro fine ambit: ita dominatus, & absolutum imperium Curiæ Romanæ, quæ sua sunt, duntaxat quærendo, in omnium Jura, specie Religionis asserendæ perrumpit atque invadit, eodem teste S. Bernardo cap. octavo lib. tertii de Consideratione: *Murmur loquor & querimoniam Ecclesiarum truncari se clamitant, ac demembrari, vel nullæ vel paucæ admodum sunt quæ plagam istam non doleant aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus; bonane species hæc?* &c. Quo ex studio dominandi Ecclesiasticorum tanquam ex Pandoræ sinu, & pixide omnia genera malorum effusa sunt in Ecclesiam: hinc hæreses, schismata, Hypocrisis, Atheismus, & persequutiones quæ sub Diocletiano extiterunt, ut memorat Eusebius cap. primo lib. octavi Historiæ Ecclesiasticæ his verbis: *Cum nos præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam & dissolutam segnitiem essemus prolapsi: cumque alii aliis invidere, maledictis insectari, & prope nos ipsi inter nos petulantius linguis tanquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum contumelias velut hastas unus in alium intorquere, & præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare occiperent: cumque ficta & adumbrata sanctitatis species, quæ oratione nequit exprimi, & simulatio fronte occultata ad immensam quandam pravitatem serpsisset, divina ultio cœpit in nos parcius, aliquando remissius, & moderatius, ut solet primò animadvertere*, &c. *Sed ubi veluti sensibus orbati, & præstricti mente nullâ curâ aut cogitatione incubuimus, ut divinum numen in nos incensum, benevolum & placatum efficeremus: sed tanquam impii nostras res à Deo nec curari, nec animadverti arbitrati, alia vitia aliis acervatim adjecimus: & pastores nostri depulsâ repudiatâque pietatis regulâ, dissidio, & contentione inter se exarserunt: quin etiam nullas alias res præterquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias, & odium inter ipsos mutuò adaugere studue-*

ſtuduerunt: & animis ambitionis æſtu incenſis Tyrannorum more Principatum obtinere laborarunt: tunc demum juxta illam Jeremiæ ſententiam obſcuravit in ira ſua Dominus filiam Sion, & dejecit de cælo gloriam Iſraël, &c. Quibus pariter concordat S. Bernardus cap. 3. lib. 3. de conſideration. *Sed eſt inſipientiæ quæ ipſam quoque jam propemodum ſtultam fecit ſapientiam fidei. Quo modo & Eccleſiam Catholicam pene totam hoc virus infecit? Nam dum & in ipſa quique, quæ noſtra ſunt, quærimus, fit ut invicem invidentes, invicem provocantes, promoveamur & exerceamur ad odia, animemur ad injurias, armemur ad lites, cavillemur ad dolos, feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta, opprimamur à fortioribus, opprimamur inferiores,* &c. Hæcque genuina ſunt effecta Antichriſtiani dominatus quem in Eccleſiam inveximus, & cujus odio S. Gregorius lib. quarto, epiſtolâ trigeſimâ ſecundâ, trigeſimâ quartâ, trigeſimâ ſextâ, & trigeſimâ octavâ, nomen Epiſcopi univerſalis ſibi ultro oblatum velut genuinam notam adventus Antichriſti horret, atque repudiat: *ne,* ut inquit, *omnia quæ uni capiti cohærent Chriſto, per elationem pompatici ſermonis ſibi ejuſdem Chriſti membra ſtudeat ſubjugare.* Procul dubio qui ſe infallibilem abſolutum Monarcham Eccleſiæ venditat, titulum Epiſcopi univerſalis eo ipſo ſenſu quem B. Gregorius damnat, ſibi videtur addicere: quoniam cunctos Epiſcopos, totamque Eccleſiam in Synodum coactam ſuâ nativâ, & legitimâ poteſtate ac liberis ſuffragiis exſpoliat: ac ſi Epiſcopi eſſent duntaxat Papæ conſiliarii, & miniſtri, non autem Principes Eccleſiæ, & nativi ac legitimi Judices omnium Controverſiarum immediatè à Chriſto inſtituti in Apoſtolis: quibus indiviſim ſucceſſerunt, Axiomate XXXIV. Quamobrem Almainus in quæſtione Reſumptiva citca medium diſputans adverſus Petrum Paludanum Dominicanum, qui perhibet, *Papam eſſe dominum omnium beneficiorum, & poſſe deſtituere magis bonum paſtorem, ut in ejus locum minus bonum ſufficiat*; merito contendit, *hanc ſententiam igne dignam eſſe*: quam nihilominus Emmanuel Sa in ſuos Aphoriſmos conjecit, verbo *Papa.* Quod ſi in politicis Poteſtatibus quæ propter naturam meri Imperii ſemper aliquid abſoluti obtinent, Poteſtas deſpotica Juri Divino, & Naturali penitus repugnat, quantò magis in Eccleſia, cujus poteſtas eſt ſolummodò miniſterialis ſpiritualis? Quàm benè cautum eſt rebus humanis à Deo, ut nihil abſoluti eſſet ſub cælo: ſiquidem omnia certis repagulis & finibus ceu quibuſdam frænis, & contrariis in officio contineri, & quaſi temperari, atque mitigari voluit. Quocirca Eccleſiam cenſurâ regiminis Ariſtocratici, hoc eſt, frequenti Synodorum celebratione ſicut vites putatione, atque aſſiduo cultu purgari, & propagari juſſit.

AXIOMA X.

Juri Divino & Naturali pariter repugnare, ut quiſpiam in ſua cauſa Judex, aut teſtis ſedeat: & quidnam ſit decretum aliquod ex Canonum antiquorum diſciplinis promulgari.

XV. NAturæ ſimiliter & Gratiæ inimicum eſt ut cuipiam de ſe Teſtimonium perhibenti credatur: ſed multò magis ut aliquis Judex in propria cauſa exiſtat: niſi fortè in deſpotico Principatu: aut ſaltem niſi ille conformiter ad Jus Divinum & Naturale ſententiam pronunciet. Quapropter Dominus Joannis 5. ait: *Si ego Teſtimonium perhibeo de me ipſo, Teſtimonium meum non eſt verum.* Et Matthæi 18. Petro reſcire cupienti, quoties fratri peccanti gratiam delicti faceret, imperat ne ſimul teſtis, & Judex ſedeat in ſua cauſa, Axiomate XVI. Item Apoſtolus prioris ad Corinth. 14. docet, *Spiritum Prophetarum ſubjectum eſſe Prophetis:* & S. Cyprianus epiſtolâ ſexageſimâ nonâ ad Pupianum: *An putas majus eſſe de me meum quam Dei Teſtimonium: cum Dominus ipſe doceat & dicat, Teſtimonium non eſſe verum ſi quis ipſe de ſe teſtis exiſtat? Eo quod unuſquiſque utique ſibi faveat, nec contra ſe aliquis infeſta & adverſa depromat: fides vero ſyncera ſit veritatis, ſi in prædicationibus noſtris alius ſit prædicator, ac teſtis.* Item 4. *quæſtione 4. can. Nullus unquam præſumat accuſator ſimul eſſe & Judex, vel teſtis: quoniam in omni Judicio quatuor perſonas neceſſe eſt ſemper adeſſe: Id eſt, Judices electos, accuſatores idoneos, defenſores congruos, atque teſtes legitimos. Judices autem debent uti æquitate, teſtes veritate, accuſatores intenſione ad amplificandam cauſam, defenſores extenuatione ad minuendam.* His quoque Damaſus P P. adſtipulatur *eadem cauſa & quæſtione can. 2. Nullus*; & Patres quartæ Synodi Carthaginenſis canone 30. *Caveant Judices Eccleſiæ abſente eo cujus cauſa ventilatur ſententiam proferant, quia irrita erit: imò & cauſam in Synodo profecto dabunt.* Equidem in Eccleſiæ gubernatione nihil ampliùs miniſtro quam domino licere par eſt. Unde ſicut Chriſtus doctrinam ſuam paſſim probandam & examinandam Synagogæ proponit, maximè Joannis 8. verſu 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* &c. Similiter Eccleſia rationem à B. Petro commercii à ſe cum Gentibus initi exigit, Actorum XI. quamquam S. Petrus privato Dei monitu ad Cornelium divertiſſet: idemque B. Paulo rectè monenti auſcultat atque obtemperat, Galat. 2. Et Sixtus P P. III. 2. *quæſt.* 4. *can. Mandaſtis*; nec non etiam Leo IV. 2. *quæſt.* 7 *can. Nos ſi incompetenter*, cauſam rerum à ſe geſtarum exponunt. Quibus in Judiciis dum homines obnoxii Romanos

Pon-

Pontifices non ex debito officio ſed ex pura humilitate ſtetiſſe garriunt; ſemper ut de more habent, Papam abſolutum Monarcham, non Eccleſiæ miniſtrum Legi Divinæ, & Naturali ſubditum imaginantur. Joannes Major commentariis in caput 18. Matthæi refert ex Pariſienſi Cancellario lib. ſecundo, concluſione tertiâ articulorum contra Petrum de Luna; *Jura Romanorum Pontificum eſſe reverenter gloſſanda, & interpretanda, conformiter ad Legem Divinam: aliàs non mereri dici Jura: quod ſi quis contendere voluerit illa eſſe vera, ut jacent, cum libertate Euangelica hæc Jura negari.* Quibus accuratè ſubductis unicuique pronum erit omnibus capitulis, aut decretalibus ſatisfacere, quæ Gratianus, ut abſolutam Papæ Monarchiam fulciat, *in diſtinctionem* 22. *contulit*: quò & referri debet Nicolai P P. Teſtimonium, 17. *quæſt.* 4. *can. Neminis eſt de ſedis Apoſtolicæ Judicio judicare:* ſicut etiam *Dictatus* qui lib. ſecundo epiſtolarum Gregorii VII. poſt epiſtolam quinquageſimam quintam, velut à Monarcha abſoluto infallibili edicuntur. Item famoſa illa Paſchalis P P. conſtitutio, *cap. Significaſti. de electione & electi poteſtate:* ſimiliter *decretalis Innocentii* III. *cap. Solitæ. de Majoritate, & obedientia*, necnon *Bonifacii* VIII. *extravagans. Unam Sanctam*, in qua contendit *Papam omnes mortales judicare, & à nemine judicari: ac præditum eſſe poteſtate Reges exauctorandi.* Nam ut multa breviter complectar, univerſa Romanorum Pontificum decreta, Leges, Bullæ, cenſuræ in ſua cauſa, tabulæ omnes, atque alia monimenta quæ pro amplianda Romanorum Pontificum auctoritate à Cardinali Baronio, & aliis recentioribus ex Vaticanæ Bibliothecæ arculis expromuntur, ad normam tertii, quarti, & X. hujus Axiomatis rigidè expendi, & probari neceſſe eſt: ita ut tantum ponderis habere mereantur, quantum Juri Divino, Naturali, & praxi Eccleſiæ aut Canonibus receptis atque approbatis concordabunt. Quamobrem Galliarum Epiſcopi *diſt.* 19. *can. Si Romanorum*, olim Nicolao I. P P. Maximo abſolutæ Monarchiæ aſſertori oppoſuerunt *Decretales Pontificum nequaquam obligare, niſi Codice canonum continerentur, quo ante Gratiani collectionem utebatur Eccleſia, aut niſi de Canonum diſciplinis promulgarentur.* Hic autem Codex editus eſt Moguntiæ anno. 1525. & Pariſiis anno 1609. apud Adrianum Beys: cujus Codicis extat mentio dicto *can. Si Romanorum. diſt.* 19. & in epiſtola præambulari Decreti Gratiani juſſu Gregorii XIII. recogniti, & emendati. Cæterùm ea de Canonum diſciplinis promulgari dicuntur, quæ ex ipſiſmet Canonibus receptis colliguntur, & pro eorumdem obſervatione, & exſequutione ſanciuntur: cujuſmodi permultæ ſunt antiquorum Pontificum decretales epiſtolæ Damaſi, Siricii, Leonis Magni, & aliorum. Item in decretalibus novis nonnullæ extant, quæ Jus commune aliquando aſſerunt & vindicant, ut caput *Omnis utriuſque ſexus, de Pœnitentiis & remiſſionibus*, atque alia ejuſmodi.

AXIOMA XI.

In Moralibus & Politicis, Mediocritatem ſemper laudabiliorem, certiorem, & ſecuriorem eſſe; atque nimiam æqualitatem aut inæqualitatem, unionem aut diviſionem peſtem haberi ac ruinam omnium Politiarum: optimum verò, & præſtantiſſimum Principatuum eſſe, in quo Status Monarchicus, Conſilio vel Ariſtocratico regimine temperatus eſt: & de Conſilii atque regiminis Ariſtocratici, necnon hæreditarii, atque electivi Principatus differentia.

XVI. CUm Eccleſia Catholica in rebus Politicis & Moralibus auream mediocritatem longè ſecuriorem & ſalubriorem eſſe cerneret (ſecus autem eſt de virtutibus Theologicis, quæ exceſſu perficiuntur) Statum aut Principatum Eccleſiæ ab ejuſdem regimine in Synodo Conſtantienſi ita ſecrevit ac utrumque temperavit, ut intet exceſſus atque defectus vitioſos medium teneret: quod quidem ſicut omnium præſtantiſſimum, & naturæ convenientiſſimum, ita etiam propter humanæ ſortis imbecillitatem difficillimum eſt. Nam, ut præclarè obſervat Gerſonius Prologo de poteſtate Eccleſiaſtica, *Cavendum eſt diligenter, nè plus debito falſæ opiniones hanc poteſtatem vel deprimant, vel exaltent: quia primum ſacrilegæ eſt impietatis, alterum de adulatione peſtiferæ ſuſpectum, ac per blandam, fallacem, & ſubdolam adulationem fovet libidinem dominandi, & Tyrannidem Eccleſiæ deſtructricem*, primâ parte Sermonis quem inſcripſit *pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna*. Sane inter varia ſchiſmata, deformeſque rerum novarum pruritus, exceſſus, atque defectus vitioſos Pontificiæ auctoritatis, qui Eccleſiam, & Religionem Catholicam hodie certatim convellunt, & populantur: quicumque mediocritatem retinent, aliis ſapientiores & beatiores videntur: propterea quod neque furioſis hæreticorum perturbationibus, neque ſervilibus aliorum aſſentationibus, ſuperſtitionibus, aut permultis conſcientiæ ſcrupulis ac torminibus inde exſurgentibus lancinari, aut excruciari poſſunt. Hoc inſuper accedit incommodi, *quod æqualitas omnis aut inæqualitas, unio vel diviſio nimia, univerſas politias aut civitates funditus ſubruit*: ſicut perhibet Ariſtoteles contra Platonis communitatem. Enimverò, ſicut Bonum totius univerſi in diſcordi concordia variarum mundi partium, & elementorum conſiſtit; quæ diverſa inter ſeſe munia atque officia obeunt: pariter omnis Reſpublica, differentes perſonas & miniſteria inter ſe ſubordinata neceſſariò expetit. Igitur qui totius Eccleſiæ Catholicæ regimen, abſque ullo ordine aut prærogativa auctoritatis inter populum æqualiter, ne dicam ſeditioſè partiri, aut ad unum

& ſolum

& ſolum Papam velut abſolutum infallibilem Monarcham ac dominum redigere nituntur: certè rudi, atque ignaro pictori ſimiles ſunt, qui quidem ſine ullo capite inſtar cancrorum; aut cum deformi, & monſtruoſo capite inſtar Triglarum aut Gronutorum piſcium corpus humanum effingeret.

XVII. Conſtituamus ergo, optimum & naturæ convenientiſſimum Principatuum eſſe, in quo Conſilium & directio regiminis, vel ipſummet Regimen penes Optimates, id eſt, ſapientiores, prudentiores, & meliores habitat. Status autem ſive Principatus, id eſt, exſequutio Conſilii, directionis & regiminis Monarchicus eſt. Nam ſicut unus magis ſtrennè, fortiter accuratéque aliquid mandat exſequutioni quam plures homines: Ita quoque multi ſapientes meliùs conſulunt, longiùſque & acriùs cavent, ac proſpiciunt quàm unus & ſolus Monarcha. Siquidem *oculi quàm unicus oculus plura, atque eminus vident: quodque univerſos tangit, à pluribus & maxime à ſapientioribus debet approbari*: quoniam & corpus Politicum, & Eccleſia non unum eſt membrum ſed multa. *Multi enim unum ſumus corpus in Chriſto, alter alterius membra*, 12. ad Roman. & prioris ad Corinthios. Item *diſt. 20. can. de quibus.* § *facilius namque invenitur quod à pluribus ſenioribus quæritur. Verus enim repromiſſor* ait: *Si duo ex vobis vel tres conveniunt*, &c. Conſulendus Ariſtoteles tertio Politicorum cap. ſeptimo, & undecimo, & Gerſonius Sermone *pro viagio Regis Roman.* ſub finem, ubi *Concilium generale intellectui comparat, qui agenda & fugienda demonſtrat: Papam autem voluntati, quæ dictata ab intellectu exſequutioni mandat.*

Certè Bellarminus primo de Romano Pontifice cap. tertio aſſerit, *Regimen temperatum ex omnibus formis gubernandæ Reipublicæ propter naturæ humanæ corruptionem utilius eſſe quam ſimplicem Monarchiam.* Et cap. quinto: *Doctores Catholici in eo conveniunt omnes*, ait, *ut regimen Eccleſiaſticum hominibus à Deo commiſſum, ſit illud quidem Monarchicum, ſed temperatum, ut ſupra diximus, ex Ariſtocratia, & Democratia: id quod præcipue tractant B. Thomas in 4. contra Gentes, cap. 76. Joannes de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia capite 2. Nicolaus Sanderus lib. de viſibili Monarchia Eccleſiæ.* Hæc ille pro regiminis Ariſtocratici vindiciis, luculenter declarans *eſſe velut ſal, & frænum adverſus Eccleſiaſticæ Politiæ, & morum corruptelam.* Fruſtra autem velitari eſt de nomine, ſive majoris facilitatis gratiâ Statum à regimine Eccleſiæ cum Synodo Conſtantienſi diſtinguamus: ſive cum Bellarmino, & aliis regimen Eccleſiæ Monarchicum Ariſtocratiâ temperatum conſtituamus: quia utrinque evidenter, & neceſſariò inſurgit, neque Papam, neque Epiſcopos in Eccleſia gubernanda poſſe aliquid magni momenti abſque Ariſtocratica moderatione, & libero Eccleſiæ conſenſu decernere: & ita ſemper ad propoſitum noſtrum habemus, Eccleſiam canone, non abſolutâ unius poteſtate gubernari.

Quod autem Synodus Conſtantienſis regimen à Statu aut principatu Eccleſiæ ſecreverit, primum claret ex quarta, & quinta ſeſſione quibus nominatim & ex profeſſo definitur, *Papam directivo, & coactivo Eccleſiæ & Concilii generalis judicio ſubjici, Axiomate* 11. Et ita regimen Ariſtocraticum ſuper Papam conſtituitur: Principatus autem Monarchicus obiter declaratur in condemnatione errorum Joannis Wicleff, articulo 41. Hic enim cum Eccleſiæ Romanæ primatum abnegaret, Patres Conſtantienſes ſic adverſum decernunt: *Error eſt, ſi Wicleff per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum ſummi Pontificis ſuper Eccleſias particulares.* Qua Sanctione innuitur Primatum quodammodo & ſecundum quid eſſe Monarchicum, quatenus ſcilicet ejus poteſtas ſuper Eccleſias particulares diſgregatas per mundum eminet: cum tamen generali Concilio ſubjiciatur. Vide Axioma xxx. & obſerva, ſuperioribus Proloquiis probari quidem canones Synodi Conſtantienſis *de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam*, Juri Divino Naturalique congruere: de Jure autem Divino poſitivo infra dicetur.

At nequaquam ſilentio in hac diſputatione obruendum, longè differentem eſſe cauſam hæreditarii atque electivi Principatus: quoniam Principis electivi Conſilium & gubernatio ab ipſa Republica, aut à Regni ordinibus inſtituitur: & eam ob rem Principes electi ejuſmodi Conſilium pro lege & regula regiminis ſtrictè accuratéque ſequi, atque illius decreta exſequutioni mandare tenentur: In ſtatu autem hæreditario Principi ex animi ſui arbitrio quoſcumque vult Conſiliarios, & Senatum ſibi cooptat: eorumque ſententiam non pro norma aut lege gubernandi, ſed tantummodo pro ratione, ſponte quidem & libere amplectitur, aut repudiat. Ex quo accidit, ut in hæreditario Principatu regimen ab Ariſtocratico Conſilio Principis nequaquam pendeat, ſicut in electivo Principatu.

Verum, quantis olim commodis & ornamentis Ariſtocraticum regimen à Chriſto inſtitutum Eccleſiam Catholicam ornavit, & cumulavit, Evangelium per univerſum orbem terrarum propagando, Idololatriam, Atheiſmum exſtirpando: heu! tantis calamitatibus & miſeriis inventum humanum abſolutæ infallibilis Monarchiæ affecit atque oppreſſit, ut id humani non ſit ingenii concipere, nedum voce efferre: quia ſuo dominatu temporali omnem pene charitatem, quæ eſt fundamentum Chriſtianæ Religionis extinxit, non modo homines ſingulares, verum etiam integras provincias, nationes, & Regna fugando ab Eccleſia; ſicque violentia & immanitate imperii Chriſtianam Religionem ad unam aut alteram provinciam Europæ redigendo. Siquidem abſolutus infallibilis Monarcha, ſua privata voluntate pro ratione atque omni lege utitur: univerſum Eccleſiæ Statum, & regimen ad ſuam unius ſuorum-

ſuorumque parentum, & nepotum privatam utilitatem & commodum, poſthabita Boni publici cura, & gloria Chriſti, revocat: cuncta omnium mortalium, etiam Regum ipſorum Jura ſuo dominatui ancillari cogit: neque alios quam qui placentia loquuntur audit, aut in conſilium adhibet. Quodque Romæ ſit, deinceps permulti Epiſcopi in ſuis privatis diœceſibus ſe Jure quidem facere poſſe arbitrantur: idque jampridem eſſent conſequuti, niſi Principum politicorum auctoritas eis aliquam remoram injeciſſet; atque conturbationem retardaſſet, quæ poſtremis temporibus ex utriuſque poteſtatis confuſione bacchari debet: conſule XXXVI. Axioma. Et quando ſic in propriis miſeriis cæcutimus, atque obdureſcimus, ut jam nulli fas ſit pro veritate Euangelica oppreſſa libere loqui; hic cum S. Bernardo communem experientiam noſtrarum corruptelarum teſtem, & accuſatricem interpellandam cenſeo, lib. 4. de conſideratione cap. 3. & 9. *Vides omnem Eccleſiaſticum Zelum fervere pro ſola dignitate tuenda, honori totum datur: ſanctitati nihil aut parum: cadit aſina & eſt qui ſubleret eam; perit anima & non eſt qui reputet. Quam tolerabilius rerum corruptibilium quam mentium ſuſtinemus jacturam? De pretio eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt, rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis.* Hæc ille: à quo tempore, Deus immortalis! abuſus, & ſcelerum noſtrorum colluvies, in maximum exundavit Oceanum, ut jam nihil ſpei humanitus ſupereſſe, ad illas deveniſſe miſerias videamur, quas S. Hieronymus futuras prænunciat XI. quæſtion. 3. can. 23. *Quando vir Eccleſiaſticus & prudens, atque intelligens multas impietates in ea quæ vocatur domus Dei eſſe cognoverit, & non ſolum multas, ſed & fortes, & quæ opprimere poſſint juſtitiam, & in tantum doctorum rabiem proceſſiſſe, ut accipiant pretium in judicio, & omnia pro muneribus faciant: pauperes quoque devitent in portis, & audire contemnant, taceat in illo tempore, ne det Sanctum canibus, & ne mittat margaritas ante porcos, qui converſi, conculcent eas.* Et Proverb. 32. *Ubi auditus non eſt, ne effundas ſermonem, & importune noli extolli in ſapientia tua.* Qua voce palam loqui, non ſcribere poſteris prohibemur. Sanè ut nemo ea palam dicere tenetur quæ ſentit, ita nunquam loqui debet contra propriam conſcientiam, quod grande ſcelus eſt.

Porro abſolutæ Monarchiæ Patroni duo nobis objectant, quibus eſt ſigillatim ſatisfaciendum. Primo in Politiarum gubernatione, ſicut & in artium, ſcientiarum & virtutum privatarum profeſſione multo eſt facilius unum quam plures excellere: continuoque Eccleſiæ regimen plane Monarchicum præſtantius eſſe Ariſtocratico. Secundo, ut Doctrinam ſcholæ Pariſienſis in invidiam rapiant, cavillantur eâ omnes Principum Monarchias funditus ſubrui; hincque ſequi Regem Franciæ, verbi cauſa, non eſſe abſolutum Monarcham.

cham. Ad primum excipio, quamquam omnes artes, ſcientiæ, & virtutes, ratione cauſæ finalis ad Bonum publicum ſpectent, & referri debeant, nihilominus in bonum atque utilitatem privatorum, qui eas poſſident, maximè referri: Contra vero Ariſtocraticum regimen politiarum, & præſertim Eccleſiæ quantum quantum eſt, juxta omnia cauſarum genera, propter Bonum publicum exiſtere, Axiomate IX. Quod ſi in artibus & difficilioribus negotiis, ut Medicina, Architectura, &c. deliberationes inſtitui ſolent de ſumma, & deſignatione agendorum inter plures ſapientes, ne quid peccetur: deinde poſt maturam conſultationem initam exequutio eorum quæ præſcripta ſunt, uni & ſoli homini mandari conſuevit: quanto magis in Eccleſiaſtica gubernatione, in tanta nationum, atque Gentium differentia, & varietate morum, quibus Catholica Eccleſia conflatur, id obſervandum venit? Nam cum infinita ſit caſuum, & circumſtantiarum diverſitas, ut plane impoſſibile ſit unum quamvis ſapientem, omnia proſpicere, & cavere, ac ſæpe ſæpius contingat ſingulares homines facilius corrumpi, & decipi quam plures, ac ſuis privatis commodis quam publicæ utilitati impenſius ſtudere: idcirco regimen Eccleſiæ non uni, & ſoli homini, ſed toti Hierarchico ordini (conflato ex omnibus nationibus quæ vocantur ad Euangelium) eſt demandatum à Chriſto, ut omnes & ſinguli Epiſcopi reſpective, & proportionatim quantum ſua & Eccleſiarum ſuarum intereſſet, proviserent & conſulerent. Quare ſtatum aut Principatum Monarchicum Eccleſiæ omnium optimum eſſe contendimus, ſi modo Ariſtocratia temperetur. Ad ſecundum urgeo, diverſam eſſe rationem Politicæ, & Eccleſiaſticæ poteſtatis. Hæc enim quia præeſt animis, qui à principio ſolum interno efficaciter moventur, ideo eſſentialiter ab Imperio abſoluto abhorret: neque integras familias, nedum urbes aut provincias excommunicare poteſt. Majeſtas autem Politica, cum armis inſtructa ſit, & corporibus, ac temporalibus imperet, profecto ſine abſoluto imperio ſubſiſtere nequit: propterea quod in vitæ civilis commercio plerumque ſubitanei, ac repentini tumultus fervent, quibus abſque abſoluta & meri imperii auctoritate impoſſibile eſt mederi: eamque ob rem olim in Republica Romana, quamquam pure Democratica; graviſſimis Reipublicæ temporibus Dictator cum ſummo & abſoluto imperio creabatur, qui nedum ſingulares cives, verum etiam urbes, & provincias integras, quando res flagitabat, in ordinem cogeret, atque exſcinderet.

AXIOMA XII.

Concluſio primæ partis hujus Apologiæ, quod Lumen Naturale nos quaſi manu ducat in cognitionem voluntatis Divinæ: atque amplius formam juſti, & neceſſarii regiminis Eccleſiæ demonſtret: & quanti ſit momenti hoc vulgare effatum: Error communis facit Jus.

XVIII. PRo ſumma hujus primæ partis, quæ in Jure Naturali explicando potiſſimum verſatur, ſtatuendum, *Quod ſi Naturam, id eſt rectam Rationem ducem ſequamur, nunquam aberrabimus*: quoniam auctore Auguſtino lib. tertio cap. quinto de libero arbitrio, natura quaſi manu nos in divinæ voluntatis, atque operum Dei notitiam dirigit. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſciás*, inquit, *feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem*, &c. *Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare quod creaturæ artificem fugerit. Crede ergò Deum feciſſe quod vera ratione ab eo faciendum fuiſſe cognovit: etiamſi hoc in rebus factis non vides.* Et aliquanto poſt: *Aliter æſtimat ratio, aliter uſus: ratio æſtimat Luce veritatis ut recto judicio ſubdat minora majoribus: uſus autem conſuetudine commoditatis plerumque inclinatur, ut ea pluris æſtimet quæ veritas minora eſſe convincit. (um enim corpora cæleſtia corporibus terreſtribus magna differentia ratio proponat, quis tamen carnalium hominum non mallet, vel plura deeſſe in cœlo ſydera, quam unam arbuſculam in agro ſuo, aut vaccam in armento? Sed ſicut ætate majores homines, vel omnino contemnunt, vel certe patienter corrigenda expectant judicia parvulorum, qui exceptis quibuſdam, quorum amore lætantur, quemlibet hominum cæterorum mori mallent, quam paſſerem ſuum: & multo magis ſi homo ſit ille terribilis, paſſer autem canorus, & pulcher: Ita qui provectu animi ad ſapientiam profecerunt, imperitos rerum æſtimatores cum invenerint Deum laudantes in creaturis minoribus, qui eas carnalibus ſuis ſenſibus accommodatius adhibent, in ſuperioribus vero, atque melioribus partim eum non laudantes, quod eorum ille ſit conditor: talium judicia vel omnino contemnere, ſi corrigere nequeant, æquo animo tolerare; ac ſuſtinere conſueſcunt.* Quam illuſtrem Auguſtini ſententiam B. Hieronymus non modo comprobat, verumetiam eminentius explicat quæſtione octava ad Algaſiam, perhibens *Legem Naturalem in cordibus hominum ſcriptam, & hiſtoriam rei geſtæ quæ præcepta non continet, appellari Legem divinam ab Apoſtolo* Roman. 2. verſu 14. & Galat. 4. verſu 21. *Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, Legem non legiſtis? Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera.* Et aliquantò poſt: *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturali-*

turaliter ea quæ legis sunt faciunt: isti legem non habentes, ipsi subi sunt lex, qui indicant opus legis scriptum in cordibus suis. Quibus ex Hieronymi, & Augustini placitis sic argumentari juvat.

Quando recta Ratio, quæ est tanquam particula atque index mentis, & voluntatis divinæ, nobis demonstrat aliquid facilius, commodius, & sanctius fieri posse in Ecclesiæ gubernatione pro salute hominum: hocque insuper Historia rerum gestarum, tum ab Apostolis, cum ab Ecclesiæ primitivæ Patribus, & aliis qui ad annum 1435. vixerunt confirmat: profecto idipsum à Christo Domino, optimo & sapientissimo Legislatore fuisse institutum, certo certius est: consequenterque pro Lege divina habendum.

Sed recta Ratio, Historia disciplinæ Apostolicæ, Patrum Ecclesiæ primitivæ, & eorum gesta qui Constantienſi, & Basileensi Synodo interfuerunt, clare demonstrat Ecclesiam Catholicam ubique terrarum diffusam, facilius, commodius, & sanctius Aristocratico regimine, & Jure communi quam absoluto unius Monarchæ dominatu gubernari: & de facto quadringentorum, atque mille annorum decursu ita gubernatam, Axiomate XXIX.

Igitur pro certo tenendum est, Christum, optimum & sapientissimum Legislatorem, voluisse Ecclesiam Aristocratico regimine, & Jure communi, non absoluto unius Monarchæ dominatu gubernari: idque ut Euangelium absque sumptu, labore, & circumcursatione exterarum gentium expeditius propagaretur, omniumque hominum saluti de proximo consuleretur. Enimvero Dominus hominum salutem tam promptam, facilem, paratam, & communem omnibus Gentibus esse voluit, quam naturalem aquam, qua baptizamur, quæ ex patriis, & domesticis fontibus, & fluviis hauritur.

Cæterum hîc rectam Rationem voco, quod lumen Naturale dictat, congruenter ad causas essentiales potestatis ministerialis spiritualis Ecclesiæ: quibus regimen Aristocraticum, Jus commune, & disciplina Apostolica plane concordat. Contra vero sophisticæ cavillationes, & argutiæ Cardinalium Turrecrematæ, Cajetani, Bellarmini, Baronii, & aliorum obnoxiorum funditus repugnant: quando de forma regiminis Ecclesiæ statuunt ex analogia Monarchiarum temporalium, & mundanæ sapientiæ placitis: quæ ab Apostolo prioris ad Corinthios cap. 1. 2. & 3. condemnantur. Sed uno verbo totus illorum conatus ruit: quia omnes Dialecticæ, & Metaphysicæ rationes, & quæcumque alia excogitari possunt, tantum quidem fidei merentur, quantum essentialibus causis Ecclesiasticæ potestatis, ac gestis Apostolorum, Patrum, & Doctorum, præsertim Ecclesiæ primitivæ consentiant. Sed tantum abest, ut consentiant, cum potius omnino ab illis abhorreant, ut deinceps probabitur.

Quod autem S. Augustinus docet, *aliter rationem, & aliter usum æstimare:*

mare: atque usum consuetudine commoditatis plerumque inclinare, ut ea pluris æstimet quæ veritas minora esse convincit: atque homines carnales, & imperitos rerum æstimatores Deum laudare in creaturis minoribus, quas carnalibus suis sensibus accommodatius adhibent, &c. mihi quidem celeberrimam vocem Joannis Gersonii inducit in animum sermone habito Tarasconæ in die Circumcisionis scilicet, *magnam esse blasphemiam putare Ecclesiam melius regi posse per inventiones humanas, quam per Legem Divinam Euangelicam.* Accedit & sententia Joannis Majoris cap. 18. Commentariorum in Matthæum. *Quod verò plures Pontificem extollant quam Concilium, non miraberis*, ait: *Concilium ravò congregatur nec dat dignitates Ecclesiasticas, Papa dat eas; unde hic homines ei blandiuntur dicentes, quod solus potest omnia quadrare rotunda; & rotundare quadrata tam in Spiritualibus quam Temporalibus.* Quibus ex testimoniis clarum, & exploratum redditur, opinionem de absoluta infallibili Papæ Monarchia ex ambitione & corrupto hominum judicio natam. Quos enim Apostolicæ & Ecclesiæ disciplinæ severitas urebat, cum plura beneficia, privilegia, atque immunitates & cætera ejusmodi contra Sacros Canones, & Jus commune ambirent, ante oportuit sibi animo & cogitatione Monarcham absolutum Ecclesiæ delinearent, tanquam ordinarium ordinariorum Episcopum Episcoporum & maxime proprium sacerdotem atque omnium beneficiorum & temporalium Ecclesiæ Dominum, qui eis largiri posset quæ summopere desiderabant. Et hinc istius opinionis immanitas, *nulli fas esse* mortalium dicere summo Pontifici, *Cur ita facis? etiam si catervatim animas ad infernum pertrahat.* Quæ documenta primum à Canonistis manarunt ab aliquot seculis, eaque Monachi præsertim Mendicantes deinceps propugnarunt, ut sua privilegia, atque missiones extraordinarias contra disciplinam Apostolicam, & Statum monasticæ, ac regularis disciplinæ introductas proclivius tuerentur. Cui operi Cardinalis Baronius, & Bellarminus cum suis sodalibus extremam imponere manum conati sunt: ut hac molitione sodalitium Jesuitarum supra omnes ordinarios, etiam Episcopos ipsos exaltarent. Sed cum universi aliquo voto Sacramento aut alia privata necessitudine devinciantur Romanæ Curiæ, profecto sunt in causa: & idcirco Jure vel injuria suas opiniones increbrescere, ac doctoribus qui auctoritatem Concilii supra Papam defendunt, invidiam, atque erroris suspicionem conflare nituntur: unde illa egregia Gersonii elogia apud Bellarminum: siquidem *ejus doctrinam erroneam, schismaticam, hæresi Lutheranorum affinem*, non alia de causa prædicat, quam quod vir ille piissimus, multa pro defensione decretorum Synodi Constantiensis lucubrasset. At vero quanti hæc facienda sint convitia, perspicue docet Augustinus, *similitudine* pueri, atque hominis judicio præditi: item *viri sapientis, & iniqui rerum æstimatoris; quorum iste ad normam*

ſui uſus, & compendii peculiaris; ille vero ratione ac veritate omnia *metitur & ponderat.* Quem locum, ut par eſt, amantibus veritatis conſiderandum relinquo: quos inſuper etiam atque etiam rogo Curiæ Romanæ adinventiones ab Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis tanquam vile à pretioſo, ut ait Propheta, id eſt, humanum à divino, & imaginarium à vero, & ſolido diligenter ſecernant.

Hinc autem planum evadit, quanti hoc vulgare Juriſconſultorum proloquium fieri debeat à Theologis: *Error communis facit Jus.* Etſi enim uſus communi errore munitus, aliquos vel ob imperitiam, vel ob inveteratam conſuetudinem ab errore coram Deo excuſet; nihilominus doctos, & præſertim Theologos nequaquam obligat, ut errorem quamquam antiquum, & tritiſſimum ſequantur, contraque propriam conſcientiam defendant: Imo verò Theologis, & Prælatis ex proprio incumbit munere, *Quoties obſervant peccatum, ſchiſma, aut hæreſim publice aſſeri, ubi nullum eſt peccatum, nullum ſchiſma, aut hæreſis,* ſtrenue adverſum obniti & reclamare: quia tum ſatius eſt ſcandalum naſci, quam veritatem deſeri. Porro certiſſimum eſt, fatemur, atque experti ſumus, hoc infeliciſſimo ſeculo, veritatem abſque magna invidiæ mole, jactura honoris & periculo etiam vitæ inter tantas Curialium factiones, atque hominum obnoxiorum legiones, qui alium in Statu politico Statum creare annituntur, propugnari nullo modo poſſe: cujus rei illuſtre Hieroglyphicum legitur Apocalypſeos 10. Ubi Angelus librum B. Joanni mandendum porrigit, qui in ore melle quidem dulcior videbatur: ſed in ventrem demiſſus, id eſt, animo conceptus ut aliis enunciaretur, acutiſſima tormina pariebat. Heu! quem Prophetarum Judæi non ſunt perſequuti? Actorum 7. & 11. ad Hebræos. Quotuſquiſque neſcit Chriſtum Dominum pro Impoſtore & ſeductore habitum, & letho traditum à Judæis? atque B. Stephanum, omnes Apoſtolos, & Martyres, Euangelicam veritatem cum proprio vitæ diſcrimine aſſeruiſſe, idemque omnibus bonis manere? Quid præterea narrem retroactis temporibus nunquam ab ullo aſſertam aut promulgatam veritatem, quin maximum ſcandalum, & turbas apud nefarios, & ſceleratos generaret: cujus rei teſtes ſunt omnia Eccleſiæ Catholicæ Concilia, Nicænum primum, *Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, Chalcedonenſe,* &c. Quocirca his celeberrimis exemplis omnes *qui piè volunt vivere in Chriſto*, animum firmare, nec iis turbari quæ hodie actitantur, aut ullis minis & terroribus à ſanctiſſimo propoſito veritatis profitendæ abduci debent: modo enim *Charitatem unitatis, & unitatem Charitatis* ſervent ac retineant, omnem extra noxam habentur.

APO-

APOLOGIA
PRO
JOANNE GERSONIO.

Secunda pars Apologiæ tractat de cauſis & principiis eſſentialibus Ariſtocratici regiminis, conformiter ad Sacræ Scripturæ oracula, & praxim Eccleſiæ.

AXIOMA XIII.

Chriſtum prius atque immediatius Arcana ſua, & Poteſtatem Eccleſiaſticam toti Eccleſiæ quam uni & ſoli Petro communicaſſe.

XIX. QUandoquidem Deus & Natura prius, atque immediatius in totam Communitatem quam in partem Communitatis, etiam quoad exequutionem intendunt, Axiomate VII. & VIII. Hercle Dominus noſter duabus de cauſis propter quas venit in mundum, prius atque immediatius toti Eccleſiæ *quæ eſt corpus, & plenitudo ejus*, Epheſ. 1. quam uni, & ſoli Petro ſeſe communicavit. Prima cauſa fuit, ut ſeipſo immediate nobis credenda revelaret. Nam ſicut B. Joannes Baptiſta in populi luce turbis ad illum confluentibus in deſertum conciones habuit de præſenti Meſſiæ adventu: ita Chriſtus *ſemper palam loquutus eſt mundo in Synagogis, & in templo quo omnes conveniebant*, *Joannis* 18. & ante omnia hoc dogma Catholicum, velut caput & fundamentum omnium credendorum, & propter quod præſertim venerat in mundum: *Ego ſum Meſſias ſeu Chriſtus filius Dei vivi in Lege Moſaica promiſſus*, frequenter diſcipulis ſuis inculcavit: idque adeo ut neminem illorum latere potuerit. Quocirca pridem antequam S. Petrus *ſignifer Euangelii, Os, Vertex, Coryphæus ac Princeps Apoſtolorum* nomine omnium Collegarum hanc fidei confeſſionem ederet, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Matthæi 16. B. Andreas, & Nathanaël *Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus, veniſſe nunciant*; atque ipſemet Andreas Petrum fratrem ſuum in Chriſti conſpectum adduxit Joannis 1. Quid præterea referam cunctos Apoſtolos atque diſcipulos qui Eccleſiam referebant, conjunctim & collectim

lectim eandem formulam fidei profiteri: & Christum tanquam filium Dei adorare Matthæi 14. versu. 33. Ubi Maldonatus contendit *hanc fidei professionem ejusdem omninò esse Naturæ cum B. Petri confessione* Matthæi 16. Et ita relinquitur S. Petrum, neque primum omnium inter Christianos, neque etiam inter discipulos Domini, aut Christi divinitatem cognovisse, aut publice professum fuisse: quicquid Jansenius in Harmonia sua post Hilarium, & Chrysostomum repugnet in contrarium. Ubi frustra persuadere laborat, confessionem discipulorum Matthæi 14. alterius fuisse generis à Petri confessione: quia ut perhibet, discipuli profitentur Christum esse Messiam sed non ejusdem esse naturæ & substantiæ cum Patre: hoc enim peculiare fuisse privilegium Petri ariolatur contra Scripturam, rectamque Rationem. Nam sicut Lumine naturali cognoscimus filios ejusdem esse naturæ & substantiæ cum Patre suo: ita ex Euangelio planum evadit hoc dogma Catholicum ante & super omnia alia dogmata frequenter prædicatum, & inculcatum à Christo: *Ego sum Christus filius Dei vivi.* Amabo an Christus Dominus legislator sapientissimus causæ finali propter quam in mundum venerat, non ante & super omnia inservire voluit, & debuit? Quod autem Jansenius obtendit, Christum Matthæi 16. muneratum fuisse Petri Confessionem, & non aliorum discipulorum Matthæi 14. certe id nullius est momenti, quoniam Christo in suis actionibus liberrimo ita complacuit: propterea quod Matthæi 16. & non 14. Ecclesiasticam Potestatem instituere volebat: ut accurata omnium discipulorum interrogatio indicat: *Quem dicunt homines esse filium hominis? vos autem quem me esse dicitis?* &c. Summa ergo hujus disputationis est, B. Petrum Matthæi 16. non suam unius fidem, sed totius Ecclesiæ Catholicæ quam propter primatum repræsentabat, professum fuisse, ut omnes Patres antiqui docent: atque omnes discipulos Domini, non solum Petrum, esse custodes ac vindices hujus fidei supra quam fundatur Ecclesia. Quod spectat ad S S. Hilarium & Chrysostomum quos Jansenius suæ sententiæ auctores habet, illis Canonem Augustini opponimus, quem integrum supra laudavi in observationibus ad quatuor priora Axiomata numero x. *Ego solis Scripturarum libris. distinct.* 9. Et hactenus de prima causa ob quam Dominus venit in mundum: altera est ut Hierarchicum ordinem ad Ecclesiam conservandam & propagandam necessarium institueret, qua de re proximo Axiomate.

AXIOMA XIV.

De causis essentialibus Ecclesiæ, & triplici Potestate Christi, nimirum supremæ auctoritatis, excellentiæ & puri ministerii: atque Sacer-

cerdotium Domini esse velut causam totius Jurisdictionis Ecclesiasticæ: ordinem vero Hierarchicum causam esse efficientem secundariam ministerialem Ecclesiæ: & Christum multo ante quam aliquid seorsim Petro largiretur, Jurisdictionem Ecclesiasticam aut Potestatem clavium toti Ecclesiæ collectim detuliſſe. Cæterum longe aliud est dicere claves datas unitati, ut per unum exerceantur, & simpliciter datas unitati: ac de comparatione definitionis Ecclesiæ cum essentialibus causis: & Papam secundum omnia genera causarum essentialium Potestatis Ecclesiasticæ generali Concilio tanquam partem toti, filium matri, oculum homini, & ministrum sponsæ Christi subjectum esse.

XX. QUatuor sunt causæ essentiales Ecclesiæ, ejusque regiminis: finalis autem cui omnes alias subservire oportet, est communio Sanctorum, Pax, atque unitas Ecclesiæ ad vitam æternam consequendam, Joannis 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum & quem misisti Jesum Christum*, &c. *Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, & sint consummati in unum.* Porro cum omnium Christianorum & præsertim Clericorum actiones, cogitationes, & consilia in bonum, Pacem, Charitatem, atque unionem tendere debeant, Axiomate IX. Hercle nullus hanc unitatis consummationem, & Communionem Sanctorum impedire, multoque minus lacerare debet. Ex quo datur intelligi, nihil esse detestabilius coram Deo quam schisma facere in Ecclesia. Nam hæresis, & error in fide, si absque schismate paretur, atque unitas Ecclesiæ servetur, tolerabilia quidem, & excusatione digna sunt: quia ut ait Augustinus lib primo de Baptismo contra Donatistas cap. 18. *Humanæ infirmitatis, errorem cooperit charitas unitatis, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuerit.* Axiomate V. Accedit Hæreses ab aliis quam à doctis Theologis cognosci non posse: contra neminem quantumvis ignarum, & bardum esse, cui ruina, & pestis ex schismatibus ingruens non prima fronte pateat, ejusque acerbissimas calamitates non experiatur: cujusmodi sunt odia irreconciliabilia, cædes, urbium atque provinciarum strages, & excidia. Ad quæ si Novatores nostri, ut par est, attenderent, præstantissimam coronam, id est, unitatem Ecclesiæ nunquam decerperent, neque bella ex bellis sererent, nisi forte illis propositum sit cælo bellum aperte indicere more Gigantum.

Causa materialis, omnes sunt Christiani, qui tametsi per totum orbem disper-

diſperſi, nihilominus unum corpus myſticum Politicum ſpirituale efficiunt in Chriſto: *Nam multi unum corpus ſumus in Chriſto, alter alterius membra de ſe invicem ſolicita, ne ſit ſchiſma in corpore, habentes donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes*, Roman. 12. & prioris ad Corinth. 12. Quapropter in genere cauſæ materialis, omnes Chriſtiani ex æquo, in ſolidum & individuè ſunt membra Chriſti, & commembra homogenea inter ſe: neque hac notione S. Petrus alios Apoſtolos, & diſcipulos, neque hodierna die Romanus Pontifex cæteros Epiſcopos, presbyteros, vel etiam ſimplices Chriſtianos laicos antecellit: quia cuncti homines tincti Baptiſmate, propter humanæ naturæ conformitatem cum Chriſto capite noſtro eſſentiali; corpus homogeneum, & connaturale efficiunt cum Chriſto: ſiquidem *Eccleſia eſt corpus connaturale Chriſti*, ut poſt S. Thomam Gulielmus Eſtius optime obſervat, Commentariis in caput primum ad Epheſios verſu 22. Lege S. Auguſtinum tractatu vigeſimo octavo in Joannem circa initium.

Cauſa formalis Chriſtus Deus homo natura ſua viſibilis, quamquam actu non videatur: ſiquidem ut caput eſſentiale viſibile Eccleſiæ ſponſæ, in eandem velut in corpus ſibi connaturale jugiter influit, eamque per Spiritum Sanctum, cui interna Eccleſiæ gubernatio credita eſt, regit, Joannis 10. *Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant.* Item 14. *Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me*, &c. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*, &c. Quo pariter hic fidei articulus referri debet, *Credo in Spiritum Sanctum, ſanctum Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum.* Quæ omnia internum regimen atque vivificationem Spiritus Sancti commendant. Hæc vero alia demonſtrant Chriſtum caput eſſentiale viſibile ad Epheſios 1. *Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & Chriſtum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet.* Item cap. 4. *Veritatem autem facientes in Charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in Charitate.* Et primo ad Coloſſenſes: *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum teneus.* Legendus Gerſonius de Auferibilitate Papæ, conſideratione quarta, ubi docet *& Chriſtum Dominum, & Spiritum Sanctum qui eſt Spiritus Chriſti, eſſe formam corporis Eccleſiæ.*

Hinc ergo dignoſcimus, quemadmodum τὸ *Rationale*, quia ſpectat ad hominis eſſentiam, ne quidem per cogitationem poſſe ullo modo ab homine ſeparari: ſic etiam Chriſtum caput eſſentiale viſibile Eccleſiæ, habere rationem formæ eſſentialis, nullo modo à ſponſa amantiſſima ſeparabilis, ſtante Lege Euange-

Euangelica: & eam ob rem non posse repudium dicere Ecclesiæ collectim sumptæ: quippe qui Joannis 14. polliceatur *se Paracletum missurum, qui in æternum maneat cum Ecclesia:* & Matthæi ultimo: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Item Joannis 17. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est: sicut tu me misisti in mundum; ita & ego eos misi in mundum, & pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate: non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus: Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti.* Qua ex clausula exploratum redditur, omnem Ecclesiæ claritatem, sanctificationem, infallibilitatem, & impeccabilitatem sperari atque repeti debere ab unione cum Christo capite essentiali, nec-non ab interno influxu Spiritus Sancti; nequaquam vero à Papa, aut ab ulla creatura, quæ nullum sibi locum potest vendicare inter causas essentiales Ecclesiæ nisi forte in genere causæ materialis, & membri singularis, aut etiam in genere causæ instrumentalis, & ministerialis, ut postea probabitur. Qua ergo fronte homines obnoxii Papam ut caput essentiale Ecclesiæ venditare audent? *Cum omnis gloria filiæ Regis ab intus*, Psal. 44.

Causa efficiens duplex est, primaria nimirum, & secundaria: quarum illa essentialis, interna, absoluta, simpliciterque necessaria Christus Dominus: Secundaria verò externa, ministerialis, planéque instrumentalis, & secundum Quid necessaria ordo Hierarchicus. Hæc autem ut penitius cognoscantur, peropus scire Christum triplici munitum potestate; nimirum potestate supremæ auctoritatis, excellentiæ, & puri ministerii: Potestate auctoritatis omnia Christo Domino subjiciuntur potestate obedientiali, quemadmodum massa mollis argillæ subest figulo ad faciendum quodcumque vas in honorem aut contumeliam libuerit. Secundo præditus est Potestate excellentiæ ut Deus homo generis humani redemptor, & Sacramentorum Ecclesiæ auctor: quæ etiam ut vasa, atque instrumenta gratiæ ad causam efficientem revocantur, hujus vero Potestatis excellentiæ, facultas patrandorum miraculorum quædam particula est: quam extra ordinem Apostolis, & nonnullis Sanctis Christus aliquando confert. Legendus B. Thomas in tertia parte Summæ quæst. 64. articulo tertio in corpore: & notandum supremum Dominium convenire Christo ratione hujus geminæ potestatis. Unde S. Bernardus cap. 1. libri 3. ad Eugenium: *Possessionem & Dominium cede Christo, & Jure creationis & merito redemptionis: tu curam illius habe: pars tua hæc, ultra ne extendas ma-*

num, &c. loquitur de Poteſtate puri miniſterii quam ſolam Chriſtus reliquit Eccleſiæ; eamque ſponte, & volens aſſumpſit, *quia in forma ſervi tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, Philipp. 2. & Hebr. 4. idque ut faſtum & ſuperbiam mundanæ ſapientiæ quaſi à contrariis domaret. Harum autem Poteſtatum, duæ priores, ſi ad Legem Euangelicam attendamus, ita propriæ ac eſſentiales ſunt Chriſto, ut cuiquam alteri eas convenire repugnet. Nam Chriſtus velut ſummus animarum noſtrarum Paſtor ac Redemptor, gratiæ & Sacramentorum auctor, cauſa eſt primaria efficiens Eccleſiæ per Poteſtatem excellentiæ cap. 5. ad Epheſios: *Viri, diligite uxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Item cap. primo ad Coloſſenſes: *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare; & per eum reconciliari omnia in ipſo pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Item 5. ad Hebræos: *Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.* Item cap. 7. *Sicut conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat, ſic adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem: Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, & Legis tranſlatio fiat.* Quæ Teſtimonia clare docent totam Eccleſiæ auctoritatem à Chriſti ſacerdotio tanquam à fonte manare, & in vim ejuſdem ſacerdotii Eccleſiam ſibi deſpondiſſe, *ac proprio ſanguine, non corruptibilibus auro, atque argento redemiſſe*, ut ait S. Petrus. Quare nullus alius à Chriſto in aliquam partem tantæ gratiæ, meriti, & pretii, venire poteſt: ex quo relinquitur ſtante Lege Euangelica Poteſtatem excellentiæ, ſi in ſolidum capiatur, eſſe creaturis incommunicabilem.

Poteſtas autem miniſterialis Chriſti, quoniam in charitate, dilectione, humilitate, & miniſterio Spirituali tota fundatur, ideo natura ſua ab omni pompa, faſtu, coactione externa, dominatu temporali, abſoluto aut Monarchico imperio, humaniſque artibus, & fabricis mundanis penitus abhorret. Quocirca Dominus congruenter ad hoc genus Poteſtatis miniſterialis nobiſcum, agit ex pacto non autem abſolute, atque imperioſe, ut Monarchis abſolutis conſuetum eſt. Hicque locum habent iſtiuſmodi formulæ Juriſconſultorum: *Facio ut facias, hoc fac & vives*, &c. Unde *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, Philipp. 2. & 4. ad Hebræos, *tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Item Lucæ 22. *Facta contentione inter diſcipulos, quis eorum videretur major, dixit eis: Reges gentium dominantur eorum, vos autem*

non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator: ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat. Cui divino effato tria inſunt ſolennia vocabula quæ omnem dubitandi occaſionem, præſertim Theologis, & Paſtoribus auferre debent: quando Dominus illos Lumen mundi, & Sal terræ eſſe voluit. Ac primo demonſtratur *Dominium & Miniſterium* inter ſeſe tanquam duo contraria opponi. Quia ſicut *dominatus, dominatio, & dominari*, abſolutum imperium important cum poteſtate vitæ, & necis, cogendique extrinſece per corporales pœnas: (quod genus imperii & dominii, ſolis Poteſtatibus ſeculi convenit, quæ gladio armantur, & territorium habent:) ita *Miniſtrare, Miniſtratio, & Miniſtrator*, &c. Poteſtatem Miniſterialem deſignat, quæ ſicut poteſtas medici, nuda & vacua eſt omni dominatu, & facultate cogendi abſolute, & temporaliter per externas & temporales pœnas. Vox autem *Præceſſoris* ſolum Primatum ſignificat, qui toto cælo à Monarchia abſoluta diſtat, Axiomate xxx. Quem ad modum capienda reſponſio Domini ad Pilati interrogata, *an Rex eſſet:* ubi Chriſtus excipit, *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, Joannis 18. ſcilicet ut ſibi quicquam aſſumeret Juris vel auctoritatis in temporalibus quoad dominium, aut quoad uſum, aut etiam in illis quæ Jure Naturali & Gentium pridem ante Euangelium aut Legem Moſaicam promulgatam recte erant conſtituta, aliquid immutaret aut innovaret. Hoc enim penitus adverſatur Poteſtati miniſteriali Eccleſiæ & facultati medici animarum, quam dominus aſſumpſit. Siquidem venit in mundum tanquam medicus, & legiſlator animarum, non ut aliquo dominio aut abſoluta poteſtate, quæ illi tanquam Deo competit, uteretur, atque homines per vim externam cogeret: ſed duntaxat ut conformiter ad humanæ naturæ captum, & libertatem interno potiſſimum principio animas per charitatem, humilitatem, manſuetudinem, obſervationem mandatorum Dei, atque frequentiſſimum actuum Hierarchicorum exercitium potius dirigendo quam cogendo, in ſui obſequium ſuaviter captivaret: *Lex Domini immaculata convertens animas, Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis.* Pſal. 18. & 44. *Propter veritatem & manſuetudinem, & juſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua: ſedes tua in ſeculum ſeculi*, VIRGA DIRECTIONIS VIRGA REGNI TUI. Quapropter Eſaiæ 48. & Matthæi 12. Chriſtus dicitur *non contendere neque clamare, neque arundinem quaſſatam confringere, atque linum fumigans non extinguere:* ad differentiam Poteſtatum ſeculi in quibus omnia ſtrepitu, & clamoribus perſonant. Apoſtolus verò paſſim unam & ſolam cordis ſimplicitatem in obſervatione mandatorum Dei, utque ſimplices, ac plane pueri ſimus in malo commendat: quo Prælati Eccleſiæ intelligant, nulla in re alia quam in obſervatione mandatorum Dei, vitæ integritate, atque innocentia debere confidere: atque omnem Eccleſiæ ſuffi-

cientiam istinc, minime vero à seculi fabricis, & opibus mundanis æstimari aut repeti oportere: ac proinde cunctas illorum cogitationes, & actiones semper charitatem proximi & Ecclesiæ ædificationem conjunctas habere. Quæ cum ita sint, hinc evidenter duo insurgunt; alterum est illos impios & atheos esse, qui dictitant Pilatum justam habuisse causam animadvertendi in Christum, tanquam novis rebus studentem: quia, ut diximus, Potestas ministerialis Christi quam solam Ecclesiæ reliquit, nullo modo attingit temporalia, nisi forte per modum exhortationis, & consilii, Axiomate XXXVIII. & XXXIX. Augustinus tractatu decimo quinto in Joannem de capite 12. *Non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israël, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat.* Alterum consectarium est hanc impietatem ab illis foveri, & vægrande odium Religioni Christianæ conflari; qui contendunt Papam pollere potestate abdicandi, & occidendi Reges qui minus comiter Papæ Majestatem tuentur, quo spectat hæc Bellarmini assertio lib. priore cap. 15. de Romano Pontifice, detorquentis hæc verba Christi ad Petrum (*Pasce oves meas*) ad Potestatem pascendi in *virga ferrea, & cogendi extrinsece per pœnas temporales.* Nam si proprie & dogmatice loqui velimus, *excommunicatio non est coactio*, sed exclusio ab Ecclesiastica, & supernaturali communione, Axiomate XVII. Quocirca statuendum cuncta Scripturæ, Patrum, & Doctorum Testimonia quibus Potestas, & Jurisdictio Ecclesiastica instituitur, explicatur, aut confertur, atque Ecclesiæ regimen discipulis Domini & eorum successoribus permittitur, necessario & dogmatice ad solam potestatem ministerialem spiritualem redigi oportere: de qua hìc pretium est operæ divina S. Bernardi adscribere documenta lib. 2. cap. 6. de consideratione ad Eugenium P P. *Blanditur Cathedra*; inquit, *specula est: inde denique superintendis sonans tibi Episcopi nomine non dominium sed officium.* Et post pauca: *Quod habuit Petrus, hoc dedit solicitudinem, ut dixi, super Ecclesias: nunquid dominationem? Audi ipsum, Non dominantes*, ait, *in Clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio, Reges Gentium dominantur eorum: & infert, Vos autem non sic: planum est Apostolis interdicitur Dominatus. I ergo & tu, & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis: si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt & ego non cognovi eos. Jam si regnare sine Deo juvat, habes gloriam sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audiamus edictum: Qui major est vestrum*, ait, *fiat sicut minor, & qui Præcessor est sicut qui ministrat: forma Apostolica*

hæc

hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio: quæ & commendatur ipsius exemplo Legislatoris qui sequutus adjungit: Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Idem cap. 1. lib. 3. *Possessionem, & dominium cede Christo & jure creationis, & merito redemptionis: tu curam illius habe: pars tua hæc, ultra ne extendas manum. Quid inquis non negas præesse, & dominari vetas? Plane sic. Quasi non bene præsit qui præest in solicitudine. Nunquid* non & villa villico, *& parvus dominus subjectus est Pædagogo? nec tamen ille villæ, nec iis sui domini dominus est. Ita & tu præsis ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves: præsis ut prosis, præsis ut fidelis servus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam. Ad quid ut des escam illis in tempore, hoc est, ut dispenses non ut imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis injustitia,* &c. *Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus tibi formido, quam libidinem dominandi.*

Porro unam & solam Potestatem Ministerialem Christus Apostolis & Discipulis quoad habitum & actum concessit; ne quisquam hîc tergiversetur, aut cavillos ferat. Sic enim iram Episcoporum more Regis apum, sine aculeo, & telo esse, & cavere voluit, ne Prælati turbas, & factiones in Statu Politico miscerent, per contentionem potestatis, atque oppositionem gladii materialis cum gladio materiali Principis: Similiter etiam ne quando errarent ut sæpe contingit, totam Ecclesiam ad se per absolutam Potestatem abriperent. Quod certe usueveniret, si Ecclesia gladio materiali, ut novis placet Theologis; directe aut indirecte muniretur. Siquidem cunctis hominum Rectoribus & Præpositis inditum est à natura, ut suo exemplo in animos multitudinis potentissimè influant. Deus immortalis! quanta cum corruptelarum prærogativa, Curiæ Romanæ dominatus hodierna die prævalet? Quoniam magno colore & specie pietatis exsplendescit quod illius auctoramento celebratur: & hinc illa disciplinæ Apostolicæ, & Christianæ Religionis ubique terrarum calamitas, & tantus novitatum atque superstitionum pruritus.

Verum ut ad causam secundariam efficientem ministerialem, & instrumentalem descendamus; cum ex Aristotele primo Metaphysicæ instrumenta, velut adjumenta motus, ad causam efficientem revocentur; & Christus Dominus Hierarchicum ordinem, id est, Apostolos, atque Discipulos, tanquam organa & ministros suos instituerit (quorum ope & ministerio gratiam justificationis, ac regiminis per Sacerdotii sui influxum, & dispensationem dispartiretur): concludendum est, ordinem Hierarchicum, quasi organum atque instrumentum Spiritus Sancti existere: Ita ut Christus Episcopis atque Presbyteris extrinsece, & ministerialiter ad internum, & essentiale regimen haud aliter ferme utatur, quam anima rationalis partibus organicis humani corporis ad ratiocinandum, loquendum, audiendum, ambulandum: vel etiam

quam paterfamilias ſervis, atque aliis inſtrumentis ad familiæ ſuæ bonum, & moderationem, Roman. 12. *Nam multis unum corpus ſumus in Chriſto, alter alterius membra, habentes donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes, ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, qui præeſt in ſolicitudine: & Deus omnia operatur in omnibus*, 1. Corinth. 12. Sicut ergo internum, eſſentiale, abſolutum, ſpirituale, ac inviſibile regimen Eccleſiæ totum à Chriſto capite eſſentiali, & à Spiritu Sancto; Ita miniſteriale, externum, & viſibile ab ordine Hierarchico derivatur, juxta leges poſitas in Euangelio. Cæterum ordo Hierarchicus à Chriſto inſtituitur per ſacerdotii ſui æterni communicationem: quia *ſicut Dominus noſter tanquam ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, omnem habet in cælo & in terra auctoritatem*, Matthæi ultimo. Similiter Eccleſia ejus ſponſa, ut conſors, & particeps ſacerdotii atque Epiſcopatus Chriſti, eadem pollet auctoritate, ſed duntaxat in poteſtate miniſteriali ſpirituali, quod ſæpe dictum, ſæpius tamen dicendum eſt. Certe quando in unoquoque genere unum primum eſt ad quod cætera omnia velut ad cauſam, principium, & exemplar referri debent; ut omnia calida ad ignem, verbi cauſa, & Apoſtolus ad Hebr. 7. aſſerit, POSITO VEL TRANSLATO SACERDOTIO, OMNEM QUOQUE PONI VEL TRANSFERRI LEGUM SANCIENDARUM AUCTORITATEM. Hinc neceſſario inſurgit, cunctas dotes divinas ad Poteſtatem & jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinentes, haud aliter referri oportere ad Chriſti ſacerdotium, quam effectus ad cauſam Phyſicam, proprietates ad ſubjectum, potentias intelligendi, volendi, & reminiſcendi ad animam rationalem, rivos ad fontem. Ut enim anima rationalis tota eſt in toto, & tota in qualibet parte corporis organici, ac pro varietate organizationis & diſpoſitionis variorum membrorum, varias etiam ac differentes obit operationes: pari modo unicum eſt in toto ordine Hierarchico natura, & ſpecie ſacerdotium aut Epiſcopatus Chriſti, totum in toto, & totum in qualibet parte ordinis Hierarchici: ubi tamen pro diverſitate organizationis, adminiſtrationis, exercitii, ac dignitatis Papalis, Epiſcopalis, & Presbyteralis diſtinguitur: propterea quod Papa, Epiſcopi, & Presbyteri varias ac differentes operationes & munia in Corpore myſtico Chriſti, quod eſt Eccleſia exercent, teſte Cardinali Cuſano lib. priore de Concordantia cap. 10. *Sacerdotium*, inquit, *eſt ut anima una in uno corpore fidelium, quæ membris communicat vivificationem, vegetationem, & ſenſationem:* & juxta graduationem membrorum quibus præſidet, *gradum in præſidentia cathedrali ſortitur.* Item lib. tertio, cap. 41. *Conſideret Romanus Pontifex, ſi ſacerdotium eſt ut anima una quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet ejus parte, quod tunc exequutiones poteſtatum, quoad decretam provinciam ſecundam plus & minus, quum ab extrinſeco dependeant, non diminuunt*

nuunt ſpiritualem Poteſtatem in ſe. Unde ſicut anima ipſa in pede hominis non eſt major nec minor propter vitam quam pedi præſtat ipſamet anima quæ in capite vel in corde reſidet: ſic ipſe Papatus ſe habet ut anima in capite, & Patriarchatus ut anima in auribus vel oculis, & Archiepiſcopalis dignitas ut anima in brachiis, & Epiſcopalis ut in digitis, & ſic de ſingulis, uſque ad pedes, qui in republica plures deſignant: Unde anima eis vitam præſtans, Curatos recte ſignificat. Una eſt ergo à Deo omnium ligandi, ſolvendi, ac vivificandi poteſtas, licet illa ex parte membrorum alia atque alia, major & minor videatur. Quibus accurate perpenſis, claret Epiſcopos atque Presbyteros immediate auctoritatem ſuam mutuari à Spiritu Sancto, ob conformitatem quam habent cum Chriſto propter adeptionem ejus ſacerdotii. Unde Apoſtolus Actorum 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Hinc pariter dignoſcitur, quare B. Cyprianus perhibeat unicum eſſe Chriſti Epiſcopatum, aut ſacerdotium, atque à ſingulis Epiſcopis partem ejuſmodi Epiſcopatus in ſolidum & ex æquo poſſideri 24. *quæſt.* 1. *Can. Loquitur* §. *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Huc & accurrit Hieronymus docens omnes Epiſcopos ejuſdem prorſus eſſe meriti, atque ſacerdotii, & individue, ac indiſtincte Apoſtolorum ſucceſſores *diſt.* 93. *can. Legimus* §. *Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, meriti ejuſdem eſt, & ſacerdotii: potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum Succeſſores ſunt.* Lux quoque magna ſententiæ Gulielmi Altiſiodorenſis accedit lib. 4. Sententiarum, quæſt. 1. ſub finem de Sacramento Ordinis. *Quod ſi non eſſent in mundo niſi tantum tres ſimplices ſacerdotes*, ait, *oporteret quod aliquis illorum conſecraret alium Epiſcopum, & alium in Archiepiſcopum.* Certe divina inſtitutione & Jure Communi, ſinguli Epiſcopi id ſunt reſpective in ſua diœceſi, quod Papa in Eccleſia univerſali, teſte Bellarmino lib. quinto de Romano Pontifice cap. tertio. Deinde eſt in confeſſo apud omnes Theologos, reſervationem caſuum Juris eſſe ſolum poſitivi: & ob eam rem quemcumque ſimplicem ſacerdotem obvium in caſu neceſſitatis tantumdem habere auctoritatis quantum & Papam ipſum, quoad Jus abſolvendi à peccatis: præterea Epiſcopatum cum Presbyteratu unum atque eundem omnino imprimere Characterem qui ſola ampliatione aut extenſione, id eſt, quoad exercitium, non intenſive, & formaliter diſtinguitur in Epiſcopo, & Presbytero: idque exemplo pueri & viri illuſtrant: quia puer vir factus nihil à ſeipſo natura, & ſpecie differt, cum eſſet puer, ſed materia-

rialiter tantum, & quoad extensionem. Quare Magister Sententiarum lib. 4. dist. 24. docet, *Nomen Episcopi, & Presbyteri esse nomina dignitatum, atque officiorum, non ordinum.* Quem locum S. Bonaventura lib. 4. Sententiarum distinctione 19. quæstione secunda luculenter explicat: ac primo *asserit Christum Potestatem ligandi & solvendi solis sacerdotibus commisisse: & in ordine sacerdotali dari claves: & quoniam Episcopatus non dicit novum ordinem, sed quandam ordinis eminentiam, ideo in eo non dari novam clavem, sed potestatem hujusmodi extendi & ampliari.* Præterea distinct. vigesima quinta quæst. tertia: *In ordine sacerdotali non esse gradus ordinis, sed distinctionem dignitatum, & officiorum, quæ tamen novum gradum vel ordinem non constituunt, ut Archipresbyter, Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, Pontifex summus: qui ultra sacerdotium non addunt ordinem, nec gradum novum, sed solum dignitatem, & officium. Et ita Episcopatus prout concernit ordinem sacerdotii, bene potest dici ordo; sed prout distinguitur contra sacerdotium, dicit dignitatem quandam vel officium Episcopi annexum, & non est proprie nomen ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur. Unde sicut non recipit alias claves, sic nec alium ordinem.* Concludit S. Bonaventura, *Episcopatum præcise loquendo non esse ordinem, sed ordinis eminentiam, vel dignitatem supra presbyteralem ordinem: idque similiter tenendum esse ait de Papatu aut Primatu respectu Episcoporum.* Ab hoc etiam fonte & alia communis Theologorum sententia derivatur, videlicet, utramque clavem aut potestatem ordinis & Jurisdictionis unà & conjunctim conferri habitu & in actu signato quando Episcopalis, & sacerdotalis ordo datur: deinde ad actum, exercitium, & exequutionem reduci cum materia, id est, populus regendus, nimirum parœcia presbytero, vel diœcesis Episcopo administranda defertur. Quam in rem nobis aliquando futura est amplior disputatio adversus Suarem: qui ut probet Jurisdictionem Ecclesiasticam à Papa velut à Monarcha absoluto Ecclesiæ conferri, frustra in hac disputatione omnibus Theologis contradicit, quasi per ordinem sola Potestas ordinis, & non Jurisdictionis Episcopis, & Presbyteris daretur.

Sed posito hoc invictissimo Ecclesiasticæ Jurisdictionis fundamento, sciendum est Christum sex loquendi formulis auctoritatem Ecclesiasticam designasse, & actu contulisse: primum facultate clavium ad claudendum & referandum cælum. 2. Potestate ligandi, & solvendi: 3. immediata missione Apostolorum & discipulorum: 4. Collatione sacerdotii sui: 5. Auctoritate remittendi atque retinendi peccata: 6. Facultate pascendi oves suas. Ubi notatione dignum, ex variis modis capessendæ Potestatis Ecclesiasticæ, quinque, videlicet facultatem claudendi & aperiendi cælum, ligandi & solvendi, immediatam quoque missionem, & potestatem retinendi ac remittendi peccata cum suprema auctoritate pascendi oves Domini, necessario referri ad Sacerdotium Christi

Christi, velut effectus ad causam physicam large sumpto nomine causæ physicæ: scilicet cum posita aliqua re continuo, & necessario effectus sequitur: quemadmodum ex Christi sacerdotio communicato Ecclesiæ, Papalis, Episcopalis, & presbyteralis auctoritas necessario manat, & existit.

Cæterum ipso Euangelio clare docemur, Christum conferendo claves aut Jurisdictionem Ecclesiasticam discipulis, eam semper prius, atque immediatius toti Ecclesiæ collectim & indivisim, quam uni, & soli Petro seorsim detulisse, congruenter ad VII. & VIII. Axiomata. Utque singulos percurramus locos, primum Matthæi 16. Christus nihil dat, sed verbo futuri temporis Petro tanquam ad Ecclesiæ primatum gerendum designato Joannis 1. pollicetur claves regni cælorum nomine omnium Apostolorum, & discipulorum quos Petrus propter Primatum suum repræsentabat, & pro quibus omnibus responderat, *Tu es Christus filius Dei vivi*, sicut omnes Patres docent. Quare eodem plane sensu, & prærogativa dicitur Petro, *Quodcumque solveris*, &c. Matt. 16. quo & omnibus Apostolis, *Quæcumque alligaveritis, aut solveritis*, Matt. 18. ut cuncti doctores Ecclesiæ asserunt, uno excepto Maldonato cap. 16. in Matthæum ad hæc verba, *Quodcumque ligaveris super terram. Nec enim ait eodem sensu quo Petro, atque aliis Apostolis dictum interpretor, Quodcumque solveris super terram: etsi video omnes auctores præter Origenem in eadem fuisse sententia.* Quasi vero Maldonate, tibi uni potius, quam omnibus antiquis & recentioribus auscultare debeamus? cum illorum doctrina Jure Divino, Naturali, & Canonico roboretur: tua vero imaginariæ potestati absolutæ tantummodo incumbat, & Legi Divinæ ac praxi Ecclesiæ primitivæ omnino adversetur: siquidem post Cajetanum fingis clavem alterius generis datam Petro quàm aliis Apostolis quod est ridiculum, & Chimæricum: quando casuum reservatio Juris est mere humani. Porrò Dominus Matt. 18. supremum Ecclesiæ tribunal ad Sacerdotii sui exercitium exigit, ad quod peccatores, cum alia corrigendi via, & ratio non exstaret deferrentur, etsi pervicaciter obdurescerent, atque sacerdotio Christi obtemperare detrectarent, Spiritualis exilii pœna multarentur: *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*, &c. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis*, &c. Quo de loco infra Axiomate XVI. & XVII.

At Dominus immediatam missionem Apostolorum, & discipulorum ex more, & instituto Principum Legatos, atque Oratores suos in exteras provincias cum justa, & necessaria potestate mittentium celebravit: ideoque veram, & realem collationem Jurisdictionis continet Roman. 10. *Quo modo prædicabunt nisi mittantur?* Inchoatur verò ante passionem Domini, Matthæi & Lucæ 10. & Joannis 17. deinde cumulate perficitur Joannis 20. & Matthæi ac Marci ultimo post resurrectionem: *Euntes in mundum universum prædi-*

cate Euangelium omni Creaturæ: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Quem textum Bellarminus cap. 23. lib. 4. de Romano Pontifice luculenter explicat, & nominatim perhibet: *Idem dari Apoſtolis per illa verba, Ego mitto vos Joannis 20. quod Petro fuerat promiſſum per illud, Tibi dabo claves: & poſtea exhibitum per illud, Paſce oves meas. Conſtat autem per illa, Tibi dabo claves, & per illud, Paſce oves, intelligi Juriſdictionem pleniſſimam, etiam exteriorem.* Cujus Teſtimonio liquet, cunctos Apoſtolos & honore & poteſtate inter ſe pares extitiſſe, conformiter ad ſententiam Cypriani *can. loquitur. 24. quæſt.* 1. quem Canonem Bellarminus ibidem interpretatur. Iſthæc autem honoris, & poteſtatis æqualitas inter Apoſtolos, nihilo magis Primatui Petri quam æqualitas Cardinalatus prærogativæ Decani Collegii Cardinalium detrahit. Etſi enim omnes Cardinales ratione ſui Cardinalatus ſint inter ſe pares & æquales: tamen Decanus propter Primatum ſuum omnibus anteit: de Jure autem Primatus Petri Axiomate **xxx.** Quod verò Bellarminus poſt Turrecrematam hanc Apoſtolorum æqualitatem imminuere tentat in Epiſcopis qui Apoſtolis ſucceſſerunt, quaſi quædam fuiſſet extraordinaria, & delegata poteſtas in Apoſtolis, quæ ad Epiſcopos ut ſucceſſores Apoſtolorum, nequaquam tranſiiſſet: contra autem in Petro ordinaria poteſtas ſolide reſediſſet atque ad ſolos Romanos Pontifices Petri ſucceſſores duntaxat perveniret: certe purum putum eſt figmentum, & petitio principii. Quoniam omnes Patres hunc locum Joannis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, &c. (quem Bellarminus loco citato de pleniſſima poteſtate intelligi perhibet) interpretantur de ordinaria Poteſtate Eccleſiaſtica æque tranſmiſſa ad Epiſcopos ſicut ad Apoſtolos: alioqui certe Poteſtas Eccleſiaſtica non eſſet ejuſdem ſpeciei, & naturæ in Epiſcopis quæ fuit in Apoſtolis. Addo amplius, totam hanc Poteſtatem & miſſionem à Chriſti Sacerdotio velut à cauſa univoca ſcaturire, atque ejuſdem plane generis, virtutis, & naturæ in omnibus Epiſcopis, exiſtere, ſi habitu, *formaliter*, intenſive & in actu ſignato conſideretur: differre tantum *materialiter*, quoad actum, exercitium, adminiſtrationem, extenſionem, & exequutionem: propterea quod ſummus Pontifex ob Primatum, extenſive, & exequutive ampliorem habet poteſtatem ſuper Eccleſias particulares diſgregatas, ut infra demonſtrabitur.

Sed quoniam Apoſtoli eorumque ſucceſſores Epiſcopi, in vim Sacerdotii Chriſti quandam cum Chriſto conformitatem adipiſcuntur, ideoque Proreges, Legati, Miniſtri, OEconomi, Vicarii, & Procuratores Domini efficiuntur, ac facultate regendæ Eccleſiæ per actus Hierarchicos donantur; *illuminando per doctrinam, purgando per pœnitentiam, & cenſuras, ac perficiendo reliquorum Sacramentorum adminiſtratione, & Canonum ac Legum Conſtitutione*

quando

quando res postulat: Sciendum est Petrum in hoc munere ob primum gradum Sacerdotii Domini quem habet, Primatum super alios Apostolos obtinere. Porro Dominus Sacerdotium suum in commune, & indivisim toti largitur Ecclesiæ, ut doceret non ab uno & solo seorsim, sed in ordine ad regimen Aristocraticum esse dispensandum: ac neminem existere, qui non eidem subjiciatur, Axiomate XVI. Quare Christus Lucæ 22. omnes Apostolos collectim sic affatur: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in mei commemorationem*, &c. *Reges Gentium dominantur eorum, Vos autem non sic: sed qui major est in vobis*, fiat sicut minor, & qui Præcessor *sicut Ministrator. Et ego disponо vobis sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* Cujus Regni Euangelici gubernatio, tota in actuum Hierarchicorum ministerio consistit: & ad hunc sensum intelligendus Apostolus cap. 2. posterioris ad Corinthios, *pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Quæ legatio, & Proregnum Christi, respective & proportionatim ad LXXII. discipulos, & eorum successores Presbyteros habentes curam animarum extenditur.

Hinc ergo clarissime probatum manet, Sacerdotium Christi cum potestate remittendi, ac retinendi peccata, item immediatam missionem, atque alias dotes ad Ecclesiasticam Jurisdictionem spectantes superius explicatas indivisim, & in commune prius collatas omnibus Apostolis quam aliquid seorsim Petro conferretur à Christo. Sic enim ante omnia Dominus Aristocraticum regimen Ecclesiæ fundare, & instituere; deinde postremo loco exequutionem hujus regiminis Petro largiri voluit ultimo: *Si diligis me, pasce agnos meos, pasce oves meas*: qua de clausula Axiomate XXX. Proculdubio cum Dominus Sacerdotium suum, & claves jugiter in Ecclesia mansuras instituerat, ideo non uni, & soli Petro (quia partiale est, inadæquatum, & mortale subjectum) eas contulit: sed toti ordini Hierarchico collectim sumpto, quem Apostoli referebant, velut totali, adæquato, atque immortali subjecto. Quare ordo Hierarchicus claves architectonice quasi per dominium, & proprietatem possidet, ut eas quando opus est propaget, atque Prælatis singularibus, quoad usum, ministerium & exequutionem dispartiatur. Unde S. Augustin. sermone centesimo octavo de diversis, qui tertius est in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, explicate ait, *Non hominem unum, sed unitatem accepisse claves Ecclesiæ, ac Petri excellentiam prædicari: quia ipsius universitatis figuram gessit, quando ei dictum est: Tibi dabo, quod omnibus traditum est*, &c Quam disputationem Tostatus Abulensis Episcopus doctissimus in propriis terminis tractat, & enucleat cap. decimo quinto Numerorum, quæ-

ſtione quadrageſima octava, & quadrageſima nona, diſputans, *An communitas ſeu Eccleſia poſſit habere exercitium Juriſdictionis, & an Chriſtus dederit claves ſoli Petro ſpecialiter, vel toti Eccleſiæ: & quo modo transfertur auctoritas clavium de uno Prælato in alium.* Legendus quoque Gerſonius de Poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione quarta, & Almainus de Eccleſiæ auctoritate cap. ſexto & ſeptimo.

Cæterum non abs re informandus Lector, quod longe aliud ſit dicere, *claves datas unitati, ut per unum exerceantur, aut mandentur exequutioni: atque ſimpliciter & abſolute perhibere, claves datas eſſe unitati duntaxat.* Quia primum indicat Statum aut Principatum Eccleſiæ eſſe Monarchicum Ariſtocratico Regimine temperatum, ſicut Synodi Conſtantienſis Canonibus definitur, & Axiomate XI. explicatum eſt. Secundum vero oſtendit, Statum, & Regimen Eccleſiæ pure pute Ariſtocraticum, ut in Republica Veneta. Hoc autem Gerſonius merito improbat *Tractatu Secundo de Schiſmate*, demonſtrans eſſe impoſſibile Eccleſiam plures habere Papas: ſicut nonnulli homines tempore Schiſmatis Antipaparum unionem Eccleſiæ impedientes contendebant, propterea quod magnus ex ea re proventus ad illos redundabat; quemadmodum Hiſtoriæ temporum memorant, conſule XXXI. Axioma.

Sed ut ratio noſtræ Analyſeos omnibus conſtet, definitionem Axiomate I. poſitam, cum eſſentialibus cauſis Eccleſiaſticæ Poteſtatis ſigillatim, ſi placet conferamus. Ita enim exploratum evadet, utrum Regulis Dialecticæ & Theologiæ cohæreat. Primum clauſula hæc; *ad finem ſupernaturalem inſtituta*, deſignat cauſam finalem ad quam unitate, & Sanctorum Communione per bonum Eccleſiæ regimen perveniri alias oſtendimus. Secundo materialem cauſam vocabulis *Politiæ & Monarchicæ* ideo expreſſimus, quod cuncti homines Sacro Baptiſmate donati quandam Politiam Monarchicam conſtituant, primum reſpectu Chriſti Capitis & Monarchæ eſſentialis, ſecundo intuitu Papæ atque omnium Epiſcoporum: qui ſuo quiſque modo proportionatim & reſpective habendi ſunt Monarchæ, large ſumpto nomine. Papa quidem ob Primatum ſuper particulares Eccleſias per mundum diſperſas: Epiſcopi vero ratione ſuæ privatæ diœceſis. Ex quo dignoſcimus, univerſos Chriſtianos Jure quodam ſocietatis in Lege Euangelica & cum ipſomet Chriſto Capite eſſentiali, & cum ſuis Paſtoribus ac inter ſeſe invicem intime ſociari, & colligari: Ita ut omnes unum corpus efficiant in Chriſto, ſintque alter alterius membra. Quare Cyprianus Epiſt. 69. ad Pupianum aſſerit *Eccleſiam eſſe plebem Epiſcopo adunatam, & Paſtori ſuo gregem adhærentem.* Cauſa formalis atque efficiens primaria his vocibus conſignatur: *Politia & Monarchica à ſummo animarum noſtrarum Paſtore inſtituta.* Cauſa autem ſecundaria efficiens his aliis: *Ariſtocratico Regimine omnium optimo, & naturæ convenientiſſimo temperata.* Enimvero,

vero, penes ordinem Hierarchicum Ariſtocratiæ moderatio habitat Matt. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, & quæcumque ſolveritis*, &c. *Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*, &c. Apoſtolos autem atque diſcipulos ſuos qui Ordinem ſacerdotalem referebant, alloquitur Dominus. Et quoniam Epiſcopi Apoſtolis, & Presbyteri LXXII. diſcipulis Jure divino ſucceſſerunt Axiomate XXXIV. idcirco Regimen Eccleſiæ ad Epiſcopos, & Presbyteros curam habentes animarum velut ſacerdotii, & Cathedræ Chriſti proportionatim, & reſpective participes attinet. Cur autem Regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ omnium optimum & Naturæ convenientiſſimum dicatur, Axiomate I. probavimus.

Summa hujus pronunciati eſt, fruſtra & ſupervacue adverſarios diſputationes inſtituere de auctoritate Papæ ſupra Eccleſiam aut Concilium generale: quia ſecundum omnia cauſarum eſſentialium genera, nec non etiam habita ratione cauſæ efficientis ſecundariæ inſtrumentalis, Papa ſubjicitur Eccleſiæ ſicut filius matri, miniſter dominæ ſuæ, & ſponſæ Chriſti, pars toti, membrum corpori, oculus homini, effectus atque inſtrumentum ſuæ eſſentialis cauſæ. Primum ſi ipſemet dominus cauſæ finali Eccleſiæ in vitam æternam miniſtrare, & ſubſervire, eamque ob rem formam ſervi accipere voluit Philipp. 2. Matt. 20. Luc. 22. quotuſquiſque Prælatorum Eccleſiæ hoc miniſterium gravate ferre, aut appellationem miniſtri vel capitis miniſterialis detrectare audeat? Secundo Papa nihilo magis ad cauſam materialem quam quilibet Chriſtianus pertinet: quoniam omnes ſumus in ſolidum Chriſtiani, & ex æquo Eccleſiæ atque alter alterius membra homogenea in Chriſto, & corpus Chriſti, id eſt, Eccleſiam conſtituimus: quemadmodum multa grana frumenti, unam maſſam panis componunt. Quapropter in genere cauſæ materialis, neque S. Petrus, neque Papa, naturam aut notionem capitis ſed membri duntaxat ſub Monarcha, & capite eſſentiali Chriſto obtinere poteſt. Tertio in genere cauſæ formalis aut efficientis primariæ nullus præter Chriſtum, & Spiritum Sanctum ſibi quicquam vendicat. Quarto cauſa efficiens ſecundaria, & inſtrumentalis totus eſt ordo Hierarchicus collectim ſumptus, conſtans Apoſtolis & LXXII. diſcipulis, quibus Epiſcopi, & Presbyteri Jure Divino ſucceſſerunt, Axiomate XXXIV. & confertim totale adæquatum, invariabile, & immortale ſubjectum Sacerdotii Domini efficit: cujus ſacerdotii omnes Epiſcopi in ſolidū, intenſive, formaliter, & ex æquo ſunt conſortes. Neque in hoc genere cauſæ inſtrumentalis Petrus ſupra alios Apoſtolos, & Papa ſupra Epiſcopos ſibi quicquam privatim aſſumere valet excepto Primatu; id eſt, primo gradu Sacerdotii Chriſti in ordine ad Regimen Ariſtocraticum Axiomate XI. XIV. XXIX. & XXX. idemque prorſus judicium de Epiſcopis reſpective & proportionatim comparatis ad Presbyteros curam habentes animarum ſupra quos Primatum ſimiliter

liter obtinent. Quinto ex his indubitatis Principiis definitio Eccleſiæ Axiomate I. & decreta Synodi Conſtantienſis de Concilii auctoritate ſupra Papam Axiomate II. conſignata, clare quidem probata & explicata manent à Priori. Sexto hinc quoque inſurgit, facultatem Theologicam Pariſienſem in Articulis quos anno 1542. edidit adverſus Lutherum, quando enunciat *Eccleſiam immediatè habere à Chriſto Poteſtatem excommunicandi*, (quæ eſt ſuprema poteſtas Eccleſiæ Axiomate XVII.) atque omnes Doctores & Baccalaureos adigit ut in præfatos jurent Articulos, eoſque propriis ſyngraphis obſignent, &c. continuo etiam omnibus alumnis ſuis legem figere, ut teneantur docere Concilium eſſe ſupra Papam. Siquidem ex immediata Eccleſiæ auctoritate, neceſſitate conſequentis & conſequentiæ inducitur Concilium generale legitime congregatum Eccleſiam Catholicam repræſentare, atque poteſtatem directivam, & coactivam habere in Papam, Axiomate II. Hinc pariter conſurgit, *Extravagantem, unam Sanctam, de Majoritate & obedientia*, qua Bonifacius venditat *Papam utrumque habere gladium, ac omnes judicare, & à nemine judicari*, eſſe falſam, erroneam, & impiam: propterea quod naturæ, & cauſis eſſentialibus poteſtatis ſpiritualis miniſterialis Eccleſiæ tam contraria eſt, quam Deſpoticum & ſanguinarium imperium Euangelio pacis, & Legis gratiæ omnium mitiſſimæ, & perfectiſſimæ libertatis: neque inter hæc duo extrema, poteſtas indirecta recentiorum ullum poteſt medium congruens Euangelio conſtituere, quo error ille mitigetur aut ad aliquem ſenſum tolerabilem explicetur: & idcirco falſum atque erroneum eſt, Papam aut Eccleſiam præditam eſſe poteſtate Reges etiam hæreticos abdicandi, multoque minus occidendi. Quæ omnia proxime ſequentibus axiomatis amplius demonſtrabuntur.

AXIOMA XV.

Eccleſiam eſſe, ac proprie appellari unam, totam, integram, Catholicam, atque infallibilem ob internas, & eſſentiales, non propter externas, inſtrumentales, accidentales, & mutabiles cauſas: atque ordinem Hierarchicum, Primatum, Papatum; Epiſcopatum, & Presbyteratum formaliter *quoad inſtitutionem ac eſſentiam, eſſe penitus invariabiles, ac immutabiles:* materialiter *autem ſubjective, quoad eſſentiam, & exercitium eſſe mutationi obnoxios: & confutatio argumentorum quibus Adverſarii Papam Caput eſſentiale Eccleſiæ efficere moliuntur.*

XXI. CUm res univerſæ ſuum Eſſe, ſuam virtutem, operationem, & denominationem ſortiantur ab integritate, & qualitate cauſarum

rum internarum, ac eſſentialium, non externarum & accidentalium: profecto Eccleſia debet eſſe & dici una, ſancta, Catholica, infallibilis, impeccabilis, invariabilis, integra, & tota propter cauſas eſſentiales, atque individuam ejus unionem cum Chriſto ſponſo, & capite eſſentiali; qui ſponſam chariſſimam per Spiritum Sanctum interne, individue ac eſſentialiter vivificat, informat, & dirigit: exterius autem miniſterialiter, viſibiliter, & inſtrumentaliter per Hierarchicum ordinem conſtantem Primatu, Epiſcopatu, & Presbyteratu. Tametſi enim ordo Hierarchicus, Primatus, Epiſcopatus, atque Presbyteratus *formaliter*, objective, quoad eſſentiam, & inſtitutionem ſint immutabiles, ac invariabiles: nihilominus ſi *materialiter* ſubjective quoad eſſentiam, atque exercitium conſiderentur, quatenus in Petro, Paulo, Clemente, & aliis ſingularibus perſonis mortalibus exiſtunt, plane accidentales, & variabiles ſunt. Quamobrem hoc vel illo Papa, Epiſcopo, aut Presbytero ſingulari vita functis, vel juſta de cauſa abdicatis ab Eccleſia, ſemper eſſentialis ac interior unitas Eccleſiæ integra, & illibata continuat: propterea quod ordo Hierarchicus collectim ſumptus, ſacerdotium Chriſti cum univerſa poteſtate, & jurisdictione Eccleſiaſtica, atque ipſomet Papatu, aut Primatu eminenter poſſidet, totaliter, adæquate, formaliter, ſuppletive, architectonice, & velut per dominium, ac proprietatem. Ex quo fit ut ipſe Pontifex Romanus mediatione ſuppoſiti, & virtutis atque miniſterii Eccleſiæ ſacerdotalis, claves & juriſdictionem Eccleſiaſticam conſequatur: quoniam Eccleſia dum Pontifici Sacerdotium Chriſti communicat; una quoque eidem quoad habitum, & in actu ſignato defert poteſtatem Eccleſiaſticam, quæ ad actum atque exercitium reducitur per electionem Cardinalium: qui tanquam legati, & procuratores Eccleſiæ, univerſum populum Chriſtianum Papæ regendum ſubjiciunt. Hæc autem ut amplius confirmentur, aliquot doctorum ſcholæ Pariſienſis teſtimonia ſubjiciam. Cardinalis Alliacenus de auctoritate Eccleſiæ cap. ultimo circa medium: *Quamvis Papæ concedatur eſſe caput Eccleſiæ, tamen hoc eſt ſub principali capite Chriſto: & ideo ſubordinatio corporis Eccleſiæ ad Papam eſt ſolum accidentalis, ſed eſſentialis ad Chriſtum, à quo immediatè habet auctoritatem: & illud privilegium non habet à Papa.* Gerſonius libello Articulorum theologicè compoſitorum contra Petrum de Luna articulo tertio: *Quamvis unitas Eccleſiaſtica eſſentialis ſit ad primarium caput Chriſtum: nihilominus unitas altera accidentalis vel ſecundaria conſiſtit in obedientia ad unum ſummum Pontificem qui eſt caput ſecundarium in Eccleſia.* Deinde articulo quinto: *Eccleſia continuabit in unitate uſque ad conſummationem ſeculi, & hoc intelligendo nedum de primaria & eſſentiali unione, quæ eſt ad Chriſtum, ſed de accidentali, & ſecundaria ad ſummum Pontificem.* Item articulo undecimo: *Reſpondeo quod ſimilitudo corporis veri,*

veri, & mystici non est usquequaque eadem : quoniam sine capite naturali corpus non potest habere vitam : sed in casu nostro patet de Papa, quo remoto vel abscisso stat unitas, & vita in corpore mystico Ecclesiæ : & hoc virtute Capitis essentialis, & primarii quod est Christus.

Quo ex textu Gersonii inducimus, universa argumenta quæ à similitudine capitis, & corporis naturalis visibilis ad mysticum, & politicum corpus Ecclesiæ ducuntur, penitus esse sophistica. Almainus capite septimo de Ecclesiæ auctoritate ad quartum: *Contulit Domnus claves Petro summo Pontifici ut signo & figuræ unitatis Ecclesiæ.* Quæ Almaini responsio contra Cajetanum, plane concordat sententiæ Cypriani lib. de unitate Ecclesiæ, ubi docet Papam & Petri Cathedram esse figuram, & Symbolum unitatis Ecclesiæ, Ecclesiam autem esse fontem, radicem, & causam efficientem totius auctoritatis Ecclesiasticæ post Christum: sicut sol est causa radiorum, fons rivuli, radix ramorum arboris. Nec mirum quando Ecclesia Sacerdotium, & Episcopatum Christi architectonice possidet. At Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 24. hunc Cypriani locum sophistice ad unum & solum Papam detorquet, quasi ab illo, velut à Monarcha absoluto infallibili, tota Ecclesiæ auctoritas flueret; quod non est explicare sed corrumpere Auctores. Sed ut ad Almainum revertar ibidem capite octavo, responsione ad secundum: Non oportet, ait, omnem proprietatem capitis proprie dicti reperiri in isto capite similitudinario : & præcipue cum Ecclesia tota non dicatur corpus Petri, sed solum corpus Christi : ut patet Roman. 12. ubi dicitur: *Multi unum corpus sumus in Christo.* Joannes Major quarto Sententiarum dist. 24. quæst. 3. *Ecclesia non dicitur una ab unitate Capitis ministerialis, sed à Christo, & unitate fidei, ut videre est post mortem Papæ ante creationem alterius.* Idem Commentariis in cap. 18. Matthæi ad septimum : *Respondetur quando nullus est Papa, Ecclesia non est minus una quam uniente Papa. Quia Ecclesia dicitur una ab unitate capitis essentialis, & non ab unitate capitis accidentalis. Stat virum aliquem Papæ contradicere, & esse de unitate Ecclesiæ, dummodo stet sub capite Christo, est de unitate Ecclesiæ.* Magister Claudius Guilliaudus etiam doctor Sorbonicus in cap. 1. ad Colossens. in hunc versum : *Et ipse est caput*, &c. *Nec ulla quidem creatura est quæ dici possit caput Ecclesiæ, sed Christus solus. Nam caput Ecclesiæ esse, est Regem & Salvatorem esse totius Congregationis Sanctorum; Ubi ubi fuerint Sancti.* Quibus sententiis relinquitur, longe aliud esse unitatem fidei absolute servare, & eam cum Romano Pontifice capite symbolico, similitudinario, & accidentali retinere: quando, ut ait Major, *stat aliquem Papæ contradicere, & esse de unitate Ecclesiæ*: quod experientia satis comprobat; & ipsemet Bellarminus lib. secundo de Romano Pontifice cap. 29. responsione ad sextum: ubi docet, licitum etiam armis

resistere

resistere Pontifici turbanti Rempublicam: sicut à Majoribus nostris factum est tempore Bonifacii VIII. & Julii II.

Compendium hujus disputationis eo redit, ut Parisienses Theologi cum adversus Curiales pro Ecclesiæ & Concilii auctoritate supra Papam decertant, Ecclesiam perpetuo capiant pro toto suis absoluto numeris, quod Christus Dominus per Spiritum Sanctum virtutibus Theologicis, nec-non aliis internis motibus Spiritualibus gratiæ, atque regiminis necessarii Ecclesiæ informat; & vivificat per sacerdotii sui dispensationem: quorum motuum internorum Papa & alii Episcopi sunt tantummodo ministri & instrumenta externa. Unde cum genuinum & naturale officium capitis sit vitam & motum corpori influere: profecto Papa Ecclesiæ Caput appellari non potest, nisi valde improprie, & per quandam analogiam. Quæ à me dicuntur veritatis asserendæ studio: quoniam Theologorum est in dogmaticis constituendis presse, & proprie loqui, ac Sophistica vitare. Enimvero, sicut Pater naturalis est qui filium generat, atque hæredem efficit: non autem Vitricus aut Curator qui privigno & pupillo quædam adjumenta externa non de suo sed de privigni, ac pupilli bonis largitur: pariter ille solus caput Ecclesiæ proprie habendus, qui vitam justificationis, & gratiæ, ac motus spirituales Regiminis Ecclesiæ influit, *quique est salvator* ut ait Guilliaudus: minime vero qui extrinsece actus Hierarchicos obit, & Sacramenta in vim Sacerdotii Christi administrat: *Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus*, Psalm. 44. Qui ergo venditant Papam esse caput essentiale Ecclesiæ, perinde faciunt certe, ac si quispiam diceret S. Joseph sponsum B. Virginis Mariæ patrem fuisse naturalem Domini, quoniam exterius Christo ministrabat. Frustra autem instant Adversarii, Papam eo modo dici Caput visibile Ecclesiæ quo Franciæ Rex verbi causa, est caput Regni sui; aut dux & Imperator caput exercitus. Quia ejusmodi comparationes inter corpus Politicum Naturale, & suum etiam caput Connaturale, sunt omnino disparatæ & à proposito alienæ, si cum Papa, & Ecclesia conferantur. Enimvero, Rex Franciæ formaliter & de facto Jurisdictionem in totum Regnum diffundit, eamque singulis Regni Magistratibus immediate, & proportionatim dispartitur, quemadmodum dux aut Imperator exercitui. Contra Pontifex Romanus, nihil plane in Ecclesiam influit: nisi forte quis per Catachresim influere vocet externum Ministerium, atque exercitium Hierarchicarum actionum quod proportionatim & respective commune est Pontifici cum aliis Episcopis, & Presbyteris: idque nullo modo derogare potest Primatui. Quod autem Curia Romana per abrogationem sacrarum electionum hodie efficit, ut omnes qui Episcopatus, atque alia pinguiora Sacerdotia, & Abbatias ambiunt, equis concitatis Romam convolent, atque bullas quasi pro titulo Jurisdictionis collatæ magno Annatarum pretio redimant: grande profecto, &

celebre est Mysterium, ab aliquot jam annis inventum, quo Papa Ecclesiis per vim majorem eripuit, quod illis postea magno Annatarum pretio carissime venderet: utque ignaris persuaderet, se fontem esse totius Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quod est falsissimum & repertum, quasi Deus Pater qui Filio dilectissimo universas gentes & terminos terræ pro hæreditate addixit, Psal. 2. voluisset Ecclesiam ad unam aut alteram provinciam redigi; unde equis percibus Romam obtinendorum beneficiorum causa facile posset convolari. Equidem potestas clavium & Jurisdictionis quanta quanta est, tota inest Sacerdotio Domini, quod per Sacrorum Ordinum collationem confertur: & hinc manat omnis externus atque visibilis influxus Regiminis Ecclesiæ: idque adeo ut ipsemet Papa, & alii Prælati suam auctoritatem à Christi sacerdotio repetant per externum Ministerium Ecclesiæ cui ejusmodi sacerdotium creditum est, quo illud Architectonice dispensaret ac dispartitetur. Unde datur intelligi, Ecclesiam collectim sumptam influere quidem in Papam & alios singulares Prælatos quos donat Sacerdotio Christi: quod, ut aliàs diximus, est tanquam anima Ecclesiam vivificans, & propagans. Quæ rationum momenta ejusmodi sunt, ut ea multo pronius Adversarii suis virulentis convitiis, & cavillationibus Sophisticis inquinare quam valide impugnare queant.

Nunc ad illorum sophismata divertamus: ac primo causantur Ecclesiam genuino indigere influxu ad sui conservationem: interno nimirum atque externo: quorum prior est à Christo capite essentiali & à Spiritu Sancto Ecclesiæ Rectore: posterior vero est visibilis manatque à Papa Christi vicario, & capite visibili Ecclesiæ. Nam inquiunt, quando Ecclesia essentialiter est corpus visibile, oportet etiam nisi degeneret in monstrum, habeat caput visibile, qui est summus Pontifex. Ex quo pariter inferunt, sede vacante Ecclesiam esse in Statu imperfecto, neque Totum saltem completum & perfectum constituere. Bellarminus lib. secundo de Conciliorum auctoritate cap. 19. *Si accipiatur Ecclesia sine Papa, falsum est illam esse Totum: non enim est totum sed pars, & quidem major quam caput magnitudine molis; minor autem magnitudine virtutis, sive auctoritatis, ut patet in quolibet corpore.*

Alterum argumentum est Christum eo modo esse caput Ecclesiæ quo vir est caput mulieris, Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ, ipse salvator est corporis ejus*, &c. Hæc autem statuunt necessario intelligi de externo & visibili regimine, quod Christus in Ecclesiam sicut vir uxorem exercet: consequenterque Christum hoc visibile regimen non seipso sed per Papam vicarium suum, & caput visibile Ecclesiæ exercere.

Tertium argumentum est Sanderi, quod Bellarminus lib. priore de Romano Pontifice cap. 2. velut hujus controversiæ operæpretium habet ostentui: scili-

ſcilicet primum Regimen à Chriſto inſtitutum in Eccleſia fuiſſe Monarchicum, & viſibile: quoniam ipſemet Chriſtus tanquam Caput; & Monarcha ſupremus, Eccleſiam viſibiliter fundavit, & gubernavit. Igitur, ut Regimen ejuſdem ſpeciei poſt aſcenſionem Domini ſubſiſteret, & continuaret: oportuiſſe quoque eam gubernari ſub uno Monarcha viſibili, Petro videlicet, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, ad quos Chriſtiani naſcentes controverſias dirimendas deferrent, ſicut ad Chriſtum eas detuliſſent, ſi jugiter viſibilis manſiſſet nobiſcum. Quibus Sophiſticis argutiis, debilia ingenia mirum in modum percelluntur, ac decipiuntur: ut autem omnibus pateant, ſingulis partibus ejuſmodi collectionum ſatisfaciemus.

Et primo quod ſpectat ad geminum influxum conſervandæ Eccleſiæ neceſſarium, tota difficultas hæret duntaxat in externo influxu, quem non à Papa ſed ab unico Sacerdotio Chriſti per miniſterium Papæ, atque aliorum Sacerdotum fieri docuimus: quoniam Dominus Sacerdotium ſuum aut Epiſcopatum totaliter, & adæquate credidit diſpenſandum Eccleſiæ Sacerdotali collectim ſumptæ: cujus Sacerdotii omnes Epiſcopi diſtributive ſumpti partem in ſolidum poſſident: Ideoque in caſu neceſſitatis ſimplex ſacerdos à caſibus Papæ reſervatis, plenarie abſolvit ſicut Papa. Quod autem Sacerdotium non Monarchicè ſed Ariſtocratice diſpenſari voluerit Dominus, liquet Matt. 18. *Dic Eccleſiæ: qui Eccleſiam non audierit*, &c. *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis*, &c. *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram* &c. *Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum:* de qua re amplius Axiomate XVI. Sed ut fraus iſtius argumenti, & veritas interni, atque externi influxus pateat, Syllogiſmum neceſſariis terminis hoc modo contexemus.

Omne corpus viſibile eſſentialiter habere debet caput viſibile, ſibi homogeneum, & connaturale, quod vitam, motum, & ſenſum corpori impertiat: quemadmodum videmus in equo, bove, cane, homine, Regno, exercitu, &c.

Sed Eccleſia eſt corpus viſibile homogeneum, & connaturale Chriſti Domini.

Ergo Eccleſia eſſentialiter habet Chriſtum pro capite viſibili, connaturali, & homogeneo, quod vitam, omnemque motum, & ſenſum Eccleſiæ impertit.

Ubi notatione dignum, hæc vocabula, *ὡς eßentialiter*, *ὡς connaturale*, *& homogeneum* cavillos Sophiſticos Adverſariorum prodere. Nam ſicut humanum caput, quia eſt connaturale, homogenum, & eſſentiale corpori humano, eidem ſenſum, & ſpiritus animales, continuoque vitam naturaliter, ac eſſentialiter influit: Item Rex tanquam caput naturale Politicum Regni, vitam

Politicam, & Regimen Monarchicum toti regno, ſicut etiam Imperator aut dux militaris exercitui largitur: pari quoque modo Chriſtus, ut caput connaturale & homogeneum Eccleſiæ, eidem ſponſæ gratiam redemptionis, & vitam ſpiritualem eſſentialiter; tumque demum gloriam æternam, & regimen internum per Poteſtatem excellentiæ confert. Quorum omnium Chariſmatum, Papa eſt ſolummodo externus miniſter, ac inſtrumentum variabile. Qua igitur fronte de Papa velut de capite eſſentiali Eccleſiæ & ſucceſſore Chriſti diſſerunt, ac ſi Eccleſia foret corpus connaturale & homogeneum Papæ in ratione gratiæ juſtificantis, vitæ ſpiritualis, aut eſſentialis, atque interni regiminis? An quiſquam poteſt dici caput eſſentiale ejus corporis, quod neque vitâ, neque gratiâ, neque ullo minimo ſenſu aut interno, & ſpirituali motu informare, vel aliquid in eo intrinſece operari poteſt? & ejus inquam corporis, cujus eſt tantummodo filius, pars, membrum, miniſter externus, ac inſtrumentum mutabile? Quotuſquiſque poteſt eſſe caput homogeneum, connaturale, & eſſentiale corpori non ſuo? *Nam omnes unum ſumus corpus in Chriſto*, Roman. 12. non autem in Papa, ut capite eſſentiali, aut viſibili ſuccedente Chriſto: deinde *Omnis gloria filiæ Regis*, hoc eſt, Eccleſiæ, *ab intus*, Pſal. 44. *& neque qui* plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui *incrementum dat Deus*, *priori ad Corinth.* 3.

Sed forte pugnabunt Chriſtum, non eſſe caput viſibile Eccleſiæ, neque hodie videri. Rependes, aliud eſſe non videri hodie, & aliud natutâ ſua & eſſentialiter non eſſe caput viſibile Eccleſiæ. Cum enim more aliorum hominum anima rationali & humano corpore conſtet, natura quidem eſt viſibilis, & caput viſibile Eccleſiæ, quam habet pro connaturali & homogeneo corpore? Quia Deus eum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo *ejus*, *qui omnia in omnibus adimplet*, primo ad Epheſios. Quare Chriſtus reſurgens ex mortuis cum jam deinceps non moriatur; & ſuam Eccleſiam poſt reſurrectionem optime fundaverit; ac ſibi in ſponſam cooptarit in æternum, & ſimiliter Sacerdotium ſuum æternum eſſe, neque ſucceſſore indigere voluerit, ex eo quidem fit ut Papa in officio capitis viſibilis Chriſti ſucceſſor haberi nequeat, ſed duntaxat vicarius atque miniſter. Siquidem poſt Eccleſiam ſemel fundatam, & Hierarchicum ordinem bene conſtitutum nihil opus fuit ut ſemper Dominus actu videretur: cum hoc ad internum & eſſentiale Regimen Eccleſiæ, quod Spirituale eſt, nihil conferat. Enimvero Chriſtus ſolummodo in miniſtris, & Proregibus ſuis videri voluit, quos ad Sacerdotii ſui diſpenſationem inſtituit: unicum autem Sacerdotium Chriſti altera eſt cauſa Monarchiæ Eccleſiaſticæ poſt Chriſtum. Unde Lucæ 10. *Qui vos audit me audit*: *& qui vos ſpernit me ſpernit*, *& eum qui me miſit.* Quæ dicuntur ratione ſacerdotii in cujus adminiſtratione, excepta ſola prærogativa

gativa Primatus, Papa ſupra alios Epiſcopos nihil quicquam Jure Divino obtinet. Concludamus ergo in officio capitis viſibilis Eccleſiæ Papam non poſſe dici ſucceſſorem Chriſti, quando certum eſt Chriſtum nunquam deſinere eſſe caput homogeneum viſibile Eccleſiæ ſponſæ amantiſſimæ.

At vero mortuo Papa, Eccleſiam eſſe in ſtatu imperfecto, neque Totum completum & abſolutum efficere perhibent? Excipio illos harum vocum æquivocatione ignaros ludificari: *Eccleſiam eſſe in ſtatu imperfecto, & Totum completum non efficere*: quoniam duplex eſt Eccleſiæ Status, alter internus, eſſentialis, atque invariabilis: alter autem externus qui materialiter, ſubjectivè, & quoad exiſtentiam eſt accidentalis, & variabilis, propter concauſas, & circumſtantias mutabiles, à quibus pendet. Itaque ſicut ánima rationalis, & caput humanum, quia ſint partes, in quibus vita naturalis adæquatè, & totaliter conſiſtit, omninò quidem ad naturalem & eſſentialem ſtatum pertinent: brachium verò, pes, oculus, atque alia membra in quibus vita naturalis inadæquatè, & partialiter ſita eſt, ad variabilem ſtatum hominis duntaxat ſpectant: Similiter eſſentialis Eccleſiæ ſtatus à cauſis eſſentialibus, necnon ab integro ordine Hierarchico dependet: quia ordo Hierarchicus collectim ſumptus, totale & adæquatum eſt ſubjectum Sacerdotii Chriſti, quod in toto Hierarchico immutabiliter atque invariabiliter, nequaquam verò in Petro, Paulo, Clemente, aut aliis Prælatis diſtributim ſumptis habitat: propterea quod ſunt tantummodò partiale, & inadæquatum ſubjectum Sacerdotii Domini. Quocirca ſi oculo hominis confoſſo, brachio vel pede refecto, quæ ſunt partes naturales & minus principales humani corporis, nihil quicquam homini de ſuo ſtatu eſſentiali intenſivè, & formaliter deperit: quid mirum, hoc vel illo Papa & Epiſcopo mortuis, Eccleſiam, atque ordinem Hierarchicum intenſivè, & formaliter in ſuo ſtatu eſſentiali jugiter perdurare: huncque Articulum fidei *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum*, tam verè atque efficaciter celebrari, quàm ſi Papa aut Epiſcopus qui diem ſupremum obiit, inter vivos degeret? Siquidem Sacerdotio Chriſti, quod adæquatè, totaliter, ac eminenter ab ordine Hierarchico poſſideri ſupra demonſtravimus, Papatus, Epiſcopatus, & Presbyteratus formaliter, & quoad habitum ineſt: ex quo fit ut Sacerdotalis Eccleſia collectim ſumpta, defectum Papæ aut Epiſcopi mortui facilè ſuppleat, quoad alius canonicè deligatur. Et ita planum evadit, Papa aut Epiſcopo vita functis, nihil intenſivè & formaliter deeſſe Eccleſiæ, ſed extenſivè tantum in genere cauſæ inſtrumentalis, & miniſterialis; quoniam externus, & viſibilis influxus Regiminis Eccleſiæ, totus à Sacerdotio Domini derivatur cujus etiam virtute Papa deligitur, & juſta Poteſtate ad regendam Eccleſiam neceſſaria donatur. Certè quando Argumenta à capite naturali

ad corpus Politicum, nisi per quandam analogiam capiantur, sophistica sunt: quantò magis quæ à naturali corpore, ad Corpus mysticum Spirituale Ecclesiæ violenter detorquentur? Nam membra naturalium corporum, æternis ac invariabilibus naturæ regulis; Corporis autem Politici partes, Lege & moribus mutabilibus constant. Quod si mortuo Rege Poloniæ, qui est caput connaturale Regni, ipsum Poloniæ regnum non deficit, sed intensivè idem semper continuat: quid mirum Papa mortuo, qui non est Caput naturale Ecclesiæ, Ecclesiam in suo naturali ac essentiali statu formaliter, ac intensivè perpetuo vigere? Profectò quamquam B. Thomas omnem animi dianœam in constituenda infallibili Papæ Monarchia intenderit, atque omnium primus rationes scholasticas adinvenerit, ut probaret Papam quatenus caput Ecclesiæ aliquid in Ecclesiam influere: nihilominus tertia parte Summæ Theologicæ quæstione sexagesima quarta, articulo tertio, in corpore cogitur fateri Papam, & Episcopos solummodò Analogicè, & secundum Quid appellari Capita Ecclesiæ. Hercle quidem ubi Adversarii omnia sua argumenta ad rectam Rationis & Theologiæ dogmaticæ libram accurate trutinarint, & expenderint, si amant & ingenue velint agnoscere veritatem, fateantur necesse est, Papam dici solummodò Caput Ecclesiæ, quia primus est, ac princeps Ministrorum Christi, & Ecclesiæ ob primatum Petri. Ego memini antiquiores scholæ Sorbonicæ doctores, solitos dicere, *solum Christum esse & dici posse caput Ecclesiæ: At in Ecclesia plura esse capita: & Papam inter illa capita principem locum obtinere: ac primum esse caput in Ecclesia, non autem caput Ecclesiæ.* Quibus cogitatè subductis, pronum erit aliis argumentis satisfacere.

Quorum secundum de viro qui est caput mulieris, sicut Christus Ecclesiæ, ad externum, & visibile Regimen pertinet, quod à toto ordine Hierarchico proportionatim exercetur, in quo Papa super alios nihil obtinet præter Primatum, ut multoties diximus. Accedit quoque solum Christum ope Sacerdotii sui, posse Ecclesiam sponsam efficere matremfamilias per filiorum generationem: Papam verò & cæteros Episcopos nihil quicquam hîc conferre, præter externum, atque visibile ministerium Hierarchicorum actuum, conformiter ad Leges regiminis Aristocratici à Christo sancitas. Quamobrem hoc Argumentum parabolicum de comparatione viri ad mulierem, & Christi ad Ecclesiam dogmaticè concludit de Christo, non de Papa: quoniam solus Christus, ut pueri norunt, *est Salvator Corporis Ecclesiæ, eamque solus potest matremfamilias efficere*, ut probatum est: nec quisquam alius potest venire in consortium tantæ gratiæ, & beneficii, nisi ut externus minister.

Tertiò argumentum Sanderi fallit ab ignoratione Elenchi. Debuit enim distinguere tempora fundandæ, & jam fundatæ Ecclesiæ: non autem sic puerliter argumentari: *Papa est vicarius Christi. Ergo eandem habet Potestatem cum*

cum Christo. Qua collectione nulla ineptior dari potest. Quia Potestatem excellentiæ Christi cum potestate ministeriali confundit, de qua superius Axiomate XIV. Profectò secundum Legem Euangelicam, quæ pro omni norma, & ratione nobis esse debet, nemo alius à Christo Monarcha absoluto, & Capite visibili essentiali, potuit Ecclesiam fundare & instituere: & quamdiu versatus est in terris visibiliter, omnia pro suo arbitratu, & sapientia, ut Dominus & fundator absolutus Ecclesiæ decrevit. Deinde post ejus adscensionem, cuncta administrari, & regi debuerunt secundum Leges quas ipse statuit, ut unicum suum sacerdotium visibiliter, & Aristocratice ab universo ordine Hierarchico proportionatim dispensaretur, & propagaretur. In qua dispensatione noluit Petrum aut ejus successores quicquam aliud exceptâ Primatus prærogativa obtinere: quod est idemtidem frequentandum contra adulatores, qui Potestatem Ministerialem, Spiritualem Ecclesiæ, & Primatum Petri in absolutam Monarchiam frustra transmutare moliuntur. Statuamus ergo hîc attendi debere, quidnam Christus voluerit, non quid Sanderus, Bellarminus, aut alii comminiscantur, ad commodum suum, & temporalem statum Romanæ Curiæ muniendum. Infra autem ex indubitata praxi Ecclesiæ demonstrabimus, Ecclesiam Aristocratico regimine mille atque amplius annorum spatio gubernatam, Axiomate XXIX.

AXIOMA XVI.

De duplici foro Ecclesiæ, & supremo effectu sacerdotii Christi ratione Jurisdictionis externæ: totamque auctoritatem, & sufficientiam Ecclesiæ in eo præsertim versari & consistere, ut de omni genere peccati cunctorum hominum cognoscat, illudque remittat aut retineat: Censuris pervicaces, ne quidem Papa dempto, feriat: Synodos ad Leges, & Canones scisendos cogat, quibus omnes mortales baptismate donatos vinciat: deque genuino sensu Canonis Nemo primam Sedem judicabit.

XXII. QUemadmodum omnes Politiæ seculares; ita etiam Ecclesia est sibipsi Architectonice sufficiens, Axiomate IIX. atque in eum finem instituta, ut de omni genere peccati cognoscat, illudque virtute sacerdotii Christi Ecclesiæ collati remittat, aut retineat, Axiomate XIV. Quam facultatem remittendi aut retinendi peccata; sub hac generali peccatorum distinctione & differentia explicabimus: nimirum quædam peccata esse occulta & secreta, & quædam publica & notoria: & utraque Legibus Euangelii

gelii neceſſariò expurganda. Qua ex peccatorum diviſione, differentia interioris atque exterioris fori Eccleſiæ naſcitur: ita ut peccata ſecreta & occulta ad forum internum Pœnitentiæ ſpectent: quo in foro idem planè eſt reus, teſtis, & accuſator: contra vero publica, & notoria peccata ad externum & publicum forum Eccleſiæ pertinent: maximè verò ſi aliqua pervicaciæ macula ingraveſcant. Neque verò ullus eſt mortalium ſacro unctus baptiſmate, qui hujus utriuſque fori legibus, non ſit reſpectivè obſtrictus, ſi ſecretò aut publicè peccet, & fortè obdureſcat in ſuo peccato.

Siquidem ſacerdotium Chriſti hoc fine inſtitutum eſt ut Eccleſiam vivificet, informet, atque à malis & rebellibus purget. Cui Legi Euangelicæ Papam non teneri, qui præfracte aſſereret, procul dubio hæreticis accenſeretur: an quiſquam eſſe poteſt qui Legibus Catholicis ſacerdotii Domini non obſtringatur? Hicque meminiſſe oportet regulæ in ſextum Axioma conjectæ: puta quod in Sacris Scripturis non reperiamus Petrum aliquo hic donatum privilegio ſupra alios Chriſtianos: idque Methodi gratiâ ſic demonſtrare aggrediamur.

Omnes mortales qui tenentur petere ab Eccleſia gratiam & remiſſionem peccati ſecreti propter Sacerdotium Domini ut ad Sacram Synaxim digne admittantur: una quoque, ſi graviter, publice, & notoriè ſcandalizaverint Eccleſiam, tenentur obedire Sacerdotio Chriſti, ſecundum Leges fori externi poſitas à Domino: quoniam par eſt ratio & habitudo utriuſque delicti ſecreti, & publici ad Chriſti Sacerdotium, ut ejus virtute remittatur aut retineatur, & Eccleſia purgetur, atque fideles, ad Sacram Synaxim dignè admittantur.

Sed omnes mortales, ne quidem Papa dempto, quotidie tenentur dicere *Pater noſter qui es in cælis*, *Dimitte nobis debita noſtra*: id eſt, petere ſibi gratiam & remiſſionem fieri peccati ſecreti, eamque ob cauſam ſe Sacerdotibus Eccleſiæ ſubmittere ad obtinendam peccatorum ſecretorum abſolutionem, ut dignè accedant ad ſacram Synaxim.

Igitur omnes mortales, ne quidem Papa dempto, ſi graviter, publicè, & notoriè ſcandalizaverint Eccleſiam, tenentur pariter obedire Sacerdotio Domini ſecundum leges fori externi poſitas à Chriſto: quoniam par eſt ratio & habitudo utriuſque delicti ad Chriſti Sacerdotium, ut ejus virtute remittatur aut retineatur, & Eccleſia purgetur, atque fideles ad ſacram ſynaxim dignè admittantur. Hanc enim ob cauſam Chriſtus Sacerdotium ſuum Eccleſiæ diſpenſandum credidit, Axiomate XIV.

Major propoſitio duas habet partes, quarum prior de peccato ſecreto tam clare atque evidens eſt, ut à nemine in dubium vocetur. Altera autem de peccato publico notorio Eccleſiam ſcandalizante eſt etiam notiſſima & evidentiſſima: & tamen eam Curiales incertam ſuis argutiis efficere conantur.

Proba-

Probatur autem evidenter & neceſſariò: primum ex indubitata analogia & habitudine Sacerdotii Chriſti ad remiſſionem aut retentionem peccati ſecreti aut publici: deinde eo ipſo quod non legamus in Scripturis, Petrum aliquo potius donatum privilegio ratione delicti publici quam privati. Et cæcos eſſe oportet qui de hac re dubitant.

Accedit inſuper Petrum cum reſcire vellet, quoties fratri contra ſe peccanti indulgeret, ſic à Domino informari: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cælo*, &c. *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Quem textum Gerſonius profuſè explicat libro Articulorum Theologice compoſitorum adverſus Petrum de Luna: nos autem alia Methodo procedemus, ejuſque loci analyſim ad ſex articulos revocabimus. Et primò quidem Dominus alludere videtur ad locum Deuteronomii cap. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris*, &c. *Surge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem*, &c. Ut enim hoc loco Deus Synagogam Judæorum ſibi architectonicen & ſufficientem, ac publicum conſilium quod *Sanhedrim* vocabant, ex Levitis Sacerdotibus potiſſimum conſtituit: Ita & Chriſtus cap. 18. Matthæi conſilium Ariſtocraticum Eccleſiæ ex Sacerdotibus componit: Quare hæc invicem proportione reſpondent: *Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis* &c. Item *Si peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ*; *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum*, &c. Nam appellatione *Eccleſiæ* hic præſertim ordo Hierarchicus deſignatur. Quia partes ſunt ſacerdotum quæſtionem Juris definire, hoc eſt, de peccato cognoſcere, & lepram à non lepra judicare, ſicut in veteri Teſtamento. Unde hic eſt locus quem elegit Chriſtus in Lege gratiæ: exequutio autem ſententiæ etiam ad Laicos attinet, ut in Lege Moſaica.

Secundò his verbis, *Si peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ*; Dominus jubet peccatum ad Eccleſiam deferri. Cauſæ autem eſſentiales Poteſtatis Eccleſiaſticæ manifeſtò convincunt hanc denunciationem peccatoris, intelligi de publico & notorio peccato ſpectante ad forum Eccleſiaſticum, non ad ſolum forum Civile: ſiquidem peccata fori ſecreti conſcientiæ nequaquam teſtium delatione aut fide confirmantur, ſed ſub ſigillo detinentur in foro interno Conſcientiæ. Deinde ſi omnia peccata notoria quæ ſunt fori Civilis, ad Eccleſiam

essent deferenda, certe Ecclesia in ruinam Politiæ civilis, & Principum temporalium esset instituta: sicque Gratia Naturam destrueret, contra III. Axioma. Tota enim Jurisdictio secularis ad curiam Episcopalem transportaretur: cum præsertim nullum sit genus contractus, pacti, aut civilis, & domesticæ actionis, etiam inter virum atque uxorem, patrem & liberos, germanos, dominum & servos, cui aliqua notorii peccati labes adnasci non queat: & continuò ratione peccati notorii, illæ actiones ad forum Ecclesiasticum essent pertrahendæ, si modò ita placeret Ecclesiasticis. Quo posito Reges, atque Principes politici precariam duntaxat Jurisdictionem ad arbitrium Ecclesiasticorum possiderent, ac Vasalli & ministri Papæ & Episcoporum efficerentur. Qua autem de causa Ecclesiastici civilibus negotiis sese in foro externo immiscere valeant, disputat Almainus cap. quinto de Ecclesiæ auctoritate, & de potestate Ecclesiastica, & Laica, quæst. 1. cap. 10. Item Gabriel Biel lectione septuagesima quinta in Canonem Missæ §. X. ubi explicat Decretalem Innocentii III. *cap. Novit. de Judiciis.*

Tertiò Dominus hac formula *Dic Ecclesiæ, Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram* &c. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint*, &c. Apostolos, & discipulos Hierarchicum ordinem constituentes collectim alloquitur: & consequenter etiam Episcopos ac Presbyteros qui Jure divino Apostolis & LXXII. discipulis successerunt, & Cathedræ aut sacerdotii Christi ac proinde regiminis Ecclesiæ proportionatim consortes efficiuntur. Sunt enim omnium controversiarum legitimi Judices, atque immutabile Consilium aut Senatum Ecclesiæ constituunt.

Quartò erectione supremæ Cathedræ ad quam omnes notorii peccatores deferantur, Ecclesiam sibi Architectonicen & sufficientem reddit his verbis: *Dic Ecclesiæ, Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram* &c. Enimvero sicut nota supremæ Majestatis cujuscumque Regni, aut Reipublicæ in Potestate dandi aut privandi aliquem Jure civitatis & Reipublicæ etiam per Jus vitæ & necis consistit, idque Tribunal politicum efficit: similiter suprema, atque eminentissima Potestas Ecclesiæ in eo potissimum versatur, quod in vim, & virtutem Sacerdotii Domini, cui omnes Christiani subjiciuntur, Ecclesia bonos quidem & probos Jure communionis, & societatis Ecclesiasticæ donare, nefarios autem & sceleratos excludere possit. Quocirca Excommunicatio est tanquam spirituale exilium quo omnes scelerati incorrigibiles plectuntur: neque Ecclesia Jure divino quicquam habet gravius aut ulterius quod efficiat, Axiomate XVII. & XXXVIII.

Cum igitur Dominus hoc solenni carmine *Dic Ecclesiæ*, &c. Hierarchico ordini potestatem faciat cognoscendi de omni peccato notorio, & sententiam ferendi in reos parere detrectantes, satis mirari nequeo, vel malitiam vel stuporem

porem novorum Theologorum, quos non pudet asserere hoc oraculo *Dic Ecclesiæ*, Christum nullam Potestatem aut Jurisdictionem contulisse Apostolis: qua id fronte rogo? An quisquam absque aliquo crimine Hæreseos obdurato animo inficiari potest, hæc ad Jurisdictionem suo tempore, id est, post ascensionem Christi exercendam spectare? *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint*, &c. Certè ut aliàs docui, hæc sunt effecta Sacerdotii Christi ordini Hierarchico communicati: ut omittam in Synodo octava actione prima versus finem in literis Thomæ Metropolitæ Tyri, qui vicarius erat Patriarchæ Alexandrini, & Heliæ vicarii sedis Hierosolymitanæ, nominatim haberi, Christum Matt. 18. his conceptis verbis, *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*, Apostolos consecrâsse sacerdotes: quas literas Synodus VIII. cum legatis Adriani II. PP. approbârunt. Jam dixi, *ligare & solvere esse effecta Cathedræ & sacerdotii Christi.* Verum Bellarminus lib. secundo de Conciliorum auctoritate cap. 19. haud minus absurdè perhibet, clausulam *Dic Ecclesiæ*, &c. *illos tantummodo comprehendere qui aliquem habent Superiorem: tumque temporis B. Petrum, quem Christus affabatur, nondum fuisse Pontificem, sed privatum hominem.* Egregia sanè commentatio, quasi hoc præceptum Domini *Dic Ecclesiæ*, totum Christi Sacerdotio non incumberet, à quo Potestas ligandi, & solvendi tota manat, Axiomate XIV. quare istud præceptum est *de Omni* & per se *universale primum*, ut loquimur in scholis. Jam monui illam Potestatem collatam à Christo, ut suo tempore exerceretur: certumque est *Activè* & *Passivè* Papam sicut & alios Prælatos complecti: *Activè* quidem, prout alios excommunicare, *Passivè* demum, quatenus ab Ecclesia potest excommunicari, dato quod sit pervicax, & incorrigibilis. Et nisi Pontifex huic Catholicæ legi more aliorum hominum addiceretur, si forsan aliquis in illum obdurato animo peccaret, oporteret tanquam in despotico Principatu Judicem sedere in sua causa, contra X. Axioma: vel saltem aliorum hominum telis ac injuriis absque ullo remedio patere. Insuper Almainus cap. 7. de Ecclesiæ auctoritate & Joannes Major in caput 18. Matthæi meritò contendunt, Papam omnibus hominibus esse infeliciorem, nisi Ecclesiæ correctioni subjaceat. Heu! quæ miseria est Sacerdotio Christi, quod est velut anima Ecclesiam vivificans, & purgans sanctificari non posse. Accedit quoque, dicere Papam à nemine judicari posse, hoc ei fenestram patentem ad omnem nequitiam & flagitium aperire, ut quondam Clerus Romanus de Symmacho P P. usurpabat. Quæ opinio Curialium Ecclesiasticam disciplinam, & bonos mores funditus corrumpit. Statuamus ergo Papam directivo & coactivo Ecclesiæ & Concilii generalis judicio subjici, sicut probatum est Axiomate II.

Quinto hæc formula *Dic Eccleſiæ: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram*, &c. ex praxi, & naturali æquitate convincit forum Rei qui alterum affecit injuriâ, ſequendum. Eccleſia verò quadruplicem habet Cathedram aut ſedem huic oraculo Domini ſubnixam, *Dic Eccleſiæ*: Cathedram dico Epiſcopalem, Synodi provincialis, Concilii generalis, & Cathedram Patriarchalem, quæ omnium ultimo in octava Synodo generali octingentis circiter annis poſt Chriſtum erecta eſt. Certe juxta uſum primitivæ Eccleſiæ quicumque erat excommunicatus, aut ſententia privata Epiſcopi gravatus, ad Synodum provincialem appellare poterat: deinde à provinciali Synodo ad generale Concilium Axiomate XXIX. Ideoque canone quinto Nicæno decretum legimus ut annuatim ſtatis temporibus Synodi provinciales ad decidendas omnes controverſias emergentes bis celebrarentur: & ita per quandam termini pendentiam, aut continuationem Synodus ſemper vigebat, aut exſpectabatur, ut Patres Synodi Conſtantienſis loquuntur. Quæ laudabilis conſuetudo & publicæ cenſuræ forma, niſi pridem antiquata fuiſſet, fruſtra hodie Adulatores ſuam infallibilem Papæ Monarchiam ſupra Concilium tam contumelioſè eveherent: quoniam illo tempore Epiſcopis Romanis nihil quicquam magni momenti extra Synodum agere permiſſum erat: & ſi quando aliquid ſciſcerent, de illo rationem coram tota Synodo reddere cogebantur quando aliquis de illorum geſtis querimoniam inſtituebat. Porrò hic *Sedis*, & *Cathedræ*, non *Tribunalis* nomine utor, propterea quod tribunal proprium eſt politicæ Poteſtatis, atque auctoritatem abſolutè cogendi per temporales pœnas importat, & idcirco niſi æquivoce & valde impropriè poteſt Eccleſiæ adſcribi.

Sextò ne inter ligandum, ſolvendum, aut decernendum, aliquid *inconſulto*, *temere*, & *præcipiti animo*, vel *iracundè*, aut *nimio vincendi ſtudio*, ut Canones loquuntur à Prælatis agatur, Chriſtus maturo conſilio, illoque ipſo opus eſſe monet, quod per ſacerdotii ſui collationem inſtituit quando Apoſtolos atque diſcipulos Cathedræ, & Epiſcopatus ſui proportionatim, & reſpectivè participes hac voce effecit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram*, &c. *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt: ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Qua clauſula Dominus Eccleſiæ ſponſæ facultatem ſeſe congregandi in Synodum, atque omnes controverſias Sanctorum communione, & Catholico conſenſu definiendi impartitur, quia Sacerdotium ſuum non abſoluto unius Monarchæ imperio, ſed Ariſtocratico regimine diſpenſandum permittit. Quocirca Concilium locus eſt legitimus, quem Deus in Lege Euangelica delegit, & inſtituit ad definiendas controverſias: ideoque numerum certum pro incerto, & minimum omnium numerorum uſurparit, quo omnem Monarchæ

infalli-

infallibilis singularitatem penitus excluderet, ac demonstraret, ubicumque est legitima auctoritas, nequaquam magnum requiri numerum *can. Alienus. 24. quæst. 1.* Accedit Ecclesiam sua essentiali notione non unum Papam aut Episcopum singularem, sed multorum hominum collectionem, & communionem Sanctorum etiam in ratione regiminis exposcere, congruenter ad hunc fidei articulum, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Quamobrem neque gratia infallibilitatis, neque supremus effectus Sacerdotii Christi, uni, & singulari Monarchæ, neque ulli orbi aut loco, ut quondam sub Lege Mosaica, sed unitati, & consensui Catholico promittitur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, &c. Itaque sicut denarius numerus, verbi causa in sua essentiali notione, non unicam sed plures continet unitates: pariter etiam Synodus, canon Ecclesiasticus, aut Synodale decretum, quod rationem totius obtinet, absque Sanctorum communione, & Catholico consensu vim & robur debitum minime assequitur. *Nam Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur, 24. quæst. 1. can. loquitur: & canon.* Quæ contra: *Turpis est omnis pars quæ universo suo non congruit.* Papa autem & Episcopi distributim sumpti, & ad Synodum collati habent rationem partis: Quocirca *quicumque ad Synodum pergit, judicio majoris partis sese ex Lege Christi submittere tenetur, quia major pars canonice, & regulariter vincit*, teste Cardinali Cusano lib. 2. de Concordantia cap. 15. sub finem adi XXII. & XXIX. Axioma.

His & roborandis faciunt quæ Axiomate XIV. demonstravimus, scilicet Ecclesiam *collectim* sumptam architectonice, & per dominium claves possidere: Prælatos autem *distributim* captos, quoad usum, ministerium, & exequutionem tantum: quia sunt Ecclesiæ ministri, qualem se non dedignatur fateri Apostolus cap. 1. ad Coloss. *Cujus Ecclesiæ ego factus sum minister*: & Augustinus lib. 2. adversus Cresconium cap. 11. *Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter vos quibus Verbum & Sacramentum Dominicum ministramus, ac per hoc ut sine scandalo gubernandorum necessitas tulerit; Ita vel esse vel non esse debeamus, quod non propter nos, sed propter alios sumus.* Unde insurgit, Papam & Prælatos tanquam Ecclesiæ ministros, si minus Ecclesiæ dominæ suæ, & sponsæ Christi proposito, atque instituto faciant satis, posse in ordinem cogi ab Ecclesia Axiomate, VIII. quia pars omnis & instrumentum, oculus verbi gratia, finem atque institutum totius Suppositi stricte accuratéque sequi debet. Profecto si oculus aut aliquod aliud membrum scandalum creet corpori, eruendus atque abjiciendus est, Matt. 5. versu 29. B. Thomas 2. 2. quæst. 64. articulo 2. in corpore, & Almainus de auctoritate Ecclesiæ cap. 1. & 12. Etenim *sal infatuatum, & lumen extinctum ad nihilum valent, nisi ut mittantur foras, & conculcentur ab hominibus. 2. quæst. 7. can. 29.*

can. 29. Non omnes §. Non eſt facile ſtare loco Pauli; tenere gradum Petri jam jam cum Chriſto regnantium, infatuatum ſal, ad nihilum prodeſt, niſi ut projiciatur foras, & à porcis conculcetur. S. Auguſtinus eadem cauſa & quæſt. can. 22. *Præſumunt Prælati non debere ſe reprehendi vel accuſari pro eo quod Canones non eos paſſim conſtituunt accuſandos: quod tamen negatur ſolis criminoſis, cum de reprehendendo veritas ipſa conſtituat: Si male loquutus ſum, Teſtimonium perhibe de malo.* Quem textum Gratianus de ſolo errore in fide, non in moribus, aut in Eccleſiæ regimine contra manifeſtum Auguſtini ſenſum interpretatur; qui tamen ſola lectione innoteſcit, ut præterea alium Ejuſdem locum omittam lib. 2. adverſus Creſconium paulò ante exhibitum. Sed Gratianum perſuadere voluiſſe, nunquam licitum Paſtores arguere ob diſciplinam aut canones violatos quid mirum, quando hoc ſolum fine ſuam collectionem Canonum ſcripſerit, ut antiquorum Patrum regulas pro Juris communis, & Ariſtocratici regiminis veritate, lapſu octingentorum annorum conditas, & accuratè ſervatas novis abſolutæ Monarchiæ imperatis, quaſi ſupplices addiceret ac proſtitueret? eamque ob rem Decretum ſuum inſcripſerit, *Concordantia diſcordantium canonum*? Sed præterquam Scriptura nominatim perhibet Matt. 5. *Sal infatuatum projici, & conculcari debere, ac lumen degenerans in tenebras nulli eſſe uſui:* compertum quoque, Petrum à Paulo reprehenſum non tam propter errorem in fide, quam quia minus rectè ambularet ad veritatem Euangelii, & canonem Synodi Hieroſolymitanæ perperam acciperet, Axiomate XXIII. & XXIX. Quod autem obtendunt canonem Synodi Romanæ ſub Sylveſtro Papa cujus meminit Gratianus 9. *quæſt.* 3 *can. Nemo judicabit primam ſedem:* excipio hæc capi oportere de aliquo errore aut peccato privato, & perſonali Papæ, non autem de aliquo publico & notorio crimine incorrigibili, ſtatum Eccleſiæ labefactante: vel ut Alliacenus, & Gerſonius atque alii ſcholæ Pariſienſis doctores aſſerunt, hæc de aliquo Clero & Synodo particulari, nequaquam verò de generali Concilio intelligi. Cui reſponſo veriſſimo, ſi Adverſarii minus acquieſcant, perrumpam iſtud Concilium, unde canonem *Nemo* excerptum memorant, planè adulterinum eſſe, ut jam ſuo tempore Hincmarus conquerebatur Epiſtola ſeptima à cap. vigeſimo ſecundo, quæ legitur inter Epiſtolas Hincmari, quas Joannes Buſæus presb ter Societatis Jeſu edidit. Siquidem cap. tertio memorati Concilii decernitur, *Presbyterum niſi quadraginta quatuor, & Epiſcopum niſi duorum & ſeptuaginta hominum Teſtimonio, qui omnes filios & uxores habeant judicari nullo modo poſſe.* Quæ ſi obtineant, profectò ſacerdotalis Ordo omnis impunitatis & nequitiæ Aſylum habebitur: tamque erit hodie impoſſibile Epiſcopum aut Presbyterum aliquem legitimo judicio quam ipſummet Papam judicare: cum nullo modo fieri poſſit, ut totidem teſtes qui uxores, & liberos habeant, reperian-

riantur. Sed quorsum ejusmodi nugæ, de testibus qui uxores, & liberos habeant, quasi omnes cælibes essent intestabiles: ut taceam isthæc commenta esse penitus contraria disciplinæ quæ Sylvestri seculo fervebat, quod Hincmarus notavit, ostendens hæc nuspiam gentium unquam observata. Hincque etiam liquet, à multis annis nonnullos Clericos male feriatos pessimis artibus Ecclesiasticorum immunitates instruere voluisse. Demum ut privatim dicamus de *Canone Nemo*: quidnam causæ fuit ut prædicta Synodus in illo mentionem faceret Regum, quando tempore Sylvestri in toto imperio Romano nulli extarent Reges à quibus Episcopi Romani sibi metuere deberent? Quid præterea dicere attinet in eodem Concilio referri; *Helenam matrem Constantini Augusti unà cum filio Constantino Synodum hanc obsignasse, & eodem Domno Constantino Augusto tertio, & Prisco* [*Consule habitam*? Fabulæ quidem aniles: certè nullus, modò aliquam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam imbiberit, & aliqua judicii luce præditus sit, ignorat fœminas etiam Augustas nunquam actis Conciliorum subscripsisse: atque *Pulcheriam* Augustam Cæsaris *Martiani* uxorem, quia imperium Martiano pro dote attulerat, omnium primam Concilio Chalcedonensi interfuisse: neque tamen acta Synodi Chalcedonensis obsignasse. Quid insuper opus, referre nomen *Domni* aut *Donni* esse inventum Barbarorum post linguæ Latinæ corruptionem ex gentium effusione in Europam ducentis circiter annis post Constantini M. excessum: qui quidem nunquam Priscum pro collega habuit in Consulatu, contra quam huic fictitiæ Synodo insertum.

AXIOMA XVII.

Facultatem excommunicandi per quandam Analogiam respondere coactivæ Jurisdictioni seculari: & de justa ratione ferendarum Censurarum, & quousque se extendant: atque Ecclesiam in vim Censurarum neminem rebus & adjumentis quæ Jure Naturali & Gentium possidet, privare, multoque minus Reges, & Principes Christianos throno regio abdicare posse.

XXIII. COnstans est omnium Philosophorum & Theologorum sententia, nullam in terris dari facultatem legislativam aut directivam, quæ etiam proportionatim & respective, aliqua Potestate coactiva aut coërcitiva non instruatur: Aristoteles lib. decimo Ethicorum ad Nicomachum cap. ultimo, & B. Thomas prima secundæ quæst. 69. Articulo 5. Causa hujus rei est, quia post lapsum Adami, Lex membrorum atque efferata rabies concupiscentiæ legem mentis adeò disturbavit, ut directio absque

aliqua

aliqua coërcitione prorſus inutilis & exarmata foret. Verum quæſtionis eſt, unde potiſſimum oriatur Poteſtas, & Juriſdictio propriè dicta: eam autem Juriſconſulti in coactione externa conſiſtere, & ſoli politico Principi convenire prædicant: quando ſolus eſt Dominus territorii, & gladio armatur ad imperata ſua abſolutè cogenda, & exequenda. Unde iidem Juriſconſulti merito ſtatuunt Politicum Principem eſſe velut fontem, centrum totius Juriſdictionis: & cæteras Poteſtates tanquam primitivo dominio territorii, & Jure gladii materialis diſtitutas, minus proprie, & per diminutionem nomen aut titulum Poteſtatis & Juriſdictionis mereri: quæ cauſa eſt, ut brachio ſeculari opus habeant, cujus ope ſcita ſua, & conſtitutiones exequutioni demandent. Hercle quidem octo primis ſeculis poſt Chriſtum incarnatum, & ultra non legimus Patres Eccleſiæ, cum de auctoritate Eccleſiaſtica verba facerent, *eam nomine Juriſdictionis, Majeſtatis, aut tribunalis, ſed duntaxat vocabulo Miniſterii, Cathedræ, & ſedis Epiſcopalis indigetâſſe.* Quæ ratio eſt cur Pontifex, & Epiſcopi dicantur *reſpondere de Cathedra*, non de Tribunali: & eam ob rem Eccleſia feſtum Cathedræ S. Petri annuatim celebrat: deinde poſtquam Apoſtolica diſciplina abrogata eſt, atque Epiſcopi indulgentia Principum Chriſtianorum Jus aliquod territorii, & carceris habuerunt, ſuaſque Curias Epiſcopales, atque Officiales conſtituerunt, tum demum nomen Tribunalis, & Juriſdictionis in Eccleſiam obrepſit: cujus auctoritas inſtar facultatis Medici multo magis ſuaſiva, & directiva, quam coactiva eſt: certe unitatem, pacem, Charitatem, & ædificationem habet pro fine, qui fructus ſolummodo à volentibus, non ab invitis, & reſtitantibus colliguntur.

Porro ſicut bonum & finis omnium Regnorum atque Statuum temporalium in fructu, & utilitate Pacis, qua utimur fruimur in vita, & converſatione civili conſiſtit: eaque nefarii exilio, aut morte ipſa privantur: ſimiliter finis, & fructus Euangelii quantus quantus ad uſum vitæ & communionis Spiritualis in vitam æternam referri debet: cujus vitæ Spiritualis commercio peccatores rebelles privantur per Excommunicationem, quæ pœna eſt coactiva, & gladius Spiritualis Eccleſiæ: qui per Analogiam idipſum præſtat in Eccleſia, quod gladius materialis in manu Principis, & Magiſtratuum Politicorum: eò quod ſceleratos & pœnitere detrectantes quaſi membra putrida, & corrupta à corpore & Communione Eccleſiæ reſecat Atque ita patet, Excommunicationem eſſe quoddam Spirituale exilium proportione reſpondens animæ rationali, quæ nativum eſt ſubjectum in quod poteſtas Eccleſiaſtica exercetur. Maldonatus cap. 18. Commentariorum in Matthæum ad hæc verba, *Quæcumque alligaveritis ſuper terram: voluit Dominus Eccleſiæ tribunal ultimum eſſe ad quod eſſent peccatores, cum aliud non eſſet emendationis remedium, deferendi*, ait; *Ideoque ſummam illi tribuit Poteſtatem: ſummam autem non tribuiſſet*,

huiſſet, ſi majorem illi non dediſſet quam omnis Reſpublica Jure ſuo habet ut homines pernicioſos mittat in exilium, quod in Eccleſia eſt Excommunicatio. Certe Dominus Matt. 18. hac formula, *Dic Eccleſiæ, qui Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, ad morem Judæorum alludit qui Ethnicos, & Publicanos ſolummodo à ſacris ritibus ſuis, & Legis Moſaicæ ceremoniis arcebant, cætera vero omnia quæ ad Legem Naturæ & civilem vitæ ſocietatem ſpectabant, cum Ethnicis habebant communia. Unde illud votum Cardinalis *Cajetani* commentariis in Euangelium Matthæi ad hunc verſum: *Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus: Libenter viderem ſervari*, inquit, *hanc definitam à Jeſu Chriſto ſententiam, & pœnam non audientium Eccleſiam, quod ſcilicet ſufficeret eos haberi ut Ethnicos, hoc eſt, ut ipſi quidem ex vi Excommunicationis haberentur ut Ethnici, & Publicani, & non includerentur innocentes loquentes, & comedentes cum eis, quia nullum peccatum incurrunt, loquentes, & comedentes cum Ethnicis.* Quâ clauſula uſum primarium Excommunicationis à Chriſto inſtitutum demonſtrat: atque Deuteroſes humanas improbat: quibus innocentes cum ſontibus irretiuntur, ut fit Interdicto generali alicujus Eccleſiæ, communitatis, aut Collegii: item per monitiones, atque interminationes ad revelandum ſub pœna Excommunicationis. Procul dubio ſtatuendum certo Excommunicationem Jure Divino ſolum privare homines vitæ ſpiritualis commercio, communione Eccleſiaſtica, & publicis Eccleſiæ, non privatorum hominum, precibus, neque etiam opibus, & adjumentis quæ Jure Naturali, Gentium, & Civili poſſidemus: Cujuſmodi eſt civilis ſocietatis mutuus convictus, conjugum habitatio, atque alia ejuſmodi. Nam, ut Axiomate III. & IV. demonſtravimus, *nunquam licet facere mala ut eveniant bona: & Gratia non deſtruit ſed perficit naturam.* Itaque ſi preſſe & proprie loquamur, ut neceſſe eſt Theologis, Excommunicatio, non tam pœna eſt poſitiva quàm negativa, & excluſiva: quippe quæ hominibus ſingularibus portas Eccleſiæ occludat. Quocirca falſum atque erroneum eſt quod Toletus lib. primo inſtitutionis Sacerdotum cap. 13. numero 6. 7. & 9. comminiſcitur: *puta Excommunicatum deligi non poſſe in Regem, & ſi ſit Rex nullum poſſe exercere actum Juriſdictionis abſque peccato mortali: & ſi quem exerceat plane irritum eſſe: conſequenterque omnes eidem Sacramento fidelitatis obnoxios* liberari ab ejuſmodi vinculo. Siquidem effectus Excommunicationis nullo modo attingit temporalia ſed Eccleſiaſtica aut quaſi Eccleſiaſtica: cujuſmodi ſunt electio alicujus in Prælatum: & ideo quæ referuntur à Toleto, vera ſunt de Prælatis excommunicatis, non de Regibus aut Politicis Magiſtratibus. Porro dixi, hominibus ſingularibus tantum portas Eccleſiæ occludi, quoniam, ut aliàs monui, familia integra, Collegium, aut Communitas collectim excommunicari nequit, multoque minus Urbs, Provincia, aut Regnum

gnum. Enim verò *multitudo non eſt excommunicanda, nec Princeps populi*, ait Auguſtinus apud gloſſam ordinariam cap. 13. in Matthæum, ubi parabola Zizaniorum evolvitur. Qua ex ſententia perſuaſum fuit Majoribus noſtris, Reges Franciæ excommunicari non poſſe, aut, ut verius dicamus, non debere excommunicari: quia Rex multitudini, nec urbi tantum aut uni provinciæ, ſed toti regno æquipollet. Unde Cenſuris verberari non poteſt abſque aliquo effectu Schiſmatis, maximoque ſcandalo, contemptu, & ſacrilegio clavium, & pacis publicæ detrimento, ut experientia demonſtrat: & perſæpe ex ejuſmodi Cenſuris ſtrages populorum emergit: atque temporaliter & ſpiritualiter multo plus mali quam utilitatis in univerſam Eccleſiam redundat. Quo in caſu Prælati tenentur ſibi temperare à Cenſuris irrogandis, homineſque Dei judicio relinquere: propterea quod Finis Eccleſiaſticæ Poteſtatis eſt charitas, dilectio, pax, unitas, & ædificatio, Axiomate IX. *Nam plenitudo legis dilectio, quæ malum non operatur, Roman.* 13. Quæ cauſa fuit Domino Jeſu Chriſto, ut Eccleſiam minime donaret Poteſtate dominandi aut abſolutè cogendi, ne Epiſcopi aliquid unquam per auctoritatis contentionem præfractè aggrederentur, aut conficerent ex more Poteſtatum ſeculi, ſed ad hæc B. Pauli documenta jugiter attenderent: *Omnia mihi licent ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent ſed non omnia ædificant: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*, 1. *Corinth.* 10. Hercle quidem Poteſtas Eccleſiaſtica quanta quanta, *data eſt in ædificationem, non in deſtructionem, & ad veritatem propagandam & tuendam, non opprimendam* 2. Corinth. 13. Cæterum Paſtores qui ad hanc divinam, & manſuetiſſimam normam Cenſuras ſuas non attemperant, ſed pacem Eccleſiæ & charitatem turbant, *neſciunt cujus Spiritus ſint filii*, ſicut Dominus diſcipulis ſuis improperio vertebat Lucæ 9. verſu 55. quoniam Poteſtatis miniſterialis Spiritualis Eccleſiæ terminos tranſgredi, atque igne cæleſti impetrato Samaritanos perdere vellent. Hocque eſt medicinali, & Paſtoritia auctoritate depoſita, ferinam rabiem luporum induere, ut docet Chryſoſtomus homilia 34. in Matthæum ſuper hunc verſum, *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Et certe*, ait, *quouſque ſumus oves, facilè hoſtes vincimus: cum verò in naturam luporum tranſimus, tunc ſuperamur: tum enim nullum nobis à Paſtore patrocinium adeſt, qui non lupos ſed oves paſcit.* His etiam de cauſis Theologi & Canoniſtæ perhibent Excommunicationem eſſe medicinam. *cap. cum Medicinalis, de ſententia Excommunicationis in Sexto.* Quare ſicut *mala eſt medicina in qua aliquid naturæ perit:* ita peſſima, & Legi Euangelicæ omnino contraria eſt Cenſura, quæ naturæ dotes, ordinem, & pacem, ac tranquillitatem publicam intervertit. Unde omnes Theologi aſſerunt in ferendis Cenſuris, ſemper habendam rationem præcepti Domini, caventis Zizania evelli cum aliqua frumenti jactura. Matt. 13. hoc

eſt,

est, ne boni cum malis, & nefariis involvantur, & ne Pax Publica turbetur. Quod nisi ita essent Principes Ethnici aditu legis gratiæ prohiberentur, & Christiani ad Schisma faciendum, imo etiam ad Christianam religionem abjurandam invitarentur: ubi cernerent Turcarum quam Christianorum sortem hac in parte longe tolerabiliorem esse: quando certum est hos, non illos excommunicari, atque in vim & consequentiam Censurarum abdicari posse ab Ecclesia: si novis Theologis fides qui ex hoc textu Euangelii allegorico, *Et dabo tibi claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis, Matt.* 16. unà cum facultate Excommunicandi Jus præterea inducunt absolvendi subditos Regum, & Principum Christianorum à Sacramento fidelitatis, ita ut *ex Rege non Regem facere possint*, ut docet Bellarminus cap. 31. adversus Barclajum; quod falsissimum, atque erroneum est: quia sequeretur *Gratiam naturæ & gentium Jura destruere*: quod Potestati ministeriali spirituali Ecclesiæ penitus repugnat, quæ, ut dictum est, multo magis suasiva, & directiva quam coactiva est instar facultatis Medici, & Pædagogi, Axiomate XIV. Hicque meminisse oportet eximiæ vocis Bielis, lectione vigesima sexta in canonem Missæ §. O. *Sequitur*, ait: *quod non semper est excommunicatus à Deo, qui excommunicatur ab homine, & Prælato: nec semper habetur ratum in cælis quod fit à Præsidente in terris: sed duntaxat dum ligat, & solvit* CLAVE NON ERRANTE. *Non enim commissum est Prælatis ligare & solvere juxta suorum motus capitum, & suarum beneplacita voluntatum: sed prudenter, & legitime secundum Juris divini, & humani dispositionem. Et hoc dicere non est præbere occasionem contemnendi gladium Potestatis Spiritualis, negare scilicet ejus percussionem ad id quod non potest attingere: quin potius stulta ipsius extractio, & usus indiscretus ipsum reddit obtusum, odibilemque. Neque enim leviter extrahi debet gladius ille, sed pro inobedientia tantum & criminibus gravibus, & manifestis.*

Sane quamquam Excommunicatio sit pœna & nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, omnes Christianos in officio continens; tamen Legis naturam, & conditiones stricte; accurateque debet æmulari: quare *justam esse oportet, necessariam, possibilem exequutu, utilem, loco temporique convenientem, ac Charitatem, pacem, unionem, & ædificationem habere pro fine, dist. 4. can. Erit autem lex*, & Axiomate IX. Quæ conditiones, & circumstantiæ ejusmodi sunt, ut Aristocratici Consilii providentiam Jure meritoque desiderent, quo sigillatim examinentur, & cognoscantur. Quamobrem licet Pontifex, & Episcopi quisque proportionatim, & respectivè Censuras in *actu primo* condere valeant, quia hoc spectat ad internam Ecclesiæ disciplinam: tamen *actus secundus* seu *exercitus*, formaliter pendet à receptione qua Censuræ in usum &

mores populi transeunt: hocque ad exteriorem Ecclesiæ disciplinam pertinet, quæ omnium maxime vero Regum interest. Cæterum actus primus Censurarum est imperare ut aliquis Ecclesiastica communione excludatur, atque in eum finem decretum aliquod & sententiam edere, ac promulgare: quod à solis Episcopis, absque temperamento Aristocratico Ecclesiæ fieri posse nemo inficiatur: At ejusmodi decretum ab Episcopo latum & promulgatum, actu & revera obligare antequam communis Ecclesiæ, & præsertim totius Presbyterii consensus accesserit, planè negatur. Quia Presbyterium est Senatus Ecclesiæ à Christo institutus, Axiomate XXXIV. Deinde suffragia, & communio Ecclesiæ ad omnes fideles, non ad solos Episcopos aut Clericos spectant. Enimvero Papa, & Episcopi non sunt domini fidei Christianorum, Potestatis Ecclesiasticæ, suffragiorum, & communionis Ecclesiæ quibus privantur excommunicati, sed duntaxat ministri, & fideles dispensatores. Quæ omnia operæ pretium est exemplis comprobare, & primum Cypriani Epistola vigesima octava ad Presbyteros, & Diaconos fratres: *Interea*, ait, *si quis immoderatus, & præceps sive de nostris Presbyteris, & Diaconibus, sive de peregrinis ausus fuerit ante sententiam nostram communicare lapsis, à communicatione nostra arceatur: apud nos omnes causam dicturus temeritatis suæ, quando in unum permittente Domino convenerimus. Desideratis quoque ut de Philumeno, & Fortunato acolyto, qui medio tempore receserunt, & venerunt, quid mihi videatur rescriham. Cui rei non potui me solum Judicem dare, cum multi adhuc à Clero absentes sint, nec locum suum vel sero repetendum putaverint. Et hæc singulorum tractanda sit, & limanda plenius ratio, non tantum cum Collegis meis, sed & cum plebe ipsa universa. Expensa enim moderatione libranda, & pronuncianda res est quæ in posterum circa ministros Ecclesiæ constituat exemplum.* Ad cujus loci notitiam canon quarti Concilii Carthaginensis mirifice conducit, legiturque 15. *quæst.* 7. *Episcopus nullius causam audiet absque præsentia suorum Clericorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur.* Quæ regula indicat ne tum quidem censuras condi solitas in actu primo ab Episcopis sine præsentia, & consensu Presbyterii, id est, Clericorum. Ex quo fit, ut hoc eodem loco Cyprianus Presbyteros vocet collegas suos, *non tantum cum collegis meis, sed & cum plebe ipsa universa:* idque Canoni 35. Concilii quarti Carthaginensis congruit, quo statuitur, *ut Episcopus in Ecclesia, & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat, distinct. 95. can. Episcopus in Ecclesia.* Adhibebantur quoque in Consilium notabiles viri ex populo, ut statim ostendetur. Almainus cap. 7. de Ecclesiæ auctoritate: *Petrus*, inquit, *& quilibet ejus successor, utitur clavibus vice Ecclesiæ universalis quam significat: Itaque summus Pontifex excommunicat, confert beneficia, similiter & indul-*

gentias,

gentias, & sic de aliis actibus Ecclesiasticæ Potestatis auctoritate totius Ecclesiæ: & istud rationabiliter est, eò quod suffragia quibus privantur excommunicati sunt Ecclesiæ, non summi Pontificis. Hinc Prælati dicuntur nomine totius Ecclesiæ aliquem posse illorum participatione privare. Hinc dicit quidam doctor, Paulum voluisse excommunicare publicum fornicarium, ut patet 1. Corinth. 5. nisi Corinthius congregatis; unde sic dicitur: Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis. Hìc observes, Lector, Apostolum quamquam totus Dei afflatu regeretur, tamen ferre sententiam Excommunicationis solum in actu primo: deinde actum secundum, atque exequutionem Corinthiensi Ecclesiæ congregatæ peragendam relinquere: quia Censuræ sicut & Leges non obligant; nisi recipiantur ab Ecclesia. Gabriel Biel in Canonem Missæ lectione septuagesima quinta sub finem §. V. hanc clausulam Matt. 18. exponens *Dic Ecclesiæ*, &c. ait; *Quod per illa verba Salvatoris non tribuitur aliqua Potestas Judicibus Ecclesiasticis plusquam secularibus. Nam ibi non accipitur Ecclesia pro Ecclesiasticis viris qui* Clerici *appellantur tantum, sed pro congregatione fidelium universali, vel particulari: quæ Clericos, & Laicos comprehendit. Dicitur enim quod in tota Scriptura divina utriusque Testamenti, non accipitur nomen* Ecclesiæ *specialiter pro Clericis, licet sic sæpe in Canonibus accipiatur. Voluit ergo Salvator quod peccatum delinquentis post secretam correptionem, & testium adhibitionem ultimo diceretur alicui Congregationi fidelium Clericorum vel laicorum, vel simul utrorumque: ut sic objurgatio plurimorum eum corrigat, ut qui non potuit pudore salvari, salvaretur opprobrio, ut rubore sequestrationis emendetur. Quod si dicis,* Dic Ecclesiæ, *à pleriſque exponitur, id est,* Prælato Ecclesiæ: *dico quod expositio ista non est contraria dictis, quia Prælatus Ecclesiæ quilibet est qui præficitur ad regendum fideles, idem siquidem est Prælatus & Præsidens.* Sane Joannes de Parisiis Dominicanus lib. *de Potestate Regia & Papali* cap. decimo septimo, ejusdem est plane sententiæ cum Biele, docentque actum secundum Censurarum, id est, receptionem qua in usum mittuntur, non modò pendere à Presbyterio, verum etiam à Laicis qui præsunt Ecclesiæ. Olim in Ecclesia primitiva Seniores erant notabiles, de quibus est frequens mentio apud Patres Ecclesiæ Africanæ in eorum Synodis. Profectò, quando Reges & Principes Christiani eorumque Magistratus Jus habent inspectionis, & directionis in iis quæ ad exteriorem disciplinam Ecclesiasticam spectant, certumque est actum secundum aut exequutionem Censurarum rem esse exterioris disciplinæ, recte quidem Gabriel Biel per Ecclesiæ Prælatum Reges & Principes Christianos aut eorum Magistratus interpretatur: quorum est videre ne quid detrimenti Pax publica capiat: & ne cuiquam vis injuste, & contra

Canones inferatur. Hæcque concordant capiti 17. Deuteronomii, ubi *Sanhedrim*, id est, *consilium Judæorum* instituitur, quod partim ex Sacerdotibus, partim ex viris laicis prudentibus coalescebat, ut docet Cornelius à Lapide commentariis in caput. 17. Deuteronomii. Unde simile erat Parlamentis Franciæ. At vero inter alia hæc Bielis vox apprime notanda: nimirum in toto corpore Bibliorum *nomen* Ecclesiæ *nunquam capi pro solis Ecclesiasticis*, *sed duntaxat in Conciliis*, *& Canonibus*. Postquam verò Canones, & Aristocraticum regimen exolevit, tandem Adulatores nomen & vim Ecclesiæ in ratione gubernationis atque infallibilis auctoritatis, uni & soli Papæ manciparunt: idemque hodiè plurimi Episcopi certant, efficere, ut respectu suarum diœcesium privatarum, excluso suo Clero soli Ecclesiam constituant, id est, Monarchæ absoluti habeantur. Porrò superioribus confirmandis quæ de secundo actu Censurarum disputavimus, Historia Victoris Papæ apprime conducit: qui postquam animadvertit consensu omnium Ecclesiarum particularium fuisse constitutum, ut solo die Dominico Pascha celebraretur, & solas Asiæ Ecclesias huic obsistere decreto, in illos sententiam Excommunicationis distrinxit: quam omnes aliæ Ecclesiæ merito in rem judicatam venire noluerunt, atque alios inter S. Iræneus Victorem P P. reprehendit, quod pacem atque unitatem Ecclesiæ conturbaret: continuoque illum pro infallibili in Ecclesiæ regimine nequaquam coluit. Lege Eusebium lib. 5. Historiæ cap. 23. & 24. Certè cum Principatus aut Primatus Ecclesiæ Aristocratica moderatione essentialiter temperetur, ratio exigit, ut in rebus Ecclesiasticis nihil quicquam magni momenti absque Aristocratico Concilio geratur. Itaque quando Excommunicatio est maxima, & periculosissima pœnarum quas Ecclesia Jure divino potest infligere, Prælati quidem absque summa circumspectione eam promulgare non debent, ut olim in more positum erat, & præcepto Domini edocemur, qui statim atque Ecclesiæ Potestatem fecit ligandi, & solvendi in foro exteriore, consequenter modum, & rationem qua id Canonicè peragatur, sic declarat: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*, &c. Vide præcedens Axioma, ubi notavimus, minimum numerorum consulto usurpatum à Christo, ut omnem singularitatem, nedum Monarchicam excluderet.

Equidem aureis Ecclesiæ primitivæ temporibus Patres duabus tantum de causis præsertim usos fuisse Censuris comperio: prior & præcipua ut publicos & notorios peccatores, qui suis sceleribus, & pervicacia Ecclesiam infestabant, ad Exomologesin, & publicam pœnitentiam faciendam adigerent, retinendo ad tempus illorum peccata, quousque pœnitentiam sibi injunctam absolvissent, sicut Apostolus incestuosum Corinthiensem cap. 5. prioris ad Corinthios hac via in ordinem coëgit: Certumque est mille atque amplius annorum

norum ſpatio, Eccleſiam aliis caſuum, quam peccatorum publicorum & notoriorum reſervationibus non uti conſueviſſe: niſi forte quiſpiam ſponte & ultro publicæ pœnitentiæ ſeſe addiceret. Exacta autem Exomologeſi, Pœnitentes ad Sacramentorum perceptionem cum aliis fidelibus admittebantur, & reconciliabantur. Qua in re Patres Eccleſiæ primitivæ vim hujus pollicitationis Chriſti, *Quæcumque ſolveritis, & ligaveritis*, &c. *Cuicumque remiſeritis peccata*, &c. potiſſimum impendiſſe exploratiſſimum habeo: *quia cum excommunicat Eccleſia, in cælo ligatur excommunicatus: cum reconciliatur ab Eccleſia, in cælo ſolvitur reconciliatus, can. Quodcumque. 24. quæſt. 1.* ex Tractatu quinquageſimo Auguſtini in Joannem de capite duodecimo. Altera cauſa erat ut mulcta Canonica illis indiceretur, qui vocati ad Synodum coram Patribus ſiſtere detrectarent: de qua re Gratianus tota diſtinctione 18. Idque intelligi debet, de ſingularibus hominibus, non de Eccleſiis collectim ſumptis. Quæ fuit ratio, ut omnes aliæ Eccleſiæ Victori P P. obſtiterint, eò quod contra Jus divinum & naturale maximam Aſiæ partem ab Eccleſiæ Catholicæ conſortio reſecare vellet. Si enim in integram Communitatem aut familiam Excommunicatio ferri non poteſt, quanto minus adverſus integram provinciam? Tum enim contra præceptum Domini, frumenta cum Zizaniis, atque inſontes cum ſontibus involvuntur, atque Pax & tranquillitas publica quæ Juris eſt divini, nec à quoquam turbari poteſt ſine peccato, violatur, Axiomate IX.

Dicet forſan aliquis, generale Interdictum loci ſupplere defectum Excommunicationis generalis, eoque nedum integras familias, communitates, verumetiam urbes, Provincias, & Regna, communione divinorum, & vitæ ſpiritualis conſortio privari. Repondo, poſt abrogatam diſciplinam Apoſtolicam, hoc adinventum fuiſſe humanitus, & quingentis circiter abhinc annis contra Jus divinum, & Naturale invaluiſſe, Eccleſiaſticam & temporalem pacem conturbare. Unde ab ipſomet Bonifacio VIII. Jure improbatur *cap. Alma mater, de ſententia Excommunicationis. Tunc enim excreſcit indevotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgunt, ab Eccleſiis, ſine culpa earum, debita obſequia ſubtrahuntur*, &c. Quare Dominicus Soto in quartum Sententiarum diſt. 22. quæſt. 3. articulo 1. notat, Interdictum generale loci adinventum ad tuendam & vindicandam Auctoritatem Eccleſiaſticam; ſed contrarium omnino efficere. *Quamvis*, inquit, *ex una parte ad terrorem Excommunicatorum conducat; ex altera tamen in periculum divini cultus vergit potiſſimum, & facit prolixum. Nam tunc non ſolum populus deſuetudine frequentandi divina officia, affectum eorum, & ſenſum perdit, verumetiam & Clerus ipſe remiſſior fit, & ignavior ad eadem divina celebranda: qua utique ratione, & divina Religio detrimentum patitur, & populus ſolet in moribus*

bus ſylveſcere. Quocirca hic recordari oportet Regulæ Sylveſtri verbo *Obedientia: Si ex obedientia præſumitur ſtatus Eccleſiæ perturbandus vehementer, vel aliquod malum aut ſcandalum futurum, etiamſi præcipitur ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, non eſt ei obediendum. Quod enim inſtitutum eſt pro Charitate, non debet militare contra Charitatem.* Quæ dum apud me perpendo, mihi venit in mentem filiorum Heli Sacerdotis magni cap. 2. primi Regum, *quorum peccatum grande nimis erat, quia detrahebant homines à ſacrificio Dei, exigendo carnes crudas ante peractum ſacrificium*, ut Scriptura memorat. Hoc autem multò magis ſit Interdicto generali locorum, idque quo ſit auctore inſtitutum clarè demonſtrat. Jam multoties dixi, in Lege Euangelica, nunquam licitum facere mala, ut eveniant bona, Axiomate III. & IX.

Verum quoniam aſſerui, cuncta Juris Naturæ & Gentium ſubſidia neque tolli, neque intercidi, aut impediri poſſe Cenſuris: forte quiſpiam contra inſurget, atque Apoſtoli auctoritatem obtendet 2. Theſſal. 3. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Et cap. 3. ad Titum: *Hæreticum poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Adde & Epiſtolam ſecundam Joannis: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert; nolite recipere eum in domum, nec* Ave *ei dixeritis: Qui enim dicit illi* Ave, *communicat operibus ejus malignis: Ecce prædixi vobis ut in die Domini non confundamini.* Certè non conſueſcere cum aliquo, non ei dicere *Ave*, eumque devitare, illum in domum ſuam minimè recipere, ut Apoſtoli perhibent, ſunt Juris naturæ, & vitæ civilis ſubſidia. Reſpondeo, civilem ſocietatem, quia Juris eſt Divini, & Naturalis, nullo modo poſſe tolli Cenſuris Eccleſiaſticis: atque Apoſtolos non hic eam prohibere, ſed duntaxat communionem Eccleſiaſticam, aut quaſi Eccleſiaſticam. Porrò conſuetudinem quaſi Eccleſiaſticam voco, dum aliquis contra normam hoc antiquæ ſimplicitatis verſu præſcriptam

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe,

tam familiariter, & amicè cum Excommunicatis conſueſceret, ac ſi nullis eſſent innodati Cenſuris. Quamobrem quæ narrantur ab Apoſtolis, quaſi civilem converſationem interdicerent, per Auxeſim capienda ſunt ad homines perterrefaciendos, ut & multa alia ejuſmodi in Scripturis occurrunt quæ non ſunt Juris Divini præcepta: ſicut *Contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum:* Item *Utinam abſcindantur qui vos conturbant*, &c. Almainus lib. de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſt. 1. cap. 10. circa medium: *Tertium corollarium quod ſequitur*, ait, *eſt quod vitare excommunicatum quantum ad colloquutionem, & illa quæ ſunt mere civilia, non videtur eſſe de Jure Divino.* Item quæſtione 2. cap. 12. *Habetur ex multis teſtibus, & ex Practica quod familiares excommunicati poſſunt participare cum eo ad minus in rebus civili-*

civilibus. Ergo cum Rege excommunicato Vasalli, & subjecti possunt participare, cum sint quodammodo servi ejus. Nam obedientiam tenentur illi dare & exhibere. Joannes Driedo primo de libertate Christiana cap. 14. *Videtur sequi, nos ex constitutione Juris Divini non prohiberi cum Hæreticis edere, & bibere: quod manifestum videtur multis Sanctorum exemplis, qui communicaverunt Juliano Imperatori Apostatæ in cibo & potu, ac etiam in militaribus actibus, ut patet ex doctrina Augustini* XI. *quæst.* 3. *can. Julianus, & can. Imperatores.* Profectò Gregorius VII. ut Henricum IV. Imperatorem expeditius perderet, omnium primus, quodcumque genus communionis cum Excommunicatis vetare ausus est. Quare sextum articulum SUORUM DICTATUUM, ita concepit: *Quod cum Excommunicatis à Papa inter cætera, nec in eadem domo debemus manere.* Quæ prohibitio, Jus Divinum & Naturale evertit, nec ab errore vindicari potest ab iis qui Papæ infallibilitatem tuentur. Gregorius Sayrus doctissimus Monachus Cassinensis lib. 2. de Censuris cap. 11. num. 21. innumeros Juris Pontificii & Theologiæ doctores sigillatim enumerat, quorum auctoritate & consensu probat consuescere cum Excommunicatis in civilibus; ad summum non esse nisi veniale peccatum. *Cum duplex sit Christianorum & fidelium participatio*, inquit, *una quæ Christianorum propria est, quatenus Christiani sunt, ut est participatio in divinis: alia quæ communis est hominibus quatenus homines, & concives sunt, ut est communicatio in temporalibus, & actibus humanis: illam Ecclesia directè prohibet: & proinde cum Excommunicato in divinis participans directè contra præceptum Ecclesiæ faciens mortaliter peccat. Quia verò communionem cum Excommunicatis in temporalibus prohibet tantum indirecte, & ex consequenti, qui in illis communicat, non contra præceptum Ecclesiæ, sed præter præceptum facit, & ideo venialiter tantum peccat.* Quam Gregorii Sayri conclusionem verissimam & certissimam, te rogo, Lector, confer cum Regula superius num. 9. posita: nimirum, *Quoties duo præcepta contraria Juris diversi Ordinis inter se committuntur: tunc præceptum inferioris Ordinis debere cedere præcepto Ordinis superioris.* Confer etiam peccatum veniale quod ex civili conversatione cum Rege excommunicato verbi gratia, contrahitur cum horrendis stragibus populorum, urbium excidiis, provinciarum vastationibus, stupris, atque aliis ejusmodi sceleribus nefandis, quæ bella civilia, & Regum Excommunicationes solent comitari: statim facile judicabis in humanæ vitæ commercio, *minus malum habere rationem boni, & rei tolerabilis:* ac proinde à tot bellis prætextu Religionis & Fidei Catholicæ asserendæ instructis, esse abstinendum: cum tot ac tantas impietates, & calamitates horrendas pariant. Hercle Gulielmus Antisiodorensis *lib.* 3 *Summæ cap. de Judiciis*, explicans parabolam Zizaniorum, disertè, ait; Excommunicationem Principum & mul-

titudinis cadere ſub præceptum de non exſtirpandis Zizaniis. Quod vero dixi in dubium verti, an peccatum veniale ex ſimplici converſatione in civilibus, & temporalibus cum excommunicatis contrahatur, ratio id abſolute negandi ducitur ab argumentis ſuperius poſitis: primum quod Chriſtus velit excommunicatos haberi tanquam Ethnicos, & publicanos, quibuſcum poſſumus verſari in civilibus, abſque ullo peccato etiam veniali, ut auctor eſt Cajetanus. Accedit *Gratiam non deſtruere ſed perficere naturam*, & continuo effectum Excommunicationis non poſſe ullo modo pertingere ad prohibendam converſationem in civilibus, quæ Juris ſunt naturæ, Axiomate III. & IV. Sed perpendamus, an aliquam hîc defigere poſſimus regulam, cujus ope dignoſci queat, quando & quatenus bella aut alia incepta quæ propter cenſuras aut Religionem excitantur Juri Divino, & Naturali conſentiant, aut diſcordent. Si enim Eccleſia tam circumſpectè uti debet Excommunicatione quæ ejus eſt ſuprema poteſtas & Juriſdictio, ſcilicet temperamento parabolæ Zizaniorum ſervato & Publica Pace atque unione ſalva: videndum eſt quidnam vir prudens hic definire poſſit. Quæ Regula eſt certiſſima moralis Philoſophiæ, quam Scipio Africanus major prudentiſſimus Romanorum Imperator nobis reſerabit: qui in ea erat ſententia ut potius decem hoſtibus parcendum quam civis unius vitam illorum cauſa in diſcrimen vocandam cenſeret. Certè quando Dominus vetat Zizania evelli ne noceatur frumentis, id eſt, bonis: oportet quidem in Lege gratiæ omnium mitiſſima, & perfectæ libertatis, non modò decem nefariis, ut Scipio volebat, ſed etiam centum, imò mille potius parcere quam ut unius probi hominis vitam & incolumitatem certo exponi periculo committamus aut patiamur: maxime verò quod Dominus Pater & regula Miſericordiarum Geneſis 18. polliceatur Abrahamo, ſe cunctis parcituru Sodomitis & Gomorrhæis cæterisque incolis quinque urbium populoſiſſimarum, modò in eis decem homines juſti reperirentur. Quibus cogitatè perpenſis, cuique pronum eſt judicare, quid ſentiendum ſit de tot bellis quæ à ſexaginta amplius annis per totam Europam, & præſertim in Franciæ regno fervent Religionis cauſa. Profecto ut de aliis provinciis taceamus, nullus Hugonotarum noſtris bellis & furoribus inteſtinis periit, quin mille Catholici pro illo luerint, ac ferro, fame, igni, aquis, peſte aut aliis cladibus crudeliſſime interierint: ut inſuper alias populorum ſtrages, ducum fortiſſimorum cædes, ſacerdotum carnificinas; virginibus ſacris, matronis, atque aliis puellis illata ſtrupra, urbium excidia, templorum dilapidationes, incendia, & ſacrilegia, atque alia nefanda, quæ animus referre horret, prætermittam. Taceo inſuper miſerrimæ plebis, & agricolarum lanienas, atque expilationes à militibus patratas: Reges noſtros ad bellicos ſumptus perferendos coactos fuiſſe non modo Domanium ſuum vendere, & revendere, verumetiam extraordinariis

nariis tributis ſine modo, & menſura ulla populum opprimere, idque adeò, ut *Salis menſura una*, *vulgò* minotum *indigetant*, quod antea viliſſime, id eſt, quinquaginta ſolidis Turonenſibus vendebatur; hodiè viginti libris Turonenſibus ematur. Quæ omnia bellorum civilium Religionis ergo ſuſceptorum monimenta ſunt crudeliſſima: quantique bella hæc Clerus ipſe redemerit, omnium optimè novit. Hinc pariter facile eſt videre, utrum Conjuratio nitrati pulveris adverſus Regem Magnæ Britanniæ anno 1605. ſuſcepta Legi Dei & Naturæ concordet an diſcordet, quando Conjuratis erat propoſitum amicos cum hoſtibus & innocentes cum nocentibus tollere: ſi tamen ad mentem conjuratorum illi nocentes erant habendi. Cæterum quibuſnam de cauſis ſint Hæretici perferendi aut non perferendi, non eſt Eccleſiaſticorum ſed Politicorum Principum definire: quoniam hi, non illi ſunt ordinarii, & legitimi rerum iſtarum Judices: neque Arcana ſui imperii, & ſtatus Politici Eccleſiaſticis communicare tenentur: ſiquidem temporalia Regibus, & Magiſtratibus Politicis, & Eccleſiaſtica Eccleſiaſticis ſunt relinquenda, excepto mutuo ſubſidio, quod utraque Poteſtas ſibi invicem præſtare tenetur conformiter ad cauſas eſſentiales ſuæ inſtitutionis, & pace atque unitate ſalva: quem ad ſenſum Poteſtas indirecta Eccleſiæ in temporalibus, & viciſſim Reipublicæ erga Eccleſiam capi debet, lege XII. XXXVIII. & XXXIX. Axiomata. Sane partes ſunt Clericorum judicio Eccleſiaſtico damnare hæreticos: neque Jure Divino quicquam habent quod ulterius faciant: & Apoſtolus de illis ita ſtatuit cap. 3. ad Titum: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita:* non autem dicit, *Combure* aut *Occide*, ut rectè obſervatum eſt à Magiſtro Joanne de Pariſiis cap. 14. libri de Poteſtate Regia & Papali. Quando autem & quatenus Hæretici capitali pœna ſint plectendi, diſputabitur Axiomate XXXVIII.

AXIOMA XVIII.

Quidnam ſit, & unde oriatur Eccleſiæ infallibilitas: ſolamque Eccleſiam collectim, *non Epiſcopos aut Romanos Pontifices* diſtributim, *& ſeorſim captos eſſe infallibiles: & de Bellarmino qui ut infallibilitatem ſoli Papæ addiceret, ſacram Scripturam non eſt veritus corrumpere: genuinus ſenſus hujus loci: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, Lucæ 22.*

XXIV. INfallibilitas eſt intima atque individua Eccleſiæ ſponſæ, quæ eſt corpus homogeneum, & connaturale Chriſti, cum eodem ſponſo, & capite ſuo eſſentiali unitas, & conformitas per internam Spiritus

Sancti directionem, & obſervationem præceptorum Dei, ad communionem Sanctorum, Charitatem atque unitatem Eccleſiæ conſtituendam ſub externo & viſibili Papæ, atque aliorum Paſtorum regimine & miniſterio.

Verum quando Eccleſia ſive pro ſolo Ordine Hierarchico, ſive pro omnibus fidelibus confertim ſumptis capiatur, Totum ſignificat ſuis numeris abſolutum, quod immediate, indiviſim ac eſſentialiter unitur ſuo capiti eſſentiali Chriſto per internam operationem Spiritus Sancti velut materia formæ, ſponſa ſponſo dilectiſſimo, & corpus homogeneum ſuo capiti connaturali: Petrus autem, Clemens, Paulus, atque alii Prælati ſigillatim & diſtributim ſumpti, extrinſece duntaxat, accidentario, & mutabiliter adhærent Chriſto, ſicut pars quædam, inſtrumentum, miniſtri, œconomi, & paranymphi totius corporis Eccleſiæ, velut Axiomate VII. XIV. XV. & XVI. demonſtratum eſt: neceſſario relinquitur, omnes perſonas ſingulares, Epiſcopos, & Pontifices poſſe cum Chriſto facere divortium: propterea quod ſunt tantummodo partiale, inadæquatum, & mutabile ſubjectum gratiæ divinæ, & chariſmatum Spiritus Sancti: & conſequenter, unicam & ſolam Eccleſiam *generatim & collectim* ſumptam eſſe infallibilem: Petrum vero, Paulum, & alios Pontifices *diſtributim* captos nequaquam. Profectò cum Dominus exploratum haberet, *omnem Pontificem ex hominibus aſſumptum circumdari infirmitate*, Hebr. 5. ideò non cuipiam homini ſingulari, ſed toti Eccleſiæ *generatim* ſumptæ, quam omnes diſcipuli referebant Legem Euangelicam credidit, & revelavit, Axiomate XIII. Unde Eccleſia confertim *eſt columna, & firmamentum veritatis*, 2. ad Timotheum 2. contra quam portæ inferi non prævalebunt, Matt. 16. *Totaque eſt pulchra*, ſancta & immaculata, *non habens maculam aut rugam aut aliquid ejuſmodi* 4. Canticorum & 5. ad Epheſ. Nec mirum certè, quando Dominus *Patrem rogavit, ut Eccleſiæ daret Paracletum qui cum ea maneret in æternum, Spiritum veritatis*, Joannis 14. *eamque ſanctificaret in veritate, clarificaret, atque in unum conſummaret*, Joannis 17. verſu 19. & 23. & Matthæi ultimo, pollicetur *ſe cum Apoſtolis atque diſcipulis* collectim *ſumptis fore in perpetuum, modò doceant omnes gentes ſervare quæcumque illis mandavit*. Demum S. Paulus 1. Corinth. 14. aſſerit, *Spiritum Prophetarum ſubjectum eſſe Prophetis*: ac ſi diceret; Motus atque afflatus privatorum hominum communi & generali Spiritu Eccleſiæ, aut univerſali Sanctorum Communione, & conſenſu expendi ac probari oportere: cujus rei indubitatam praxin Axiomate XXIX. exhibuimus.

Porrò locus Matthæi, quo Dominus præcipit Apoſtolis, ut doceant gentes ſervare quæcumque illis mandavit, nobis facem præfert ad intelligendos & conciliandos duos Scripturæ locos qui inter ſe pugnare videntur. Nam Jeremiæ 18. verſu 18. dicitur; *Quod Lex non peribit à Sacerdote, & conſilium à ſapien-*

ſapiente: idque congruit Oraculo Domini Deuteron. 17. *Venies ad ſacerdotes Levitici generis*; & Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus exercituum Domini eſt.* Item Matthæi 23. *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Contra Ezechiel 7. verſu 26. habetur; *Quod Lex peribit à ſacerdote, & conſilium à Senioribus*: quod eſt intelligendum, niſi ſacerdotes conformiter ad Legem Dei docuerint. Unde Gloſſa ad hæc verba Deuteronomii 17. *Facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus: & docuerint te juxta Legem ejus: Nota*, inquit, *non dicitur tibi ut obedias, niſi juxta Legem docuerint: unde ſupra Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi*, Matthæi 23. Quem textum Janſenius cap. 120. Concordantiæ, & Maldonatus in hæc verba; *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate*, ſic explicant: *Ergo*, ait Maldonatus: *cum jubet ſervare ac facere quæ Scribæ & Phariſæi, dum in Cathedra Moſis ſedent, dicunt, non de ipſorum, ſed de Legis ac Moſis doctrina loquitur: perinde enim eſt ac ſi dicat, Omnia quæ Lex & Moſes vobis dixerint, Scribis & Phariſæis recitantibus ſervate & facite.* Quocirca S. Hieronymus, & alii Patres antiqui, per Cathedram Moſis ejus doctrinam, id eſt, Legem Dei Moſi revelatam velut fundamentum fidei & ſalutis humanæ interpretatur. Unde Deuteron. 12. verſu 32. Moſes populum Iſraël ſic alloquitur: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Et Joſue 1. *Confortare & eſto robuſtus valde, ut cuſtodias, & facias omnem Legem quam præcepit tibi Moſes ſervus meus: nec declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedet volumen Legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Quo ex Teſtimonio lux accedit verbis Domini, Joannis 7. verſu 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina ejus*, &c. Item Eſaiæ 8. *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro vivis à mortuis? Ad Legem magis & ad Teſtimonium: Quod ſi non dixerint juxta verbum hoc: non erit eis matutina lux.* Quæ demonſtrant multò magis fidendum Legi divinæ quam Miraculis aut Revelationibus, & Prophetiis, ſicut etiam docet Chriſtus cap. 16. Lucæ, ubi Abrahamum ita inducit epuloni diviti reſpondentem, cum ab eodem peteret Lazarum de integro in mundum mitti, quo fratres ſuos commonefaceret: *Habent*, inquit Abraham, *Moyſen & Prophetas, audiant illos:* conſule 1v. Axioma. Itaque ne quid Paſtores & doctores hîc ſupra alios glorientur, iſtinc inſurgit non alia lege eis credendum, aut infallibiles haberi, quam ſi congruenter ad Legem Dei reſpondeant. Quare ſicut in veteri Teſtamento quod erat unius gentis Judaicæ, *Sanhedrim*, id eſt, *Concilium Synagogæ* conſtitutum fuerat, Deuteron. 17. ita in Eccleſia Synodi provinciales, & genera-

les celebrantur ex omnibus nationibus vocatis ad Euangelium, Axiomate XVI. & XX. ad infallibiliter decernendum. Ideoque Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 11. perhibet, *Medium ordinarium, & neceſſarium ad aſſiſtentiam Spiritus Sancti, & directionem divinam obtinendam eſſe Concilium magnum aut parvum, unum vel plura habere: & Pontifices nullam Hæreſin novam abſque novo Concilio unquam damnaviſſe.* Quando autem Dominus omnes gentes, & nationes orbis terrarum ad gratiam & lumen Euangelii æqualiter vocavit, & admiſit, certè nihil cauſæ eſt, cur in rebus ad fidem aut diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus una, & ſola natio Italica ſibi plus aſſumat, & arroget quàm aliæ nationes Chriſtianæ. Idque in cauſa fuit ut in Synodo Conſtantienſi & Baſileenſi Patres divinitus ſtatuerint ſuffragia *tributim* & *nationaliter*, non *viritim* & *capitatim* ferri: ne Italica natio, quæ tot Epiſcopos habet quot parva opida, cæteras Nationes numero ſuffragiorum ſuperaret: atque impedimento eſſet quominus Eccleſia in capite & in membris reformaretur. Cæterum de diſcrimine clavis Juriſdictionis, & diſcretionis, Axiomat. XXI. diſputabitur.

His ita conſtitutis liquet, eundem Bellarminum quarto de Romano Pontifice cap. 2. nimis confidenter, & temere, ne quid aſperius pronunciem, contendere, *doctrinam ſcholæ Pariſienſis de infallibili Eccleſiæ auctoritate, omnino erroneam atque hæreſi proximam eſſe:* idque ut ſpecioſius perſuadeat, horreſco referens, Sacram Scripturam corrumpit Deuteronomii 17. Cum enim in fonte Hebraico, Verſionibuſque Græca & Latina pluraliter legatur, *Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis:* atque numero multitudinis *Sanhedrim*, id eſt, *Concilium* & *regimen Ariſtocraticum Synagogæ* conſecretur, ſicut omnes interpretes, atque inter alios Cornelius à Lapide teſtatur: attamen Bellarminus ſuo privato Spiritu, hunc textum ſic adulteravit: *Venieſque ad Sacerdotem Levitici generis*, ſubjiciens ſingularem pro plurali. Quod ſtatim atque obſervavi, operarum negligentiam, non Bellarminum culpabam: ſed re maturius examinata, animadverti, hæc eo conſilio & propoſito ab illo patrata, ut abſoluta Curiæ Romanæ imperia ſtabiliret: & eam ob rem lib. 3. de verbo Dei cap 4. eundem errorem frequentare, & oggerere in omnibus editionibus: neque errorem iſtum in librorum ſuorum recognitione emendaſſe. Quare priſcam fidem & mores avitos hominum exclamavi, ſumque miratus principem ſodalitii Jeſuitarum (hoc enim ſcripſit, antequam eſſet Cardinalis,) ita auſum Scripturam Sacram vitiare, cum Deuteron. 4. edicatur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Item Apocalyp. 22. *Si quis diminuerit de verbis libri hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ, & de Sancta Civitate, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Sane admiſſo vel minimo errore, aut men-

mendacio in Sacris Scripturis, tota fides & Religio Christiana præceps ruit, ut rectè observat S. Augustinus Epistola octava ad Hieronymum, cui Epistolæ principum est *Nunquam æque quoſquam*. Ecquid obsecro posthac sanctum, atque intemeratum erit, quando Sacra Scriptura Curiæ Romanæ Cardinali non est? Annon veritatem notissimam corrumpere, & oppugnare, est peccare in Spiritum Sanctum? Ita certe omnibus placet Theologis. Quod si Magistri Parisienses quidpiam simile ad sententiæ suæ patrocinium molirentur, jure, meritoque audirent, *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt*, Psal. 106. *Deus diſſipabit oſſa*, id est, humanas rationes, & commenta *eorum, qui hominibus placent*, Psal. 52. Sed forsan obtendent eodem cap. Deuteron. hæc immediatè legi: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille.* Contra excipiam illos æquivocando fucum facere veritati, atque sententiam, sive decretum quod in Sacerdotum, & Laicorum notabilium Aristocratico consilio conditum est, confundere cum exequutione decreti, quæ exequutio Judicis imperio fiebat: Judex autem aliquando erat Laicus, ut patet ex libro Judicum, & aliquando sacerdos ut Heli, Samuel, &c. primo lib. Regum. Ad ampliorem hujus loci notitiam consule librum 2. Paralipomenon cap. 19. versu 10.

Procul dubio nostram & hujus seculi vicem satis deflere non possumus, quia juxta communem regulam favores ampliandi, & rigores restringendi, utrinque certatur maligne. Ut enim sectarii cuncta ad rigorem odiosum & calumnias impiè abstrahunt: ita permulti Catholici Curiæ Romanæ nimium obnoxii ad majus bonum, & ampliorem gloriam Dei, sicut buccis inflatis crepant, immane quantum favores amplificant, neque satis ex animo & veritatis prærogativa loquuntur. Profectò utrique instar vulpis & ciconiæ Æsopi quæ sibi invicem dolosa mutitabant convivia; mutuo sibi illudere conantur. Quasi vero Christiana religio, quæ æternæ incumbit veritati, instar paganicæ & Mahometicæ impietatis, simulatione, dolis, mendaciis, atque aliis mundi sapientiæ fabricis indigeret: nec Legis gratiæ veritas, integritas & simplicitas seipsa satis potens existeret ad portas inferni confringendas, juxta Christi Domini promissa, ut primorum Christianorum exemplis abundè comprobatur. Etsi autem omnes Christiani expetere debeant fieri *Anathema* propter Jesum, nihilominus à Dei præceptis, ne quidem latum unguem deflectere debent: quia bonum causa integra constat, malum verò & peccatum singulis contrahitur defectibus: utque Apostolus cap. 3. ad Roman. perhibet; *Nunquam ſunt facienda mala ut inde eveniant bona*: quod summæ deputat blasphemiæ: & tamen hodie magnæ virtuti à permultis ducitur. Hercle quod olim *Victor Uticenſis* de sui seculi hominibus dicebat, nimirum *ſubtiliores eſſe diſputatores*

tatores quam bonos, fortes, & conſtantes Chriſtianos; de nobiſipſis certius uſurpabitur. Quoniam pro variis partium ſtudiis atque animi motibus quibus à via regia aberratur, ſæpe contra manifeſtiſſimam veritatem ſcribimus, atque Sacrorum Bibliorum, & Patrum Teſtimonia immutamus, caſtramus, adulteramus, hucque & illuc, contra genuinum ſenſum, violenter abripimur, nec ulla in parte æquabilem mediocritatem tenemus: quamquam hæc una & ſola ſit ratio medendi antiquis & novis ſchiſmatibus, in dies adoleſcentibus, atque paci Eccleſiæ conſulendi. Proculdubio cum juſtam Ariſtocratici regiminis moderationem ſapientiſſime à Chriſto inſtitutam, atque mille, & amplius annorum intervallo ſervatam animum adjicio, eamque ad infallibilem abſolutam Papæ Monarchiam, quæ res eſt plane fictitia refero, mihi neſcio cujus veteris Poëtæ ſententia animo ſuccurrit Romanos graviter culpantis quod omnia vano *Fortunæ* nomini tribuerent, quaſi *in rebus humanis utramque efficeret paginam*, ut ait Plinius: cum tamen id potius prudentiæ, & ſapientiæ, quâ res humanæ laudabiliter geruntur adſcribere debuiſſent.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed Te
Nos Fortuna Deam facimus cæloque locamus.

Dixi autem abſolutam infallibilem Monarchiam rem eſſe planè chimæricam, quia nuſpiam in Sacris Scripturis ejus extat veſtigium, ſed duntaxat in hominum obnoxiorum animis, propter quam tamen Eccleſia gravi, atque intolerabili Tyrannide opprimitur, ita ut divinis nedum humanis inſtitutis minimè parcatur.

Sed obtendunt, Chriſtum Lucæ 22. uni & ſoli Petro *Donum infallibilitatis* impartiri, dum pro illo rogavit, ne ejus fides deficeret. Oppono, ſi aliquot Romanos Pontifices excipias, neminem antiquorum Patrum textum hunc Lucæ *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, &c. ad hunc ſenſum interpretari de uno & ſolo Petro: quoniam ex circumſtantiis hiſtoriæ Euangelicæ conſideratè perpenſis ſatis liquet clauſulam hanc, *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, capi oportere de periculis imminentibus propter paſſionem & mortem Chriſti, quæ magnam erat perturbationem omnibus diſcipulis, & potiſſimum Petro allatura. Quocirca Joannis 17. pro omnibus Patrem vehementer rogat verſu 11. *Pater Sancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut nos. Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi ego cuſtodivi, & nemo ex iis periit niſi filius perditionis*, &c. Quæ Domini oratio eſt alexipharmacum adverſus machinas, & molitiones Diaboli ad hunc modum Lucæ 22. expreſſas: *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quæ oratio Chriſti ad Patrem ne fides

fides Petri deficeret, in causa fuit ne Petrus ad unius ancillulæ Pontificis interrogata, animo & corde, sicut & voce concideret, atque hanc fidem à se aliàs Matthæi 16. strenuè editam, *Tu es Christus filius Dei vivi*, abnegaret: siquidem *conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus Petrus hujus verbi Domini, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras flevit amarè*, Lucæ 22. En ergo Lapsus, & conversio Petri ac confirmatio in hac fide: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Itaque nemini qui ad concordiam Euangelistarum attenderit, atque ardentem Petri animum in fide Euangelii noverit, dubium esse potest, quin Petrus sic à Christo confirmatus, dehinc reliquos condiscipulos animum, atque Euangelium ob mortem Christi planè despondentes, monendo, hortandoque in illa fide à se Matt. 16. edita confirmarit, & in Ecclesiæ gremio spe futuræ resurrectionis Domini post triduum retinere conatus sit. Et ita liquet, hunc locum, *Ego rogavi pro te* &c. ad rigorem sensus literalis de tempore passionis intelligi oportere; ut S. Hilarius, Chrysostomus, Euthymius, interpretantur. Quod vero insurgunt & ingeminant, si hæc explicatio obtineret, sequi B. Petrum ultra tempus passionis Dominicæ, gratia confirmandorum fratrum minime donatum: negatur consequentia. Enimverò confirmare fratres, nihil aliud est quam actus Hierarchicos exercere, illuminando per doctrinam, purgando per pœnitentiam & censuras, & perficiendo administratione reliquorum Sacramentorum, & Legum ac Canonum sanctione, quando res postulat. Qua facultate omnes Episcopi proportionatim, & respective donantur virtute Sacerdotii, & Episcopatus Christi, cujus sunt effecti participes in solidum. Petrus autem in hoc obeundo ministerio supra alios solo Primatu excellit Matt. 16. & Joannis ultimo, de quo infra Axiomate xxx. Porrò si proprie & dogmaticè loqui velimus, absolutum & infallibile Privilegium confirmandi fratres, ad totam sedem Apostolicam, non ad unum, & solum Papam, aut Episcopum distributim pertinet: *quoniam aliud est Papa, & aliud Cathedra, aut* sedes Apostolica *cap. Sigratiose. de Rescriptis in Sexto.* Resolutio sedis aut Cathedræ datur, cum summus Pontifex Synodum de rebus controversis, si maximi sint momenti, consulit, & juxta Leges Aristocratici regiminis communione Sanctorum suaviter, & liberè inita, & perquisita decernit: quia omnes alii Episcopi sunt consortes Cathedræ, Episcopatus, & Sacerdotii Christi, sicut & Papa. Quæ communionis Sanctorum perquisitio, ut commodius iniretur, Synodi provinciales bis annuatim cogebantur, juxta disciplinam Nicænis canonibus consecratam. Unde illud Bellarmini placitum jam antea usurpatum: puta *Medium ordinarium & necessarium ad assistentiam Spiritus Sancti obtinendam esse Concilium magnum aut parvum, unum vel plura habere*, &c. Quæ forma disciplinæ & regiminis, multis seculis floruit in Ecclesia. Unde nihil mirum est, B. Hieronymum,

mum, cum degeret in Oriente, & de dicendis aut tacendis tribus Hypoſtaſibus ageretur, opem atque ſubſidium Cathedræ Petri aut ſedis Apoſtolicæ implorâſſe à Damaſo Papa, nimirum ut ſedis Apoſtolicæ, id eſt, Synodale judicium pro interpretatione Symboli Nicæni ederet. Hæc autem gubernandæ Eccleſiæ ratio, & Synodorum provincialium bis annuatim cogendorum, juxta quintum Canonem Nicænum, poſtquam intermiſſa eſt; quò rei tam pretioſæ jactura aliquo ſpecioſo prætextu tegeretur, & compenſaretur, atque memoria Synodorum obliteraretur, tandem *Collegium Cardinalium* delectu hominum facto ex omnibus provinciis Chriſtianæ reipublicæ inſtitutum eſt, ut tanquam aliquod Concilium, & ſenatus Ariſtocraticus Romano Pontifici velut Monarchæ aſſideret, atque naſcentes controverſias unà cum eodem Pontifice definiret, teſte *S.* Bernardo quarto de Conſideratione ad Eugenium cap. quinto: *Annon*, inquit, *eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* Et ita colligimus eundem Bernardum Epiſtola 190. ad Innocentium II. Cathedræ & S. A. non privatos motus Papæ flagitare adverſus Petri Abellardi novitates: continuoque ſequi, Bellarminum fruſtra & perperam hoc Bernardi teſtimonio uti ad ſuæ opinionis confirmationem de infallibili Papæ Judicio lib. 4. de Romano Pontifice cap. 3. Profecto dum & meipſum, & meas lucubratiunculas SS. Apoſtolicæ judicio ſubjeci, ego ſedem Apoſtolicam hac tantum notione capio, nequaquam verò pro ſolo Papa, aut ejus privato atque Oligarchico conſilio quale hodierna die ab Adulatoribus celebratur.

AXIOMA XIX.

Recapitulatio ſuperiorum Axiomatum de diſcrimine quo Eccleſia collectim, *& Prælati* deſtributim *& ſeorſim capti, claves aut Juriſdictionem Eccleſiaſticam poſſident.*

XXV. UT lector ſummam, & Synopſin eorum habeat quæ ſparſim de clavibus & Juriſdictione Eccleſiaſtica diſputavimus: certe quando Sacerdotalis Eccleſia collectim ſumpta eſt totale, & adæquatum ſubjectum Sacerdotii Domini, atque omnia poſſidet ad Juriſdictionem Eccleſiaſticam neceſſaria, & *immediatè*, *indiviſim*, ac *intimè* unitur Chriſto ſponſo, & per Spiritum Sanctum regitur, & vivificatur, Axiomate XIV. & XV. & ſequentibus; oportet quidem illam velut dominam atque magiſtram claves poſſidere immediate, *architectonice*, per dominium & proprietatem, *originaliter*, per modum cauſæ efficientis, & propagantis, *formaliter* quoque, & *primario*, *eſſentialiter*, *virtualiter*, *ſuppletive*, *directive*, *regulative*, *infallibiliter*, *immutabiliter*, *intenſive*, atque *extenſive*. Contra autem

Papam

Papam & alios Prælatos *ſigillatim* captos, & ad totum ordinem Hierarchicum *generatim* ſumptum collatos, tanquam partiale & inadæquatum ſubjectum Sacerdotii Chriſti claves dumtaxat poſſidere *miniſterialiter*, *inſtrumentaliter*, *exſequutive*, quoad uſum ſeu actum exercitum, *materialiter*, *ſecundariò*, *accidentaliter*, *mutabiliter*, *limitative*, *deviabiliter*, & in ordine ad regimen Ariſtocraticum, à quo omnes privati motus, affectus, actiones Chriſtianas, & ſcita ſingulorum Prælatorum probari, & regi neceſſe eſt. Quamobrem niſi Papa inſtitutum & propoſitum Eccleſiæ matris ac dominæ velut normam infallibilem ſequatur, dum Miſſam celebrat, Sacramenta miniſtrat, Cenſuras diſtringit, alioſque actus Hierarchicos capeſſit, profectò omnes ejus conatus vani, atque irriti ſunt tanquam huic articulo fidei adverſi, *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, *Sanctorum Communionem*, &c.

Quem fidei Articulum, Pontifices more aliorum hominum privatorum quotidie profiteri, & ab Eccleſia parente remiſſionem peccatorum petere, omneſque Canones, & decreta Sanctorum communione & Catholico conſenſu conſtituta, & firmata ſervare obſtringuntur, Axiomate XXII.

AXIOMA XX.

De Conciliorum auctoritate & celebratione; atque Eccleſiam donatam à Chriſto Poteſtate ſeſe in Synodum congregandi, & Canones obligatorios condendi: ac frequentem Synodorum celebrationem eſſe abſolutè neceſſariam, ut Eccleſia melius & ſanctius gubernetur: & de Ariſtocratici Eccleſiæ, atque Oligarchici Concilii Papæ differentia.

XXVI. QUando omnis congregatio, & ſocietas perfecta, eſt ſibipſi ſufficiens, conſtatque inter omnes, nullam eſſe Politiam quæ ſeſe alio modo tueri & conſervare valeat, quam frequenter de rebus ſuis conſulendo, deliberando, & Leges aut Canones condendo: Hercle Eccleſiam pollere auctoritate ſeſe congregandi in Concilium, & leges pro juſto Eccleſiæ regimine ſciſcendi neceſſe eſt. Lege VII. VIII. XIV. & XVI. Axiomata. Ubi probavimus fontem, atque originem celebrationis Synodorum, partim hoc fidei Articulo niti, *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, *Sanctorum Communionem*; partim hoc Chriſti oraculo: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt: ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum*, &c. Quod autem Bellarminus vendit at lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 16. *Nuſquam legi, Chriſtum univerſitati fidelium in ſe,*

hoc est, ratione suæ Totalitatis consideratæ aliquid Potestatis attribuisse; Lectorem frustratur æquivocatione. Nam sicut annuimus, Dominum nullam dedisse *Potestatem activam* clavium Ecclesiæ pro cœtu Laicorum sumptæ: pariter negamus Ecclesiam pro Hierarchico ordine, vacuam esse hujus auctoritatis: cum ipsemet Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 23. nominatim doceat, Christum his verbis, *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, Joannis 20. tantumdem Potestatis contulisse Apostolis quantum his verbis, *Pasce oves meas*, largitus est Petro, Joannis ultimo. Consule XIV. Axioma. Quid præterea memorem, eundem Bellarminum lib. 1. de Conciliis, & Ecclesia cap. 3. manus dare veritati. *Originem Conciliorum etsi Albertus Pighius lib. 6. de cœlesti Hierarchia cap. 1. contendat esse plane humanam, & naturali ratione excogitatam*, ait, *probabilius tamen est, divinam esse. Nam Concilium Chalcedonense in Epistola ad Leonem, & sexta Synodus actione 17. docent, Concilia esse demonstrata à Christo in illis verbis Matt. 18. Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.* Adnecte pariter eodem lib. cap. 11. Bellarminum perhibere, *Medium ordinarium, & necessarium ad assistentiam Spiritus Sancti obtinendam esse, habere Concilium magnum aut parvum unum vel plura: idque juxta hanc Domini pollicitationem, Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, Matt. 18.* Subjungit quoque, *Pontificem in controversiis fidei judicandis, neque suo soli judicio fidere, neque divinam revelationem exspectare, sed ad Media ordinaria debere recurrere.* En summa rationum Bellarmini, quas mihi necessum est sæpius frequentare, partim ob nexum & convenientiam horum Axiomatum: partim ut adversarios *argumento ad hominem* debellemus, ut vocant. Hinc enim claret, *quid sit Papam respondere de Cathedra*, scilicet in rebus magni momenti Synodum unam vel plures cogere, & consulere, minime vero privatos homines privatim consulere, qui ut plurimum se totos ad sensum Papæ, non ad veritatis normam componunt.

XXVII. Procul dubio frequens Conciliorum celebratio est instar Censuræ in Ecclesia Catholica cujus adminiculo Pastores sibi invicem sunt lux, atque incentivum ad virtutem, ut in omnibus bonis mutuo catechisentur, ac informentur. Quare frequens tum generalium cum privatarum Synodorum institutio, non modo *ad Bene esse*, ut loquuntur, sed etiam absolute & simpliciter necessaria est ad Ecclesiam melius & sanctius regendam, Canone quinto Synodi Nicænæ, & tertio capitulo quarti Concilii Toletani. Deinde in proœmio undecimi Toletani nominatim docetur; *Subtracta luce Conciliorum, integro decennio, matrem omnium errorum ignorantiam otiosas mentes occupasse, adeo ut Babylonicæ confusionis olla succensa purpuratæ meretricis incrementa Sacerdotes sequerentur, quia Ecclesiastici conventus non aderat disciplina, nec erat qui errantium corrigeret partes: cum sermo divinus haberetur extorris.* Adnecte trigesi-

trigesimam nonam sessionem Constantiensis Concilii: *Frequens Generalium Conciliorum celebratio agri Dominici cultura est præcipua; quæ vepres, spinas, & tribulos hæresium, & errorum, & schismatum exstirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus præmissa disseminat; atque fovet*, &c. Huc & accurrit sententia Gersonii ad calcem Sermonis *pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna. Quanta demum erit salutaris utilitas ex frequentiori celebratione Conciliorum perspicuum est*, ait: *Quis itaque nescit, quod inde Superiorum peccata minus vigebunt, dum minorem sibi sentient esse peccandi licentiam, vel impunitatis spem? dum scilicet reddituros se rationem coram judice suo generali Concilio prospicient. Sunt quippe nonnulli qui si Deum non timent, homines tamen reverentur. Denique si non sit assidue Lex viva dirigens, regens, & actuans Leges mortuas ad effectum, ipsæ non satis proficiunt. Unde & Philosophus tradere satagens medium virtutis, non potuit illud efficacius invenire, quam ut diceret, prout Sapiens judicabit.* Quæ sunt argumento, sapientiam in Concilio Generali habitare, & confirmatur Axiomate XXI. Hercle plura oculi quam unicus oculus vident: certumque est multos non tam facile quam unum & solum falli aut fallere posse. Et quemadmodum Ecclesia sua essentiali notione multorum collectionem etiam in ratione regiminis significat: Ita Christus per Spiritum Sanctum omnia in omnibus varie ac differenter operatur, ne ulli Pastorum aut membrorum Ecclesiæ, occasionem torpendi, aut sese negligendi præbeat: quod certo accideret, si uni & soli Petro regimen pure Monarchicum detulisset: idque Apostolus cap. 12. ad Romanos, & prioris ad Corinthios demonstrat, videlicet *Deum per Spiritum Sanctum omnia in omnibus operari.* Quæ forma divinæ gubernationis, postquam absoluto Papæ imperio absorpta est, Curia Romana sic in omnium ordinariorum Jura invasit, ut vix eis hodie liberam facultatem cereos & candelas in Ecclesiis suis libere accendendi, aut extinguendi reliquerit tot novorum ordinum extraordinariis, & minime necessariis missionibus: quæ necessarias propagines à Christo institutas opprimunt, atque ordinem Hierarchicum pene abrogant: deinde omnibus Pastoribus ansam torpendi, sese penitus negligendi, ac dedendi voluptatibus præbent.

Hercle quidem cum solo Lumine naturali perspectum & exploratum sit, cunctos ordines Religiosorum, Carthusianos, Capucinos, atque ipsosmet Jesuitas, quamquam absoluto dominatui sui *Generalis* subjiciantur, crebras & solennes habere congregationes, ut suum sodalitium conservent, adaugeant, exaltent. Prodigio simile est, Bellarminum lib. priore de Conciliis cap. 9. scribere, *celebrationem Conciliorum non simpliciter necessariam, sed* tantum ad Bene esse, *ut Leges suavius totis Ecclesiæ à Romano Pontifice præscribantur.*

Quæ ejus assertio cum iis pugnat quæ cap. 11. ejusdem libri asserit, puta *Concilium esse medium ordinarium, & necessarium ad obtinendam assistentiam Spiritus Sancti*, &c. Enimvero Dominus soli Aristocratico Ecclesiæ Concilio *Donum infallibilitatis* pollicetur, quia est in solidum Cathedræ Christi particeps, Axiomate XVI. & XVIII. Itaque hoc genus Concilii Aristocratici longè differt ab Oligarchico, & privato Papæ Concilio, quod humanæ est institutionis ad voluntatem Papæ mutabilis. Potest enim Pontifex quoscumque vult doctores aut homines ad hoc privatum Concilium admittere. Cave autem putes, me nomine Oligarchici Concilii *Collegium Cardinalium* intelligere, cum, teste S. Bernardo lib. 4. de Consideratione ad Eugenium cap. 5. Conventus Cardinalium sit velut Epitome & Breviarium generalis Concilii: si modò orbem judicaturi, de toto orbe *proportionatim* assumantur: non autem ex unica ferme provincia aut natione Italica, ut jam observavi. Profecto quod omnes tangit, ab omnibus debet comprobari. Aliàs monui, Collegium Cardinalium institutum post consuetudinem Synodorum celebrandarum abrogatam: quo etiam tempore Papa suam Cancellariam Romæ, Episcopi verò in suis diœcesibus Officiales, & Curias Episcopales ad instar Principum seculi erexerunt. Hic ego iterum communem experientiam meæ sententiæ obsidem ac vindicem interpello, mores & disciplinam Ecclesiasticam non aliunde in dies singulos magis ac magis corrumpi, Hæreses & Schismata bacchari, Atheismum, & Diabolicum imperium magna facere incrementa, simultates, & bella inter Christianos Principes, diversasque nationes foveri & increbrescere, Ecclesiam denique Catholicam, quæ per universum orbem terrarum liberrimè diffundi vellet, non aliam ob causam sensim, violenter tamen ad paucos redigi quam ex canonica Synodorum libertate ac celebratione intermissa, & manifestissima Juris communionis, sacrarum electionum, & Aristocratici regiminis oppressione. Qua ex re efficitur, ut qui curam habere debent gregis Domini, non jam oves ut Christi pascant, sed ut proprias tanquam Domini & Monarchæ absoluti deglubant, & lanient. Sanè morum bonorum & disciplinæ tabes istuc evasit, ut in Christum, & Ecclesiam ejus sponsam valde injurii & crudeles sint, qui istam pestem dissimulant, aut charitate atque unitate servata non eam vituperant: quando certissimum est Judæos, atque alios Euangelii, & religionis Christianæ hostes magnam istinc segetem blasphemandi, & ludibrio habendi Christianos repetere. Qui autem Gersonium, & Scholam Parisiensem ideo erroris, & schismatis insimulant, quod Conciliorum auctoritatem absolutæ infallibili Monarchiæ præponant, clarè indicant, quonam Spiritu ducantur, & quam bene de hoc fidei articulo sentiant, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem:* quia impossibile est corruptissimos hominum & præsertim Ecclesiasticorum

mores,

mores, ac languentem, & afflictiſſimam SS. communionem alia ratione quam frequenti Synodorum celebratione ſanari.

Verum Æneas Sylvius poſtquam Cardinalis Senenſis evaſit, librum de Germanorum moribus ad Moguntinenſis Eccleſiæ Cancellarium ſcripſit, quo omnes animi nervos intendit, ut ea quæ privatus vere ſcripſerat de auctoritate Concilii *ſupra Papam* in Baſileenſi Concilio, convellat, & demonſtret, Concilia generalia nullo modo eſſe neceſſaria, *& cogi non poſſe ſine magna Eccleſiæ univerſalis novitate, ſine gravamine, ſine tumultu, ſine vexatione: & ſi ſæpius celebrentur, neceſſe eſſe eorum auctoritatem vileſcere nimio uſu.* Quam opinionem alii confirmare nituntur B. Gregorii Nazianzeni teſtimonio, Epiſtola quadrageſima ſecunda ad Procopium, *ubi narrat, ſe omnes conventus Epiſcoporum fugere, quia nullius unquam Synodi bonum atque felicem exitum vidiſſet.* Quæ rationum momenta, ſi Rationes appellandæ ſunt, facile eſt propulſare: & primum Cardinali Senenſi oppono, longè aliud eſſe quidpiam novum videri Curiæ Romanæ, & Eccleſiæ Catholicæ: quoniam illa omnium novitatum, & gravaminum inventrix, & architecta eſt: ac deſuetudine Conciliorum habendorum, quam miro artificio invexit, & fovit, omnium quidem Epiſcoporum, & Regum jura ſibi, contra Jus Divinum & Naturale, uſurpavit. Hæc autem Jura Lege Divina, & Naturali conſtituta, velle Synodorum conventibus Jure poſtliminii recuperare, certe hoc non eſt aliquo gravamine Eccleſiam afflictare, ſed Chriſtianam Rempublicam Tyrannide oppreſſam in eam libertatem aſſerere, quæ eidem Jure Divino, Naturali, & Canonico debetur. Secundò pura eſt quæſtio facti, Concilia haberi non poſſe abſque gravamine, tumultu, & vexatione: & ipſemet Æneas Sylvius, qui privatus, pauper, & ſimplex Canonicus Tridentinæ Eccleſiæ Hiſtoriam Baſileenſis Synodi fideliter ſcripſit, ut ipſemet factus Papa teſtatur, clare demonſtrat Curiam Romanam eſſe auctorem ejuſmodi tumultuum, vexationum, & gravaminum: & priuſquam abſolutæ Monarchiæ placita inoleviſſent, expeditum fuiſſe naſcentes controverſias in generalibus Conciliis Sanctorum communione ſuaviter inita definire: ſecus autem accidiſſe poſtquam unus & ſolus Papa, ſibi plus auctoritatis arrogavit quam ipſimet univerſali Eccleſiæ Jure divino conceſſum eſt, quoniam ſola Poteſtate miniſteriali Spirituali prædita eſt Eccleſia quam abſolutus Monarcha conculcat. Tertio cauſari, generalia Concilia vileſcere, ſi frequententur, perinde eſt ac ſi quis urgeret Sacramenta, & alia bona opera nemini ſæpius eſſe frequentanda, ne vileſcant: ſcitumque eſt Patres Eccleſiæ primitivæ non ob eam rem ſuperſediſſe, à Synodi Chalcedonenſis celebratione, quia decem circiter annis antea Synodus prima Epheſina habita fuiſſet. Quarto Gregorius Nazianzenus *Quæſtionem facti*, non *quæſtionem Juris* perſtringit, & juſtiſſimam habuit

habuit causam hæc lamentandi, propterea quod vixit sub imperio Constantii Imperatoris qui Arrianis favebat: Imperator autem frequentes indicebat Synodos in gratiam Arrianorum, quibus Synodis Orthodoxos subscribere cogebat, atque restitantes ab Occidente in Orientem transportabat: & hinc illæ non modò Nazianzeni, verumetiam S. Hilarii atque omnium piissimorum lacrymæ. Quinto cum vir sanctissimus *animæ securitatem in sola quiete, & solitudine positam existimaret*, ac ætatis ingravescentis onere multum vexaretur, vacationem ab Episcopatu Constantinopolitano magni beneficii loco ab Imperatore Theodosio magno flagitavit, & impetravit. Quocirca ei grave & molestum erat Constantinopolim, unde paulò ante decesserat, iterato proficisci ad Synodum instituendam. Hæc enim prima causa est quam profert in illa Epistola ad Procopium. Deinde has alias recenset: *Ego*, inquit, *si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum, fausumque vidi, & quod depulsionem malorum potius quam accessionem, & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates, ne ullis quidem verbis explicari queant: citiusque aliquis in culpam vocabitur, dum de aliena fert judicium, quam ut aliorum perversitatem comprimat. Quocirca egomet me collegi, animæque securitatem in sola quiete, solitudineque mihi positam judicavi*, &c. His ergo positis, respondeo ea quæ Nazianzenus memorat, ad Quæstionem facti, ut jam dixi, attinere, atque vitia hominum, non Conciliorum prodere. Siquidem viro mansuetissimi ingenii permolestum erat, multos videre Episcopos propriam quærentes gloriam in Conciliis, atque nimio vincendi studio certantes, ut sæpe evenit in Conventibus: ubi quò quisque audacior, eò & pacificis viris molestior. Non absimili de causa Severus Sulpicius etiam narrat, S. Martinum à conventibus Ecclesiasticorum abstinuisse post damnatos Priscillianistas ab Imperatore suasu aliquot Episcoporum Hispaniæ nimia vincendi contentione altercantium. Porrò ejusmodi contentiones in Synodis fervere quid mirum? quando inter duodecim Apostolos unus Judas extiterit, quem ad hoc Sacrosanctum Collegium Dominus evocasse videtur, ut isthoc exemplo posteritati caveret, & consuleret, ne quis posthac tam gravate ferret, si in sanctissimis etiam Conventibus aliquos nefarios exultare, & regnare videret. Hoc enim Deus ad bonorum exercitationem, & superbiam hominum domandam fieri patitur; ne quis gloriari possit, sua opera Hæreses in Conciliis debellatas. Nam illud Apostoli semper animo fixum habere debemus: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. versu 7.

AXIO-

AXIOMA XXI.

De Concilii Oecumenici natura, & definitione, quod Ecclesiam Catholicam repræsentat, & immediate auctoritatem habet à Christo, non à Papa.

XXVIII. CONcilium Oecumenicum, est legitima, & publica congregatio Sacerdotum, in nomine Christi ex omnibus Ecclesiis particularibus collecta, ad liberè dicendam sententiam de rebus ad fidem, mores, & disciplinam Ecclesiasticam spectantibus: nullo hominum excluso qui audiri velit. Quare Ecclesiam Catholicam maximè propriè repræsentat, & immediatè auctoritatem habet à Christo.

Quæ definitio partim ab iis pendet quæ Axiomate XVI. disputavimus, partim ab iis quæ infra enodabuntur. Et primò *Concilium* vocatur *publica, & legitima congregatio Sacerdotum*, &c. Quod est intelligendum de generibus singulorum, non de singulis generum: quia omnino impossibile esset totum ordinem Ecclesiasticum per orbem terrarum dispersum cogere in unum locum. Nulla enim urbs, aut locus illos capere, aut alere posset: deinde omnia divina officia cum administratione Sacramentorum ubique terrarum intermitti oporteret. At vero promptum, & expeditum est, ex singulis ordinibus aut generibus Ecclesiasticorum aliquos ex singulis provinciis & nationibus Christianis deligere. Porrò dixi, hanc congregationem esse Sacerdotum, quia de Jure soli Episcopi, & Presbyteri curam habentes animarum cum eorum Diaconis sive ministris primitus Conciliis generalibus intererant: ratio est, quia Hierarchicum ordinem componunt, & Apostolis atque discipulis Domini successerunt, Axiomate XXXIV. Verum progressu temporis ex consuetudine etiam Abbates admissi sunt in Conciliis. Cum enim circa nonum seculum post partum virginis Monachi Ordinis S. Benedicti eruditione fulgerent, & ad erudiendam juventutem scholas per totam Europam referâssent, illorum Abbatibus propter famam eruditionis & prudentiæ, tum demum singulari Privilegio est concessum ut Synodis interessent: maxime vero postquam ex eodem Ordine plurimi ad Petri Cathedram sunt evecti. Tertiò nominatim additum, hanc congregationem fieri debere in nomine Christi, id est, secundum Leges à Christo in ordinanda, & constituenda politia Ecclesiastica sancitas: Leges dico Primatus, aut status Monarchici, & regiminis Aristocratici Ecclesiæ, de quibus passim in hoc Opere. At de Potestate Papæ in convocandis Conciliis, Axiomate XXV. & XXX. Quarto subjunximus *ad libere dicendam sententiam de rebus ad fidem, mores, aut disciplinam Ecclesiasticam spectantibus*: quia de

his ſolum rebus agitur in Synodis: quanta autem cum libertate agi debeant, dicetur ſequenti proloquio. Quinto Synodum univerſalem Eccleſiam Catholicam maximè proprie repræſentare aſſerimus: quia, ut docet Gerſonius de Poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione 4. *poteſtas Eccleſiaſtica* non eſt in Eccleſia ſparſim conſiderata *niſi materialiter, & potentialiter. Unde unio & Conventus qui fit in generali Concilio, ei dat formam, ut in aliis Conventibus.* Quod eſt intelligendum de ſuprema, & infallibili Poteſtate decernendi, & Canones univerſam Eccleſiam obligantes condendi: idque illuſtrari poteſt exemplo Parlamenti, in quo nulli Præſides, aut Conſiliarii ſeparatim, & diviſim à toto corpore pollent auctoritate aliquid ſtatuendi, quoniam Rex Franciæ illis collectim, non diſtributim Juſtitiam exercendam permittit. Hercle Eccleſia ſicut Parlamentum in ſua eſſentiali notione plurium Collectionem, & Communionem ſententiarum ſignificat: certumque eſt, Dominum Sacerdotium ſuum Eccleſiæ credidiſſe ut Ariſtocraticè diſpenſaretur, Axiomate XIV. & XVI. Quare idem Sacerdotium quod in ſingulis Epiſcopis, & Presbyteris partialiter & inadæquate, diſtributim, & quoad uſum, atque exercitium tantummodo habitabat, quamprimum Eccleſia in Synodum generalem confluit, tum temporis in unum juſtum corpus, & congregationem ſuis abſolutam numeris coaleſcit: In qua congregatione, Poteſtas Eccleſiaſtica quanta quanta eſſe poteſt *totaliter, adæquate, eminenter, architectonice, immediate*, & quaſi per dominium inhabitat: propterea quod ejuſmodi congregatio Eccleſiam Catholicam perfectiſſime repræſentat. Quocirca auctoritas, veritas, & eminentia effectus Sacerdotii Domini, atque hujus articuli fidei, *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem*, nuſpiam perfectius, & excellentius habitare & exſplendeſcere poteſt, quam in univerſali Synodo legitime congregata. Nec mirum certe, quando eſt penitus impoſſibile, Eccleſiam Catholicam alio modo quam per repræſentationem nobiliorum partium referri & exhiberi in Synodis. Quibus intelligendis plurimum confert ratio Canonis: *Audivimus 24. quæſt. prima. §. Unde non niſi congregatis in unum dictum eſt, Accipite Spiritum Sanctum: nec niſi ſuper congregatis in unum die Pentecoſtes deſcendit Spiritus Sanctus.* Et hinc manifeſtum redditur, Patres Synodi Conſtantienſis quarta & quinta ſeſſione divinitus ſtatuiſſe, *Concilium univerſale legitime congregatum, Eccleſiam Catholicam repræſentare, ac immediate habere à Chriſto auctoritatem, eique Pontificem ſubjici*, quo ad directionem & coactionem, Axiomate II. Quam conditionem noſtræ definitionis demonſtravimus à priori, Axiomate VII. VIII. XIV. XV. XVIII & XIX. Sextò poſt Cancellarium Pariſienſem lib. de Poteſtate Eccleſiaſtica, conſiderat. 12. contendimus, neminem qui doceri aut docere velit, eſſe aditu Concilii prohibendum. Quod ipſum abunde confirmatur cauſis eſſentialibus inſtitutionis Eccle-

Ecclesiæ: siquidem Dominus mittendo Apostolos, atque discipulos in mundum universum, Matthæi & Marci ultimo, eis imperat ut omnes gentes doceant, & Euangelica Luce perfundant ita ut eorum mentes illuminando, voluntatem in Christi obsequium captivent. Quare ut omnes patienter audirent, & ne cuiquam vim inferrent, illos sola Potestate ministeriali Spirituali omnium mitissima, & suavissima donavit; id quod satis inculcari non potest. Profectò antiquitus in more positum erat, ut Archidiaconi Ecclesiæ in quibus Concilia celebrabantur, illorum omnium expostulationes, & libellos supplices qui audiri vellent, in Concilio exciperent, & confestim de illis ad Synodum referrent, ut audirentur. Lege quarti Concilii Toletani Capitulum tertium. Quid referam in generalibus Conciliis Hæreticos Canonice auditos, & damnatos? idque adeo, ut quidam Monachus nomine *Polychronius* Monotheleta cum suæ fidei professione sese mortuum suscitaturum sponderet, Patres eum suæ hujus vesanæ temeritatis periculum tota Synodo præsente, & populo inspectante facere voluerint: quo illum omnesque Monotheletas suaviter ad unionem Ecclesiæ allicerent, actione decima quinta sextæ Synodi generalis. Huc & accurrit Nicolai 1. Papæ sententia, *can. ubinam legistis. dist.* 96. quo asserit; *Imperatores in Synodalibus conventibus interfuisse, quando de fide tractatum est, quæ non solum ad Clericos, verumetiam ad omnes omnino pertinet Christianos.* Quamobrem doctor Christianissimus, tractatu *de veritatibus credendis ad necessitatem salutis*, nominatim perhibet: *Quamquam judicium, & conclusiones fidei auctoritative spectent ad Prælatos, & doctores, tamen posse etiam deliberationem ad alios quam ad Theologos, & aliquando potius ad laicos quam ad multos Clericorum extendi*: idque fusius tractat lib. *de examine doctrinarum*, parte prima, considerat. Quinta, ubi asserit; *in casu doctrinali aliquando plus credendum excellenter in Sacris Scripturis erudito quam Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Euangelio quam Papæ. Si igitur ille doctor doceat veritatem aliquam in Euangelio contineri, ubi Papa nesciret vel erraret; patet cujus præferendum sit judicium.* Quæ Gersonii considerationes, multum juvantur *can.* 86. *Nolite* 11. *quæst.* 3. §. *Nam sicut sacerdos debitor est ut veritatem quam audivit à Deo, libere prædicet, ita & laicus debitor est, ut veritatem quam audivit quidem à sacerdotibus probatam in Scripturis, fiducialiter defendat.* Itaque Laici, & præsertim doctissimi Jurisconsulti, qui scientiam Legum, Canonum, Ecclesiasticæ, & secularis Historiæ callent, magnam partem in ejusmodi negotiis habere possunt: prudenterque admodum faciunt Christiani Principes, dum una cum Ecclesiasticis sui Regni aliquot doctissimos Jurisconsultos pro suis Oratoribus, & Procuratoribus mittunt ad Concilia, quatenus dent operam ne quid Respublica Christiana detrimenti capiat, & contra mores avitos, ac disciplinam Apostolicam

licam aliquid committatur. Etsi enim ad solos Ecclesiasticos velut Sacerdotii Christi consortes, & clave Jurisdictionis præditos spectet quæstionem Juris definire, & Canones condere; nihilominus quia *Clavus scientiæ, & discretionis*, ad omnes judicio naturali, prudentia, & doctrina sufficienter instructos pertinet: relinquitur hos posse optimè judicare, utrum aliquid Sacris Scripturis & Canonibus consentiat nec ne: ac proinde alios quam Ecclesiasticos posse habere vocem deliberativam in Synodis. Consule Gersonium de Potestate Ecclesiastica, consideratione 12. sub finem.

Verum quia Sectarii contendunt, Concilia generalia esse erroribus obnoxia, & in exemplum Synodum Nicænam objiciunt, quasi Anabaptismum Canone 19. auctoraſſet: Contra rependas, ibidem de Paulianistarum baptismo tractari, qui quidem nequaquam credebant in sanctissimam Trinitatem. Unde cum ex Christi præcepto & Ecclesiæ proposito minimè conferrent Baptismum, certè illi qui ex Hæresi Paulianistarum ad Ecclesiæ Catholicæ gremium emergebant, merito in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizabantur. Adi primam Epistolam S. Basilii ad Amphilochium can. 47. & Gratianum *prima, quæst. 1. can. 53. Paulianistæ.*

AXIOMA XXII.

Libertatem ferendi suffragii esse conditionem essentialem ad celebrationem Synodorum penitus necessariam: & de Legum Politicarum, & Sanctionum Ecclesiasticarum differentia: porro Catholicum consensum omnium Ecclesiarum, causam esse formalem obligandi Christianos ad observationem decretorum Synodalium: & de tribus indubitatis fidei regulis.

XXIX. CUm Dominus noster Ecclesiam Sponsam Lege regia & perfectæ libertatis, id est, Potestate ministeriali Spirituali omnium suavissima, & liberrima voluerit gubernari; certumque sit, Communionem Sanctorum nec cogi, nec Monarchice imperari posse: equidem in celebrandis Synodis, & constituendis Sanctionibus Ecclesiasticis, libertas dicendæ sententiæ sic necessaria est, ut sit conditio sine qua Spiritus Sanctus Rector Ecclesiæ, qui suaviter agit nobiscum, conventibus Ecclesiasticis non præest. Nam ut ait Apostolus cap. 3. posterioris ad Corinthios versu 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Omnes enim factiones & mundanas artes excludit: & Matthæi 18. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis est.* Hinc autem patet differentia imperii Politici, & ministerii Ecclesiastici de quo B. Chry-

sostomus

ſoſtomus homilia ſecunda in Epiſtolam Pauli ad Titum, in hæc verba capitis primi: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem, non perculſorem: Nam is qui exteriore ac mundana poteſtate ſubnixus eſt, quoniam lege imperat, ac neceſſariò illi obtemperatur*, inquit Chryſoſtomus, *merito ſæpius contra ſubjectorum voluntatem, atque ſententiam dominatur. Porrò is qui volentibus atque hortantibus, & gratias agentibus præeſſe vult, ſi ea lege præſumit agere, ut conſilio proprio tantum omnia faciat, quaſi nemini rationem redditurus: Tyrannice potius quam populariter hujuſmodi exercet officium.* Vides ergo Principes Politicos, quia gladio armantur, Lege imperare, id eſt, abſolute: Contra Epiſcopos, quoniam ſola poteſtate miniſteriali donantur, populariter, hoc eſt, cum omnium conſenſu, & benevolentia præeſſe debere: & ita claret, quo intervallo Leges Principum à Canonibus aut Sanctionibus Eccleſiaſticis diſtent. Hic enim conſenſus omnium Eccleſiarum deſideratur, ut communio Sanctorum ſuaviter conſtituatur. Porrò non eſt conſenſus & communio Sanctorum, niſi ubi plena, explicita, & perfecta habetur libertas. Quapropter ſi vi aut minis, vel aliis ſtudiis aut fabricis, & prenſationibus immoderatis extorqueatur, vel gratia, pecunia, aut pretio eliciatur, vel rebus pecunia æſtimabilibus redimatur, atque ſuffragia minime ponderentur, & numerentur, profecto non eſt conſenſus ſed violentia; & Ariſtocratici regiminis, ac libertatis Eccleſiaſticæ manifeſta corruptio. Neque vero quiſquam mirari debet, Dominum ita liberum deſiderare conſenſum, quando eſt velut cauſa formalis qua decreta Synodalia vim obligandi ſortiantur, & regula certiſſima ea probandi vel improbandi quæ à Prælatis proponuntur, aut ſtatuuntur. Hincque manat Eccleſiæ unitas & charitas, à qua ejuſdem auctoritatem æſtimari voluit Chriſtus Joan. 17. *Rogo, Pater, ut omnes unum ſint, & ut ſint conſummati in unum*, ut cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti. Auguſtinus contra Epiſtolam fundamentalem Manichæorum cap. 5. *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*, id eſt, conſenſus Catholicus. Idem *diſt.* 8. *can. Quæ contra mores.* §. *Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* Et *diſt.* 19. *can. In canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quam plurium auctoritatem ſequatur ſolertiſſimus indagator: inter quas ſanè illæ ſunt quæ Apoſtolicas ſedes habere, & accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioreſque accipiunt, eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Vincentius Lirinenſis: *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt enim vere, proprieque Catholicum:*

quod ipſa vis nominiſque ratio declarat, quæ omnia vere univerſaliter comprehendit. B. Gregorius *diſt. 15. can. Sicut ſancti Euangelii*, explicate ait, *ſe quatuor prima Concilia generalia, velut quatuor Euangelia recipere, & venerari, quia univerſali conſenſu Eccleſiæ ſunt ſtabilita.* Quibus ex teſtimoniis exploratum redditur, Eccleſiam canone, non lege, aut abſoluta Poteſtate gubernari. Leges enim abſolutè feruntur à Principibus politicis; Canones vero communi conſenſu Eccleſiæ ſciſcuntur. Atque S. Auguſtinus docet, ipſammet ſacram Scripturam, ſicut & omnia alia dogmata Catholica, vim & robur habere non ab unius Papæ aut Eccleſiæ Romanæ, ut privata eſt Eccleſia, aut dioeceſis auctoritate, vel imperio, ſed ab univerſali omnium Eccleſiarum Catholicarum conſenſu. Quod autem B. Auguſtinus nonnullos ex ſacris libris Scripturarum memorat à pluribus, & alios à paucioribus Eccleſiis Catholicis probari aut improbari, hoc capi neceſſe eſt de quibuſdam libris, qui eo ſeculo non ab omnibus colebantur pro Canonicis: cujuſmodi ſunt *Macchabæorum* libri, *Tobiæ*, *Apocalypſis*, &c. quos deinceps Eccleſia Catholica Canonicis accenſuit.

Hic obiter monendi Theologiæ ſtudioſi, tres eſſe fidei Catholicæ regulas indubitatas ſi conjunctim ſumantur, *Sacram Scripturam* nimirum, *conſenſum Catholicum & traditionem Apoſtolicam, quâ id tenemus quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum & ſervatum eſt.* Lege Vincentii Lirinenſis Commonitorium, & epiſtolam 118. Auguſtini ad Januarium: atque obſerva, Papæ infallibilitatem pro his regulis fidei hodiè per vim obtrudi.

Præterea iſtinc colligimus, omnia Concilia quæ juſta libertate caruerunt, ut *Sirmienſe*, *Ariminenſe*, *Mediolanenſe*, *Epheſinum ſecundum*, & ſimilia ex albo Conciliorum abradi debere: continuoque Bellarminum lib. ſecundo de Conciliis, capite 16. ludificari à non cauſa pro cauſa, dum perhibet, ejuſmodi Concilia propterea erraſſe, quod ea Romanus Pontifex nequaquam auctoritate ſua probarit. Contra autem ſola cauſa erroris fuit, quod Imperator *Conſtantinus* Arrianis faveret; & vi majore iſtiuſmodi conciliabula inſtitui, eisque Patres ſubſcribere coëgiſſet, ac ſibi reſtitantes exilio multaret. Dioſcorus autem in ſecunda Synodo Epheſina Patres in chartis albis ſubſcribere voluit: quibus chartis quicquid lubitum erat contra Flavianum quem occidit, inſcribebat. Quod autem Bellarminus objicit, duas Synodos Conſtantinopolitanas etiam erraſſe: meminiſſe debuerat, ſe lib. 2. de Imaginibus, cap. 12. fateri, has duas *Synodos* fuiſſe *particulares*, non *œcumenicas:* atque Scholam Pariſienſem ſoli Eccleſiæ, & *generali*, non *particulari* Concilio auctoritatem infallibilem decernendi adſcribere. Procul dubio nunquam auditum, Concilia quæ juſta & neceſſaria libertate caruerunt, ullum adepta effectum laudabilem: contrà quam liberis Conciliis uſu evenit, quæ licet magnis aliquando motibus animorum æſtuarint, & Patres inter ſeſe graviter commiſſi ſint, quemadmodum Nicæno,

&

& Epheſino primo accidit; verumtamen quia in magna & neceſſaria libertate celebrabantur, Deus felicem ac ſalutarem exitum nanciſci, & ab omnibus tandem recipi voluit.

Ad libertatem Conciliorum ſpectat, ut liberum ſit omnibus Epiſcopis, & Patribus proponere, quicquid è Republica Chriſtiana, & bono Eccleſiæ videtur: & ita olim erat conſuetum; ſed abſoluta infallibilis Monarchia, tandem conſequuta eſt, ut ſolis Papæ legatis præſidibus Concilii fas eſſet agenda in Concilio proponere, colore quidem impediendæ confuſionis, ſed revera, ut omnis occaſio liberius diſputandi de neceſſitate Eccleſiæ reformandæ *in capite & in membris*, Patribus Concilii tolleretur: & hæ ſunt artes eximiæ quibus Curia Romana ſuam abſolutam fulcit Monarchiam, ne dicam Tyrannidem.

Verùm ad perfectam Legum & Canonum diſtinctionem ſupereſt adhuc difficultas. Quando enim ipſomet Gratiano auctore, *diſtinct. 4. can. In iſtis. §. Leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur verò, cum moribus utentium approbantur:* inde reſultat, actualem obligationem Legum pendere à receptione qua tranſeunt in mores populi: & continuo Canones etiam, quamquam communi conſenſu Eccleſiæ conditos, hoc pariter cum Legibus Principum habere commune, ut non obligent, antequam recipiantur, atque in mores mittantur. Reſpondeo, Leges à ſolo Principe tanquam auctoritatem habente inſtitui, & promulgari, atque etiam populo renitente ſæpe in uſum mitti, neceſſitate ſtatus Reipublicæ ita exigente, ut experientia indicat: quoniam Princeps non tenetur arcana ſui imperii evulgare. Unde Chryſoſtomus ſupra laudatus ait, *Principem Lege imperare, eique neceſſario obtemperari*; &c. Contra autem Canones univerſalem Eccleſiam obligantes; quia vim obligandi ab univerſali conſenſu Patrum ſortiuntur, certè poſtquam conſenſus Catholicus eſt canonice in generalibus Conciliis initus, efficit quidem ut decreta Conciliorum ſint in proxima potentia ut recipiantur: neque deinceps opus ſit ut Eccleſia iterum de illis cogноſcat, ſed duntaxat ut à Magiſtratu Politico in rem judicatam mittantur, quo ſecundum illa decreta, & canones Judicia fiant. Quod ſi Pontifex aliquas Conſtitutiones aut Bullas edat quæ de Canonum receptorum diſciplinis nequaquam eliciantur, cum more Principum ſeculi non abſolutè & lege imperet, cauſa formalis obligandi à conſenſu & approbatione Eccleſiarum manat, quas invitas, inauditas, aut reſtitantes obligare nequit.

AXIOMA XXIII.

Concilium generale poſſe omnes actus Juriſdictionis quos Papa exercet, amplius, eminentius, *& quaſi per dominium gerere: ſola verbi divini prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione excepta.*

Decreta

Decreta Conciliorum ejusdem omninò esse auctoritatis atque ipsummet Concilium congregatum: Quod in Quæstione facti, *non in* Quæstione Juris *errare potest.*

XXX. QUandoquidem Dominus noster *prius*, *immediatius*, ac *essentialius* Sacerdotium suum cum potestate clavium toti Ecclesię quam Petro contulit: *Concilium* autem *universale* Ecclesiam repræsentat, Axiomate XXI. profectò *generalis Synodus* cunctos actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ quos Papa administrat, *præstantius*, *eminentius*, ac *velut per supremum dominium* capessit, atque exercet, si modo Sacramentorum dispensationem, verbi divini prædicationem, cum Juris Divini, Naturalis, & Canonici exequutione excipias: quia hæc non tam appositè à Collegio, & communitate quam ab uno, & solo homine præstari queunt. Nam juxta commune effatum Philosophiæ; *istiusmodi actiones propriæ sunt suppositorum singularium*, non *suppositorum Juris*, qualia sunt Synodus, Collegium, Capitulum, Communitas, &c. Vide Axioma XI. & Cardinalem Alliacenum de Ecclesiæ auctoritate cap. ultimo, Gersonium de potestate Ecclesiastica, consideratione IV. & XI. Almarium de Ecclesiæ auctoritate cap. 6. & de Potestate Ecclesiastica & Laica quæst. 1. cap. 15. circa medium.

XXXI. Cæterùm quando Lex & Judex nihil differunt nisi tanquam inanimatum & animatum, teste Aristotele 5. Ethicorum ad Nicomachum cap. 4. oportet quidem Canones Conciliorum ejusdem esse penitus auctoritatis ac ipsummet Concilium congregatum. Unde sicut pacta conventa, antequam condantur, libera sunt, peracta verò necessaria evadunt: ita stante Concilio Pontifex, & cæteri Episcopi sunt Architecti Canonum quos liberè condunt: postquam verò sunt conditi, illis devinciuntur: & eam ob causam Gratianus in procœmio vigesimæ primæ distinctionis, nominatim perhibet, *Pontificem & Episcopos esse Ministros canonum:* quia Canones Synodi auctoritatem, sicut Senatusconsulta ipsius Parlamenti potestatem referunt, & consignant, atque auctoritatem habent totius, si ad Prælatos distributim & seorsim captos comparentur. Idque nisi ita haberet, frustra Synodi ad canones sanciendos celebrarentur. Quamobrem S. Gregorius dicebat, *se pari honore quatuor prima Concilia quam quatuor Euangelia venerari. dist. 15. can. Sicut:* & auctore Augustino epistola 19. ad Hieronymum: *Apostolus constrinxit Petrum liberè asserere quod cum cæteris Apostolis in Synodo Hierosolymitana decreverat: eique in faciem restitit propterea quod ad veritatem Euangelii non rectè ambularet:* id est, Canonem Hierosolymitanum de legalium observatione violaret. Neque B. Petrus Paulo sibi in faciem, hoc est, apertè, & palam omnibus obsistenti respondit, aut prætexuit, se *plenitudine Potestatis* donatum à Christo, deque canonibus Conciliorum

rum posse absolutè dispensare, *ac totum Jus Canonicum aut partem Juris Canonici abrogare, & aliud condere*, ut hodie fabulantur: sed confestim tantæ redargutioni ex debito officio, & necessitate obtemperavit: quia se ministrum Euangelii, & Ecclesiæ non absolutum Monarcham esse apprime noverat. Equidem Gersonius *correptionem* hanc merito appellationi ad Concilium æquipollere *ait, sermone habito in die circumcisionis Domini circa medium, & Tractatu quomodo, & an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare seu ejus judicium declinare.* Nisi enim B. Petrus Paulo rectè monenti obtemperâsset, tum demum Ecclesia in Synodum congregata hanc diremisset controversiam, ait Gersonius, quod certissimum est.

XXXII. Porro, constans est Theologorum sententia; quæstionem Juris genuinum esse Objectum, & velut sphæram activitatis, cognitionis, & facultatis Prælatorum ac Theologorum, ut eam definiant, & evolvant: atque Concilium generale, nedum singulares & privatos homines errare posse in Quæstionibus facti. Ratio est, quoniam nullum est factum nisi ex Sacra Scriptura, aut fidei Articulis evidenter & necessariò eliciatur, quod fide Catholica credi necesse sit. Quocirca absque summa necessitate Quæstiones facti; ut fide Catholica credantur, nunquam proponi debent populo, sicut non mos erat Patribus antiquis ea proponere ex unius Episcopi Romani judicio & definitione, ut ab aliquot seculis solenne ac consuetum est; sed tantum pio hominum arbitrio relinquere. Quapropter S. Thomas, qui omnium primus de veritate & fide Sanctorum Canonizationi debita velitationem instituit, *in Quodlibetis suis octavo Quodlibeto, articulo ultimo*, asserit, *Canonizationem Sanctorum esse medium inter fallibile, & infallibile Judicium Ecclesiæ, & piè credendum, quod nec in his etiam Judicium Ecclesiæ errare possit.* Cui etiam Melchior Canus Dominicanus lib. 5. de Locis cap. 5. versus finem assentitur: *Præterea*, inquit, *in Canonizatione Sanctorum (sic enim nostri vocant) fidem Ecclesiæ detrahere sine fidei discrimine possumus. Compertum est autem, eam ad mores spectare. Errare igitur Ecclesia in morum Judicio potest. Illud autem vero Thomæ & Antonini testimonio comprobatur, qui non ajunt certò, & firmiter, sed piè credendum esse, Ecclesiam in re hujusmodi non errare. Nam quod absolutè possit, illa ratio confirmat, quod in id genus judiciis Ecclesia hominum eorum testimoniis innitatur qui & fallere, & falli possunt.* Et aliquantò pòst: *Ecclesiæ judicia quæ ab incertis hominum testimoniis proficiscuntur infirma sunt ad certam & exploratam fidem faciendam, quale est illud quo Sanctum aliquem Divorum Catalogo adscribendum censent.* Bellarminus 4. de Romano Pontifice cap. 2. observat, *omnes Catholicos fateri, Pontificem etiam ut Pontificem & cum suo cœtu consiliariorum, vel cum generali Concilio errare posse* in controversiis facti particularibus, *quæ ex informatione testium pendent.* Quarum informationum,

mationum, & teſtium qui pro Sanctorum Canonizatione inſtruuntur, eadem penitus eſt ratio atque illarum quæ in tribunalibus Judiciorum ſecularium eduntur: Hoc tantum excepto, quod Politici Magiſtratus jubeant Lege Cornelia teſtes prenſatos non modò recuſari, verumetiam graviſſime puniri. Contra quam fit in Sanctorum Canonizatione, ubi facillima eſt ſuppoſitio, atque illuſio teſtium præſertim in dicenda ſententia de *Miraculis*, & *morbis curatis*: quare neſcio, an ulla alia dari queat fraudibus, dolis, & impoſturis magis obnoxia: quoniam ut docet Ariſtoteles 1. Metaphyſicæ, *& artis eſt*, *& fortunæ ſanare*: deinde pueri, puellæ, fœminæ, vulgus ignarum ſervum pecus, atque homines obnoxii, ut plurimum ab illis ipſis teſtes exhibentur, quorum privatim maximè intereſt novos Sanctos, quaſi Deos tutelares, & patronos Ordinis atque ſodalitii ſui nuper inſtituti habere, ad *donaria & eleemoſynas populi* captandas: cujus rei teſtem illorum ipſorum conſcientiam interpello coram Deo. Et nemo neſcit in tanto ambitu, corruptione, & hypocriſi hujus ſeculi, quanta cum factione, & prenſationibus, ejuſmodi *Canonizationes* procurentur & flagitentur: idque adeò ut illi mare atque aridam ea de cauſa circumeant, Regum & Magnatum ſeculi gratiam, ſtudia, opes, & commendationes ardentiſſimè aucupentur, atque impendant in Curia Romana, cujus etiam res privatim agitur: potiſſimum verò Papæ infallibilitas: de qua novi Ordines aliquot ſeculis tanquam pro aris & focis, quia hoc ad eorum compendium ſpectabat, decertarunt. Quid dicere attinet jam inter populum increbuiſſe primos novorum Ordinum & congregationum auctores atque fundatores in album Sanctorum referri oportere? Quo ut perveniant ejusmodi congregationum ſodales, vitas hominum conſcribunt non ad hiſtoriæ veritatem, ſed ad ſui propoſiti & commodorum effigiem, contraque expreſſum Dei mandatum, *cui eſt ſerviendum in Veritate & Juſtitia*, ut paſſim ſacra præcipit Scriptura. At quemadmodum Veritas à mendaciis abhorret; ſic Juſtitia omnes fraudes, malas artes, factiones & fabricas mundanæ ſapientiæ execratur: neque in via Euangelii *unquam facienda ſunt mala*, *ut eveniant bona*, Roman. 3. Itaque obtendant licet piarum fraudum colorem, & prætextum divini cultus, atque Religionis ampliandæ: tamen graviſſime peccant, quia, ut ait Apoſtolus, *juſta eſt damnatio illorum qui perhibent*, *licitum facere mala ut eveniant bona*: & plus ſatis ampla meſſis eſt illis bene vivendi, qui ſe in mandatis Dei rigidè exercent, neque per adinventiones humanas currunt. Quæ cauſa fuit Cancellario Pariſienſi, *Tractatu de probatione Spirituum*, circa medium, *aſſerendi* poſt Henricum de Haſſia Doctorem Sorbonicum, & Pariſienſis Eccleſiæ procancellarium, *comprimendam eſſe tot hominum Canonizationem*. Deinde poſt pauca: *Dici non poteſt*, ait, *quantum curioſitas vel cognoſcendi futura*, *& occulta*, *vel Miracula videndi*, *vel faciendi*, *fefellit plurimos*,

plurimos, & à vera religione frequenter avertit. Hinc superstitiones in populis, quæ religionem inficiunt Christianam, dum sicut olim Judæi sola Signa quærunt, dum imaginibus exhibent Latriæ cultum: dum insuper hominibus nedum Canonizatis, Scripturis quoque non authenticis plusquam sanctis in Euangelio præstant fidem. Hercle cæca æmulatio, & pruritus novitatum eò pervasit, ut postquam aliquis ex novo Ordine, vel aliqua natione est in numerum Divorum allectus, cæteri novi Ordines, & nationes sibi quoque merito novos Sanctos addici debere autument: idque ut obtineant nihil non moliuntur, & comminiscuntur. Hæc autem pro gloria Euangelii, & vitandis superstitionibus, quæ in Ecclesiæ gremio velut in horto irriguo pullulant, & fruticantur, dicere & liberè loqui cogor: eóque publica necessitas, & altum silentium Pastorum me adigit. Quoniam omnes verecundiæ fines excessimus, & palam Religionem quæstui & ludibrio exponimus, veritatem cupiditate lucri *more Balaham* oppugnantes: quod procul dubio, multis causam blasphemandi adversus Euangelium, & Atheismum profitendi attulit. Omitto dicere, homines obnoxios velle novorum Ordinum approbationem, & canonizationem SS. ad fidei Articulos redigere, mordicus contendentes, non esse aliquod factum particulare, sed generale ad Ecclesiæ Catholicæ salutem spectans, & Romanum Pontificem in ejusmodi Canonizationibus & novorum Ordinum institutionibus ideo errare nullo modo posse, quod error in totam Ecclesiam redundaret ut imaginantur. Quæ mera sunt commenta, nullis nixa rationum firmamentis; unde nullam pariter fidem merentur. Profectò tantum alicujus viri oratione nos moveri & affici par est, quantum & ipse argumentorum vi, & pondere consequitur: utque aliàs docuimus, longè aliud est de Ecclesiæ Catholicæ, atque de Papæ gestis loqui. Hercle S. Thomas, qui, ut jam dixi, omnium primus de hac re scripsit, id tantum pie, & probabiliter credendum narrat; cui pariter Antoninus, & Melchior Canus doctores Dominicani omni exceptione majores suffragantur. Neque verò pietas; sed mera est fatuitas, iis quæ absque ulla Scripturarum auctoritate, & rationum robore passim effutiuntur assentiri: Jam millies inculcavi, *Gratiam & pietatem naturæ dotes non abdicare, sed juvare, atque omnibus cumulare numeris*, Axiomat. IV. Quodque Apostolus 1. Corinth. 13. ait; *Charitatem omnia credere*, Glossæ atque omnes interpretes id explicant de *veritate erga Deum*, non *erga homines*: id est, de *veritate* quæ *legi Dei*, & *Naturæ* est penitus conformis: quia ut axiomate XIIX. probavimus, nemo tenetur auscultare doctoribus nisi conformiter legi Dei doceant, *& Deo est serviendum tantummodo, in via veritatis & justitiæ. Est enim Deus verax, & omnis homo mendax*, Roman. 3. *Quare credentem omnia quæ dicuntur ab hominibus, necesse est sæpenumero decipi*, ut Gulielmus Estius commentariis in cap. 13. prioris ad Corinthios

memorat. Quibus diligenter cônsideratis, palam fit, nihil ad pietatem, veram religionem & cultum divinum solidè procurandum, & constituendum in hominum animis esse conducibilius, quàm, cum bona venia Pastorum, *lectionem Sacrorum Bibliorum populo liberam relinquere*: quoniam sacræ Scripturæ nec fallunt nec falluntur, nihilque in eis occurrit, nisi sublime, excelsum, divinum, & Lumini naturali penitus conforme, si ad mores attendas. Quare nos sapere docent, & secure ducunt ad Christum. Contraquam multis Legendis aut Vitis SS. accidit, quæ ab aliquot seculis contra omnem non modò Veritatis regulam, sed etiam contra omnes Leges humanæ Historiæ scriptæ sunt, ut Melchior Canus lib. XI. de locis cap. 6. circa medium conqueritur. Quod autem nonnulli causantur, *periculum esse, ne ex Bibliorum lectione populus Hæreses contrahat, aut disseminet*, vanus quidem est metus: quia tempore Ecclesiæ primitivæ quo lectioni Bibliorum populus liberrime incumbebat, ut S. Chrysostomus, Hieronymus, & aliis Patres antiqui docent; *nunquam est auditum, Hæreses à populo contractas aut disseminatas: sed tantum à doctioribus, & argutioribus nimio sui amore insanientibus*, cujusmodi fuerunt Arrius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, atque alii Hæresiarchæ. Sed ut ad propositum revertar, paulò antè observavi, Quæstiones facti etiam generales, nisi ipsamet sacra Scriptura, aut fidei Articulis comprobentur, nihil ad fidem pertinere: consequenterque absque summma necessitate Ecclesiam sese illis non debere implicare. Adi Gersonium *de Examine doctrinarum, consideratione prima*, & Almainum quæst. 1. de potestate Ecclesiastica & Laica cap. 16. Quod autem Ecclesia errare non possit in Quæstionibus Juris decidendis, *si modo diligentiam necessariam adhibeat, & prudenter agat*, ut Patres Africani loquuntur Epistola ad Cœlestinum PP. claret Axiomate XIIX.

AXIOMA XXIV.

In celebrandis, Synodis, antiquos Canones quoad ejus fieri potest, revocandos potius, quam novos statuendos.

XXXIII. DUm Concilia habentur, danda præsertim opera, ut potius antiqui Canones, quantum tamen imbecillitas, & corruptela mundi veterascentis pati potest, de integro renoventur, & diligenter serventur, quam ut novi condantur: quoniam novorum Canonum constitutio plena est laboris, anxiæ solicitudinis, & difficultatis incredibilis, ac sæpe magis turbat & nocet quam juvat: hoc præsertim infelicissimo seculo, quo & factiones & quæstum pietatem putant: idque jam suo tempore notavit Gersonius Dialogo Apologetico pro actis Synodi Constantiensis, ea expertus

pertus quæ in Conſtantienſi Concilio turbata ſunt, cum de Eccleſia in *Capite* & in *Membris* emendanda, & Annatis tollendis diſputatum eſt. Quare merito affirmat, *nunquam futuram Eccleſiæ reformationem per Concilium generale, ſine præſidentia Pontificis bene affectati, prudentis ſimul & conſtantis.* Quaſi ea divino afflatu præſagiret quæ Curia Romana Baſileæ, & dehinc excivit, ne Eccleſia in *Capite* & in *Membris* reformaretur. Siquidem poſt immenſos labores, atque ærumnas integro decennio à Patribus Baſileenſibus exantlatos, ut Eccleſiam emendarent, Eugenius ſua abſoluta, & deſpotica auctoritate Synodum diſſolvit, prætextu Græcos commodius excipiendi, omneſque Patrum Baſileenſium ſcita & conatus irritos fecit. Quibus Eugenii geſtis Eccleſia Catholica ad eam quam videmus lacrymabilem deformationem eſt redacta, & ne iſtiuſmodi fabricæ poſteris innoteſcerent, nuper ex editione Romana Conciliorum generalium, *acta Synodi Baſileenſis*, velut ſpuria *expuncta* ſunt: quod ullum jus faciendi Curiam Romanam habere pernegamus. At quæ cauſa Gerſonio lacrymandi in Synodo Conſtantienſi, eadem quoque extitit Galliarum Prælatis in Tridentino Concilio, utque hæc ipſa per Cardinalem Lotharenum conceptis verbis à Patribus Tridentinis flagitarent. *Cum nudiuſtertius*, ait Cardinalis, *meam de reformationis Articulis dicerem ſententiam, præfatus ſum, etiam me valdè cupere, ut priſca illa Eccleſiaſtica reſtitueretur diſciplina: ſed cum his corruptiſſimis temporibus, & moribus intelligam, non poſſe ea quibus maximè eſt opus, protinus adhiberi remedia: Interim aſſentiri, & probare ea quæ nunc ſunt decreta: non quod judicem ſatis eſſe ad integram ægrotantis Reipublicæ Chriſtianæ curationem, ſed quod ſperem his prius levioribus fomentis adhibitis, cum graviora medicamenta, pati poterit Eccleſia, Pontifices Maximos, & maximè S S. D. noſtrum* Pium *pro ſua inſigni pietate, & prudentia diligenter curaturum, ut ea quæ deſunt, implens & efficaciora inveniens remedia in uſum veteribus jam diu abolitis revocatis Canonibus, & maximè Quatuor veterum illorum Conciliorum: quæ quantum fieri potetit obſervanda eſſe cenſeo, vel ſi expedire videatur, frequentiori Oecumenicorum Conciliorum celebratione morbum ab Eccleſia propulſans, eam ſuæ priſtinæ reſtituat ſanitati. Hanc autem meam mentem & ſententiam, tum meo, tum omnium Galliæ Epiſcoporum nomine in Acta referri poſtulo, volo, & ut id fiat, à Notariis peto, & poſtulo.* Quæ votiva Cardinalis Lotharenī oratio, non tam medicina quam malorum & corruptelarum indicina eſt. Verùm quid Galliæ & aliis patribus Tridentinis in Eccleſiæ reformationem egregie animatis profuit poſtulare ſua vota & ſuffragia in Acta referri, quando Curia Romana hæc omnia pro Gloſſariis mortuariis duxit, contraque morem, & libertatem antiquorum Conciliorum illa ſupreſſit. Nam olim omnia Patrum dicta, & reſponſa in Acta fideliter inſerebantur, ac rebus geſtis deputabantur & vulgabantur:

bantur: quia ſinguli Metropolitæ, imo etiam Epiſcopi ſi vellent, habebant exempla Actorum, & eam ob rem proficiſcentes ad Concilium, Notarios ſuos unà ducebant, ut liquet ex Actis Synodi Chalcedonenſis. Contra in Synodo Tridentina ſoli Canones, & decreta nomine geſtorum circumferuntur magno Eccleſiæ & Religionis Catholicæ diſpendio, propterea quod Eccleſia ex Actis integris magnam lucem haurire ſolet, ſicut quotidie ex geſtis primorum Conciliorum excerpimus. Sunt enim certiſſima monimenta libertatis, & diligentiæ neceſſariæ in illis habendis Conciliis ſervatæ à majoribus. Scio quidem obtendi, non de more eſſe in controverſiis & litibus unà cum Arreſtis ea edi quæ utrinque proponuntur: ſed quemadmodum aliud eſt lege imperare, & canonibus Eccleſiæ præſidere; ſic diverſa eſt ratio ejuſmodi litium & Conciliorum: certumque eſt, Apoſtolos & Patres antiquos viam calcaſſe, & præmonſtraſſe poſteris quam ſequerentur. Unde Actorum 15. ipſa Acta cum definitione Concilii ſuper legalium obſervatione conſcripta ſunt à B. Luca: neque Apoſtolos, & alios Patres Antiquos ſequi nos pudere debet.

AXIOMA XXV.

Quemadmodum eſt ſummi Pontificis regulariter, *&* ordinarie *Generalia Concilia indicere, & convocare: Ita ſi rogatus id facere detrectet, aut per morbum ſonticum, vel aliam ob cauſam id nequeat: Eccleſiam* caſualiter, *&* extraordinarie *poſſe Concilium congregare, & clavium exercitium regere, definire, atque abuſus tollere, ſicut Conſtantiæ, & Baſileæ factum eſt: & de poteſtate quam Imperatores* tanquam domini Reipublicæ Chriſtianæ atque vindices pacis, libertatis, & ſecuritatis publicæ *habent in Synodorum celebratione.*

XXXIV. QUando Status aut Principatus Eccleſiæ eſt Monarchicus, Axiomate XXX. profecto incumbit Pontifici tanquam vicario generali Chriſti *regulariter* quidem & *ordinariè* Concilia generalia indicere, & convocare, quatenus ratione ſui Primatus Poteſtatem habet ſuper particulares & ſingulares Eccleſias per mundum diſperſas: quibus mandat, ut ſeſe ad Synodum congregent. Quod ſi neceſſitas celebrandi Concilii impendeat, & Papa *Canonice* rogatus de convocando Concilio id facere detrectet; aut etiam ob gravem & diuturnum morbum, vel aliam ob cauſam Concilium indicere nequeat: tum Eccleſia, quæ eſt ſibipſi ſufficiens, & Sacerdotium Chriſti cum clavibus *Architectonice* poſſidet, invito quidem & abſente Papa *efficaciter*

efficaciter indicere, celebrare, & concludere potest Concilium; atque usum & exercitium auctoritatis Papæ *in ordinem*, id est, *ad clavem non errantem* cogere: quodque amplius est Pontificem, si sit incorrigibilis, & pervicaciter Ecclesiam scandalizet, abdicare, Axiomate II. VII. VIII. XIV. XV. XVI. XIIX. & XIX. Quibus ex proloquiis evidenter, & necessario inducimus, non solum decreta quartæ & quintæ sessionis Synodi Constantiensis Axiomate II. posita; verumetiam cunctos Canones Basileensis Concilii de Ecclesiæ & Concilii eminentia supra Papam (qui ex Synodo Constantiensi velut Conclusio necessaria ex principiis necessariis eliciuntur) *esse veritatem Catholicam ex Lege divina, & naturali evidenter ac necessariò collectam, & demonstratam à priori*: consequenterque fide Catholica credi oportere à Theologis, & Prælatis, qui sunt *Sal terræ* & *lumen Mundi*, nec ullam causam ignorantiæ debent prætendere. Tantum ergo abest, ut illa decreta Censuris aut legibus libros expurgandi, quibus Curia Romana ad suum dominatum fulciendum abutitur obnoxia sint. Equidem Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 16. circa medium ipsa rei evidentia convictus, *fatetur Synodum Basileensem initio quidem fuisse legitimam quo ad Eugenium deposuit, & Felicem V. elegit*: genuina est illius oratio, qua argumento ad hominem consequimur, viginti quinque priores Sessiones Basileenses esse legitimas juxta normam ab adversariis positam: quia de Eugenii depositione actum duntaxat sessione vigesima sexta. Quæ cum ita sint, miror Bellarminum auctorem, & suaforem fuisse, ut Acta Synodi Basileensis ex albo Conciliorum generalium expungerentur in editione Conciliorum Romæ facta Anno 1609. hoc enim illum effici curavisse à viris fide dignis accepimus.

XXXVI. Porrò, cum *Deus unicuique mandarit de proximo suo*, Ecclesiastici 17. quanto magis Imperatoribus & Christianis Principibus, in quorum territorio Ecclesia habitat? Illis ergo tanquam Divinæ, Naturalis, & Canonicæ Legis ultoribus & exequutoribus incumbit videre, ne quid Ecclesia, & Catholica Religio detrimenti capiat, Axiomate XI. L. eamque ob causam certissimum est octo prima Concilia generalia indicta & convocata fuisse ab Imperatoribus, de sententia, & consensu Romani Pontificis, congruè ad regulam Ecclesiasticam, de qua infra Axiomate XXX. Enimvero indictio & convocatio Conciliorum ad exterioris disciplinæ moderationem attinet: deinde partes sunt Cæsaris ut Domini Reipublicæ Christianæ, omnibus subditis & Conventibus quæ ambitu imperii illorum habentur, justam securitatem, & libertatem præstare & cavere, nequid turbarum à quoquam adversus publicum ordinem, pacem, & tranquillitatem patretur. Quo justissimo titulo muniti à Deo, nullus Patrum Antiquorum vel etiam Romanorum Pontificum antiquitus gravate unquam tulit. illos Conciliis generalibus præsidere, ordinem agendi

di præscribere Patribus, Edictis suis Concilia confirmare, ut in rem judicatam abirent. Quodipsum Acta Conciliorum quæ integra habemus perdocent, & Gratianus non obscurè innuit *dist. 15. Can. Sancta Romana Ecclesia, & 11. quæst. 1. can. continua, ubi* Constantinus Magnus, *Nicæno Concilio præsedisse dicitur. Item 12. quæst. 1. can. futuram. §. Idem vero præsidens.* Sane gesta Conciliorum narrant, viros primarios ex Senatoribus, & Consiliariis Imperatorum, sæpe missos ad Concilia Generalia, qui formam Senatus constituerent, atque ordinem agendi, ut in Judiciis fieri solet, Patribus præmonstrarent & in Quæstione facti, aut Disciplina externa constituenda, sententiæ dictionem haberent. Lege gesta Synodi Chalcedonensis, item sexti, septimi & octavi Concilii.

Quod spectat ad Pontificem, & reliquos Patriarchas, certè illos Actionibus aut sessionibus Conciliorum quibus Quæstio Juris evolvebatur, & Canones scisebantur, eo fere modo præsedisse legimus, quo præsides solent Actionibus Parlamenti. Quæ agendi ratio & forma ab Ecclesiæ primitivæ disciplina deducta, si nonnullis quæ hîc collegimus non usquequàque congruit, mirari non debes, Lector, quoniam Ecclesiastica politia sæpe variavit: quæque hoc opere scribo, potius ad normam statutorum, & gestorum Constantiensis Synodi, quam ex consuetudine agendi Patrum Ecclesiæ primitivæ collegi. Sapientis enim est inservire tempori & publicos mores non turbare in Republica: multoque magis cavere debet vir Catholicus, ne Schismati occasionem præbeat. Certe Ecclesiæ primitivæ temporibus Concilia generalia convocabantur ab Imperatoribus Christianis. Socrates in Procemio libri 5. Historiæ: *Ex illo tempore quo Imperatores Christiani esse cæperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt: Atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia* & convocata fuerunt, & adhuc convocantur. Lege librum 1. Historiæ nostræ Conciliorum.

AXIOMA XXVI.

Papam jus habere concludendorum aut confirmandorum Conciliorum, nihil aliud esse quàm inita Sanctorum Communione, & subducto suffragiorum numero, Concilia canonice concludere, ac definire: Et quænam olim fuerit ratio decidendi nascentes controversias: Ac de sufficienti instructione quam Romani Pontifices Legatis suis perferendam dabant ad Concilium generale: & de via ac ratione qua Patres in examinandis controversiis utebantur.

XXXVII. QUando ex antecedentibus proloquiis constitutum manet Aristocraticum regimen tam essentiale & necessarium

sarium esse moderandæ Ecclesiæ, quam Primatum, Axiomate xxx. Equidem summum Pontificem sic præsidere Conciliis oportet, ut facta inductione consensus, vel Communionis Ecclesiarum particularium totius orbis Christiani, concludat, *Aliquid esse* aut *non esse Catholicum*: hanc enim solum ob causam Synodi celebrantur. Quare in Synodo Hierosolymitana, Actorum 15. Apostoli & Presbyteri cum tota Ecclesia decernunt, *Legalia in Lege gratiæ nullo modo ad salutem necessaria.* Deinde in Nicæno Concilio *Filii Dei* adversus Arrium; & in Constantinopolitano *Spiritus Sancti Consubstantialitas* contra Macedonium: in prima Synodo Ephesina *unitas Personæ Christi* adversus Nestorium: in Chalcedonensi *duæ Naturæ & voluntates in Christo distinctæ* contra Eutychem, & Dioscorum Consensione omnium Ecclesiarum *fide Catholica credendæ* proponuntur, & definiuntur: cuncti Patres qui Synodis illis intererant, propria manu & syngraphis Acta obsignant, & confirmant. Quapropter Hierosolymitanum Concilium Actorum 15. sic concluditur & definitur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* In aliis denique Conciliis inita Sanctorum Communione & Catholico consensu omnium Ecclesiarum cuncta sciscuntur, ut fusius dicetur Axiomate xxix.

Procul dubio nascente aliqua Hæresi aut controversia maximi ponderis alicubi terrarum, in more positum erat, ut Episcopi Orthodoxi communionem Sanctorum velut sacram anchoram perfugio haberent, quemadmodum Axiomate xx. & xxi. observavimus: nequaquam verò Monarchice, & absoluto dominatu, ut fit hodie, imperabatur: quod certe causam præbuit multis Schismatibus, & quandiu continuabit, amplius præbebit. Unde Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus Græcos ab Ecclesia Latina ideò secessionem feciſſe narrat, quod Pontifex Romanus tanquam Dominus & Magister Ecclesiarum imperarit Græcorum Ecclesiis, ut crederent *Spiritum Sanctum à Filio sicut à Patre procedere*: non autem ex more avito Patrum, Ecclesiam super ea re in Concilium congregarit. Siquidem antiquitus ut enodarentur controversiæ, Patres congruenter ad quintum Canonem Nicænum primo Synodos provinciales congregabant: & si res controversæ privatis ejusmodi Synodis decidi nequirent, tum à vicinis provinciis quæ istiusmodi turbinibus minimè quatiebantur, & potissimum à sedis Apostolicæ oraculo, ob Primatus, & Cathedræ Petri eminentiam, *& potentiorem principalitatem*, ut loquitur Irenæus, subsidium quærebant. Romanus autem Episcopus, certior factus de necessitate generalis communionis Sanctorum ineundæ, & constituendæ, vel suam Synodum Patriarchalem cogebat, vel Metropolitis aut Archiepiscopis sui Patriarchatus scribebat, ut suas Synodos provinciales privatim haberent, & quicquid in illis de re controversa communibus Episcoporum suffragiis decerneretur, ad sedem Apostolicam mitterent. Denique, ubi Pontifex consensum, & com-

munionem Ecclesiarum sui Patriarchatus altera, aut utraque istarum viarum collegerat, si Generale Concilium ab Imperatoribus indiceretur, sicut præcedenti Axiomate observatum est, tum Papa de more habebat consensum, & communionem Latinæ Ecclesiæ per legatos suos ad universale Concilium mittere: idque erat absolutissima, & sufficientissima legatorum sedis Apostolicæ instructio, nequaquam verò aliquid à proprio motu Papæ manans: contra quam persuadere vult Bellarminus lib. 2. cap. 11. de Conciliorum auctoritate. En igitur certissima ratio, cur in Actis octo primorum Conciliorum generalium, præsertim in septem ultimis, præter legatos Papæ, nullos ferme aut paucos admodum Occidentales Episcopos Synodis generalibus interfuisse legamus. Cum enim singuli Metropolitæ Occidentalis Ecclesiæ suam sententiam de re quæ in dubium vertebatur, privatim in suis Synodis provincialibus edidissent, existimabant non magnopere necessarium, ut greges suos desererent. Accedebat insuper totum pene Occidentem tum effusionibus, & incursionibus Nationum barbararum infestari, & Gallias Romano imperio nequaquam parere, eamque ob rem Franciæ Reges ægre subditos, regni sui finibus egredi patiebantur, tum autem Roma adhuc parebat Imperatoribus. Porro hujus geminæ procedendi, atque inquirendi SS. Communionem exempla occurrunt in Actis Conciliorum: prioris quidem in sexta Synodo generali, ubi Agatho PP. suggestionem Synodi suæ Patriarchalis, cum sua atque omnium Episcoporum subscriptionibus mittit ad sanctam Synodum generalem, ut videre est Actione quarta ejusdem Synodi. Posterioris formæ testimonium petitur ex Epistola LXX. Nicolai I. PP. ad Hincmarum. Ille enim cum observasset, Græcos dare improperio Latinis, quod docerent, *Spiritum Sanctum à Filio sicut à Patre procedere*: *quod jejunarent Sabbato*, *&c.* Galliarum Episcopis per Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum mandavit, quatenus suas Synodos provinciales cogerent, ac de ejusmodi controversiis, quid eis videretur statuerent, & Synodalem sententiam ad se Romam ablegarent. Consule Flodoardum lib. 3. Historiæ Rhemensis Ecclesiæ: & observa, in more olim positum fuisse, ut quoties celebranda essent Concilia Generalia, prius in singulis provinciis particulares Synodi instituerentur, ut de rebus proponendis aut agitandis in Concilio universali tractaretur: quod etiam fatetur Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 19. quamquam id referat per extenuationem ad minuta quædam negotia. Hinc etiam facile adducor ut credam, hac via negotium de *Paschate* celebrando *die Dominica* conclusum fuisse: quoniam Eusebius lib. 5. cap XXII. memorat, cunctas Ecclesias particulares, suas privatas Synodos in eam rem ubique terrarum coëgisse ad communionem SS. indagandam: cui solæ Asiaticæ Ecclesiæ obstiterunt. His quoque roborandis inservit Epistola Patrum Milevitani Concilii, quæ

est

est 92. inter Epistolas Augustini, qua Innocentium P. P. obsecrant, ut ampliori Sanctorum communione, & Catholico consensu errores Pelagianorum damnarentur, sicut jam profligati fuerant in Synodis provincialibus Africæ, & Orientis. Quare nominatim petunt ab Innocentio, *det operam, ut illa Hæresis auctoritate sanctarum Scripturarum à sede Apostolica damnaretur.* Quod Milevitanæ Synodi rescriptum, frustra homines obnoxii ad suam infallibilem Monarchiam juvandam abducunt, quia hæc solummodo ad pleniorem SS. Communionem eliciendam pertinent: nimirum ut *hæresis Pelagii* & *Cœlestii* à toto orbe Christiano damnata intelligatur. Jam jam enim prius in *Oriente* Synodis etiam provincialibus condemnata fuerat, estque tum demum ultimo & supremo judicio in prima Synodo Ephesina œcumenica profligata.

Cæterum via & ratio qua Patres sedentes in Synodis utebantur ad pervestigandam communionem fidei omnium Ecclesiarum hæc erat, ut primo exhiberent cunctos Scripturæ locos, quos ad evolvendam controversiam conducere existimabant: deinde inducerent Patrum antiquorum auctoritates, qui ab Apostolorum seculo ad sua usque tempora floruerant, atque omnia diligenter expenderent, & per collationem unius ad alterum examinarent, sicut Acta prima Synodi Ephesinæ, Chalcedonensis, quintæ, & sextæ Synodi Generalis comprobant. Vincentius Lirinensis, hoc, *Traditionem Catholicam* vocat sub finem Commonitorii, docetque, *Intelligentiam sanctarum Scripturarum ex Catholica Traditione antiquorum Patrum testimoniis ad nos usque propagata, & transmissa discendam, & hauriendam:* Idque auctoritate primi Concilii Ephesini illustrat. Quæ Catholica collatio, & inductio Scripturarum & Patrum, certa erat via, & Methodus expedita ad definiendas controversias, nequaquam verò contentiosæ, & argutæ disputationes scholasticæ: quia, ut ait Apostolus 2. ad Timotheum 2. *ad nihil utiles sunt nisi ad subversionem audientium: & rixas, blasphemias & suspiciones malas pariunt,* 1. ad Timotheum 6. vixque unquam contentiosum disputatorem reperias, qui non multo magis vana specie & umbra rerum, atque externa apparentia, quàm solida veritate gestiat, atque exultet: quique consuetudine altercandi abreptus, & desiderio victoriæ non multa præter conscientiam effutiat. Ut insuper omittam, quod *Sanctes Pagninus* refert *in Prologo suæ Versionis utriusque Instrumenti Lugdunensis editionis, Anni* 1527. apud Antonium du Ry: *Quisque attollit studius suum auctorem ut emori citius exoptet quam illius patrocinium deserere: Peripateticos, Thomistas, Scotistas se esse jactitant, &c.* Accedit, nihil tam absurdum aut à veritate abhorrens esse, quod argutis subtilitatibus disputatorum defendi non queat. Itaque multo præstat simplici collatione & inductione Locorum Scripturæ, & Patrum, quam istiusmodi disputationibus uti in Synodis ad decidendas controversias.

Quæ cum ita ſint, concludemus, ſcita Eccleſiæ, & decreta aut canones Conciliorum, robur duntaxat obtinere à Catholico conſenſu, & communione Sanctorum, quæ nec cogi, nec Monarchicè imperari, ſed tantummodò liberè, & ſuaviter doceri, ac ſuaderi amat, Axiomate XXII. Et hinc planum eſt, Bellarminum valdè falli aut fallere lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. XI. dum narrat, *Concilia Generalia ante confirmationem Pontificis errare poſſe, niſi Patres in definiendo ſequantur Pontificis inſtructionem.* Quæ ab illo dicuntur, acſi hujuſmodi inſtructio non à Synodo & communione Catholica Eccleſiarum, ſed à proprio motu, aut Oligarchico Papæ conſilio manaret, quod falſum eſſe ſupra probavimus. *An quiſquam credere poteſt, unicuilibet poſſe Deum noſtrum examinus inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus eam denegare?* inquiunt Patres Africani Epiſtola ad Cœleſtinum P P. de qua Axiomate XXIX.

AXIOMA XXVII.

Quando & quatenus Papa de canonibus Conciliorum diſpenſare valeat.

XXXVIII. CUm Lex & Judex nihil differant niſi velut inanimatum, & animatum, Axiomate XXIII. & ejus ſit Legem abrogare cujus eſt condere; certè Roman. Pontifex non poteſt decreta Synodorum Generalium penitus antiquare, aut cum aliquo de illis aliter diſpenſare, vel ea interpretari quam ad mentem, & propoſitum Eccleſiæ: quia eſt ſolummodo fidelis œconomus, diſpenſator, miniſter Eccleſiæ, ac Legis Divinæ, Naturalis, & Canonicæ vindex atque interpres. Porrò ad mentem Eccleſiæ de Canonibus diſpenſare eſt ea relaxare pro communi Eccleſiæ bono, non in gratiam aut commodum privatorum: hoc enim caſu Concilium ſi congregatum eſſet, diſpenſaret: *Quod enim pro charitate eſt inſtitutum, non debet pugnare contra charitatem*, Axiomate IV. Quod ſi Papa ex animi ſui ſententia, de Canonibus diſpenſare valeret, fruſtra inſtituerentur Concilia. Hercle dum olim ex quinti canonis Nicæni præſcripto Synodi provinciales annuatim bis aut ſemel ſaltem habebantur, nihil opus erat Papam aut Epiſcopos privatim, & ſeorſim curam capeſſere vel de interpretandis, vel de integro novis decretis condendis: quoniam id Synodicè, quoties opus erat, conficiebatur, omniaque negotia Synodo provinciali, penes quam ſuprema juriſdictio, & regimen totius provinciæ habitabat, definiebantur, ut ſtatim demonſtrabitur. De hac autem legum diſpenſatione S. Bernardus cap. 10. lib. 3. de Conſideratione, *Non ſum tam rudis, inquit, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique*

nique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur: ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum, non plane fidelis dispensatio sed crudelis dissipatio est. Hic obiter notandum, justas & necessarias missiones, & privilegia Religiosorum hoc niti Axiomate: nequaquam vero illa quæ vivæ vocis oraculo sibi concessa prædicant. Si enim Leges defectu promulgationis, atque receptionis minimè obligant, multo minus Chimærica hæc, & imaginaria privilegia vim ullam sortiuntur, cum nemini innotuerint. Cæterum Pontifex nullo modo derogare potest Canonibus Synodorum provincialium, si modò Juri Divino, Naturali, & Canonico recepto nihil officiant. Certè antiquitus omnes Episcopi suas Ecclesias Jure communi gubernabant. Unde si quidquam Papa in contrarium moliretur, ei in faciem resistere licebat: quo titulo *appellationes*, quas Galli vocant *ab abusu* fulciuntur: de illis loquor quæ veritate, & certa æquitate, non specie veri nituntur.

AXIOMA XXIIX.

Licitum esse à summi Pontificis, & Synodi provincialis sententia, ad Generale Concilium provocare.

XXXIX. QUandoquidem repugnat aliquem testem aut Judicem sedere in sua causa, Axiomat. IX. & X. potestas autem infallibilis Ecclesiæ unitati, & non uni Monarchæ delata est, Axiomate VII. IIX. XIV. XVI. XIIX. Inde necessariò colligimus, licitum à Papæ aut provincialis Concilii sententia ad Synodum generalem, velut ad infallibilem cathedram Ecclesiæ, & perfectissimam S S. Communionem provocare: idque Patres Africani epistola ad Cœlestinum Papam tomo priore Conciliorum his verbis explicatè docent: *Quicunque judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam ad Universale provocare potest.* Legendus Cardinalis Alliacensus de Ecclesiæ auctoritate cap. ultimo, Gersonius tractatu *Quomodo & an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare, & ejus judicium declinare.* Item opusculo inscripto *Resolutio circa materiam excommunicationum, & irregularitatum*, præsertim consideratione 8. & libello *de examine doctrinarum, parte prima, consideratione* 2. *Almainus cap.* 8. *de Ecclesiæ auctoritate, & de potestate Ecclesiastica & Laica, quæst. prima, cap.* 15. Quod si forte cavillentur, Articulis Bullæ cœnæ Domini illos damnari, qui à Papæ sententia ad Concilium Generale provocant: Insurges hoc ad Quæstionem Facti, & ad imaginariam *absolutam* Papæ *Monarchiam* armandam spectare: atque idem penitus esse, ac si Germanie Imperator aliquo edicto caveret, ne quos injuria

 affeciſſet,

affeciſſet, de injuriis ſibi illatis in Conventibus, & Dietis imperialibus conqueri auderent. Martinus V. omnium primus artifex extitit Conſtitutionis de non provocando à Papæ ſententia ad Concilium Generale, idque ut Conſtantienſis Synodi decreta convelleret, teſte Gerſonio tractatu memorato, *Quomodo & an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare, &c.* Dehinc Æneas Sylvius factus Pius II. & Julius II. Martinum V. æmulati ſunt: & aliquantò poſt ſub Leone X. abrogatis ſacrarum electionum, & decretorum Synodi Baſileenſis ſanctionibus Concordatorum Bononienſium pactione, tum demum Conſtitutio illa de non appellando à Papæ ſententia ad Concilium, conjecta eſt in Bullam Cœnæ Domini. Quam Bullam ſi quis te roget, Lector, quidnam ſit, reſpondebis *Arcanum abſolutæ Monarchiæ & imperii Curiæ Romanæ, quo in omnium Jura invadit, atque Reges & Principes Chriſtianos ſibi velut ſervos, & feudatarios contra Jus Divinum, & Naturale efficere molitur.* Quid autem de Martini V. conſtitutione tenendum ſit, Gerſonius explicat, præfato libello, *Quomodo & an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare, ejuſque judicium declinare.* Equidem nequaquam ſitum eſt in Romani Pontificis manu, præſidia quibus Chriſtiani à Deo, & natura donantur, abrogare, Axiomate IV. V. IX. & X. *neque quiſquam hic trepidare debet timore ubi nullus eſt timor*, Pſal. 13. neque præterea cenſuras ab infallibili Papæ Monarchia manantes ad eandem poteſtatem contra Jus Divinum & Naturale muniendam timere: ſed, ut ait Gerſonius opuſculo de materia excommunicationum & irregularitatum, *Informandi ſunt homines imbecilles ingenio, qui putant Papam unum eſſe Deum*, quænam & qualis ſit natura poteſtatis miniſterialis ſpiritualis Papæ: *& ſi ejuſmodi informationibus acquieſcere nolint, relinquendi ſunt tanquam ſtulti & cauſam præbentes ſcandalo activo.*

AXIOMA XXIX.

De praxi regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ quadringentorum, & mille annorum ſpatio ſervata: & curnam & quando exoleverit, atque abſoluta Monarchia increbuerit.

XL. UT regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ praxim cum Theoria maritemus, pretium eſt operæ ſecundam partem hujus Apologiæ conſtantiſſimo uſu Eccleſiæ Catholicæ quadringentorum, & mille annorum lapſu ſervato comprobare. Primum quid clarius aut evidentius in Actis Apoſtolorum, ubi paſſim videas cuncta negotia, totius Eccleſiæ conſenſu Ariſtocratice decerni? Et quidem cap. 1. & 6. de B. Matthiæ, & Diaconorum electione agitur: Capite autem octavo Collegium Apoſtolorum tanquam eminenti

eminenti auctoritate præditum ablegat in Samariam Petrum & Joannem. Et cap. XI. Ecclesia à B. Petro rationem suæ conversationis cum Gentibus exigit, propterea quod arbitraretur Petrum proprio motu prævortisse tempus eruditendis Gentibus in Euangelio præscriptum : unde statim atque Ecclesia audivit Petrum afflatu divino ad Cornelium Centurionem divertisse, acquievit. Act. cap. 15. Hierosolymitanum Concilium hac formula definitur : *Visum est Spiritui Sancto & Nobis*; ubi τὸ *Nobis*, de universali Ecclesia, non de solo Petro capi potest. Quod si Petrus Jure Divino esset constitutus *absolutus* Ecclesiæ *Monarcha*, ut imaginantur, certe Natura regiminis Ecclesiæ necessario transmittendi ad posteros exigebat, ut cæteri Apostoli Petro supplicarent, sicut hodie consuetum est Papæ, *vellet, juberet hoc vel illud fieri* : atque insuper Synodum Hierosolymitanam sic definirent : *Visum est Spiritui Sancto, & Petro :* aut etiam hac formula à quingentis aut circiter annis excogitata uterentur : *Petrus sacro approbante Concilio statuit, vel decernit, Legalia nullo modo ad salutem esse necessaria in Lege gratiæ*, &c. Sileo insuper S. Jacobum, quia Hierosolymitanus erat Episcopus, Synodum his conceptis verbis concluisse, & non Petrum : *Viri fratres, audite me, Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo, &c.* Propter quod EGO JUDICO *non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum : sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum & fornicatione, & suffocatis à sanguine.* Quam in clausulam, Synodalis epistola concepta, atque omnium non solius Petri nomine missa est ad Gentes hoc modo : *Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, etiam scribentes per manus eorum, Apostoli, & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem, &c. Placuit nobis collectis in unum, &c. Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c.* Hic ingenuè dicat Lector : an hæc *S. Jacobi* oratio de *B. Petro* quicquam spiret aut redoleat Monarchici, *Fratres, audite me, Simon narravit, quemadmodum, &c. Propter quod ego judico non inquietari, &c.* Hercle potius diceres *Jacobum* quam *Petrum* fuisse *Monarcham.* Quid memorem totam Ecclesiam, quæ ibidem dare voluit formam Concilia celebrandi, & scribendi posteris, non reprehendisse Jacobum ? Quod si excipiant Adversarii, S. Petrum hæc per suam summam humilitatem ita passum dici, & fieri, in aliud absurdum impingent, videlicet Petrum in constituenda forma regiminis Ecclesiæ necessario ad posteros propaganda graviter peccasse, cum sibi divinitus sciret datum ut Ecclesiam Monarchicè gubernaret. Accedit præterea cap. 21. Actorum Ecclesiam conventum habuisse ut Paulum edoceret rationem vitandæ invidiæ quâ flagrabat apud Judæos, quasi contemptui haberet legem Mosaicam. Quid dicere opus, *B. Paulum Petro in faciem restitisse, eo*

quod

quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelii? id est, quia canonem Synodo Hierosolymitanæ super Legalium observatione contra ejusdem Synodi mentem ac sensum interpretaretur, aut etiam quia de eodem Canone perperam dispensaret, Galat. 2. Certè hoc unum inter principes Apostolorum tum venisse in disceptationem, testatur Augustinus epistola XIX. ad Hieronymum: *Quid mirum*, ait, *si constringebat eum Paulus liberè asserere quod cum cæteris Apostolis se Hierosolymis decrevisse meminerat?* Ubi observas, Augustinum perhibere non modò Petrum, verum etiam omnes Apostolos communibus votis decretum sciviſſe, sicut Actis Apostolorum clare habetur. Franciscus à Victoria Dominicanus Hispanus Relectione de potestate Papæ & Concilii, aliquanto post initium ait: *Non minus est Spiritus Sanctus in quocunque Concilio Generali quam in Concilio Apostolorum, ubi Spiritus Sanctus assistebat Actorum 15. Visum est Spiritui Sancto & nobis. Sicut ergo postquam determinatum fuit in Concilio Apostolorum quod Legalia erant extincta, non potuit Petrus aliter definire: ita in quocumque Concilio Generali.* Porrò quoniam inter Apostolos de sola facultate interpretandi Canonem Hierosolymitanum pro ejusdem legitima dispensatione controvertebatur; & ex mente omnium Theologorum certum est, facultatem dispensandi, atque interpretandi Canones ad Papam attinere: consurgit dissidium hoc inter Petrum, & Paulum ad Ecclesiæ regimen pertinuisse. Ideo enim Petrus reprehenditur, quod de Canone Hierosolymitano perperam & contra Synodi propositum dispensaret: & hoc ipso Paulus contendit, Petrum minus rectè ad veritatem Euangelii ambulasse. Hincque exploratum redditur, quantum hoc Axioma Curialium veritati congruat, nimirum, *Papam esse supra Concilium: ac totum jus Canonicum, vel partem Juris Canonici posse abrogare.* Hoc enim viro sola potestate ministeriali spirituali prædito nequaquam potest competere. Fateor insuper, me hanc *Petri*, & *Pauli* altercationem cum *absoluta* Papæ *Monarchia* nullo modo posse componere: neque etiam posita ejusmodi absoluta potestate ut divinitus instituta, sicut fabulantur, nodos valere hujus dilemmatis extricare: videlicet Apostolorum principes inter se ob unum canonem male acceptum ita dissidentes, aut Ecclesiam regimen divinitus institutum penitus ignorasse, aut saltem prudentes atque scientes contra Jus Divinum, & Ecclesiæ regimen necessario ad posteros derivandum graviter errasse. Cum autem neutra pars hujus inductionis vera esse queat, relinquitur Adversarios frustra comminisci S. Petrum ex pura humilitate & modestia passum ut tam acerbe à Paulo corriperetur. Quid verò ad hæc *tinniant* Adversarii experto: & *tinnire* dico propter eorum argutias sophisticas, quæ crotalis aut cymbalis perstrepentibus ac incertum sonum edentibus persimiles sunt.

Altero seculo post Christum natum, cum Ephesina Ecclesia traditione à B. Joanne

Johanne Euangelista accepta festum Paschæ celebraret decimaquarta luna Martii in quemcunque diem Luna incidisset: reliquæ omnes Ecclesiæ Christianitatis, Synodos Provinciales super ea re habuerunt, statueruntque solo die Dominico diem resurrectionis Christi esse celebrandum. Hisque de causis Victor PP. tanquam vindex Canonum quos Ecclesiæ particulares sciverant (hoc enim Canoni universalis Concilii æquipollebat, excepto quod Ephesina Ecclesia audita non esset) Ephesinam Ecclesiam à communione Catholica aliarum Ecclesiarum rescindere voluit. Cui incœpto Victoris omnes aliæ Ecclesiæ strenue restiterunt: atque inter alios S. Irenæus Lugdunensis Episcopus aculeate rescripsit Victori, velut Ecclesiarum pacem & concordiam solicitanti; ideoque à proposito destitit. Hinc verò claret tum patres Ecclesiæ censuisse, ubi de Jure positivo agitur, & de rebus quæ Sacra Scriptura non definiuntur, cavendum inprimis, ne alicui Ecclesiæ causa præbeatur in Schisma perrumpendi. Quæ ratio si dehinc servata fuisset, Græca Ecclesia nequaquam à Latina desciviisset: quam ob rem Durandus Speculator, Gersonius, atque alii permulti viri boni & pii lugent. Quod si S. Iræneus atque alii Episcopi qui tum florebant, Victorem PP. pro absoluto Monarcha Ecclesiæ cœlitus constituto habuissent, nunquam sanè ei in faciem sic obstitissent. Adi librum quintum historiæ Eusebii cap. 22. 23. & 24. cum Axiomate XVI. Dices forte, eundem Iræneum lib. 3. c. 3. perhibere, *ad Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem Ecclesiam convenire, &c.* Repondo, hoc ad Primatum duntaxat, non ad Monarchiam absolutam spectare: secundo urgeo & Canones & consuetudinem Ecclesiæ primitivæ statuere *omnes alios Episcopos provinciæ ad Metropolim convenire:* Unde cum Ecclesia Romana (tum propter primatum Petri, tum propter urbis principatum, quæ regina erat aliarum metropoleum) omnium aliarum Ecclesiarum mater & princeps habetur: merito omnes aliæ Ecclesiæ ad eam convenire dicuntur propter potentiorem principalitatem. Lege canonem nonum Synodi Antiochenæ quo praxis Ecclesiæ primitivæ confecratur.

Aliquantò post tertium seculum, Patres Nicæni illustre & inexpugnabile Aristocratici regiminis, & Juris communis monimentum contra absolutam Monarchiam posteritati instruunt: ac primum inito omnium Ecclesiarum particularium consensu & suffragiis cuncta negotia libere & canonice definierunt: nequaquam verò decreta ab uno & solo Papa aut ab ejus legatis privatim concepta, & conscripta Patribus approbanda proponuntur, sicut in multis recentioribus Conciliis factum legimus, & plurimum laudatur à Bellarmino lib. priore de Ecclesia cap. nono. Item can. quarto & sexto Nicæno statuunt, ut Episcopi omnes sacris electionibus cooptentur, & à Metropolitis suis confirmentur. Ex quo inimus, principatum Ecclesiæ esse electivum, non hæreditarium

ditarium aut resignativum, Axiomate XXXIII. Tertiò *volunt cunctas lites & controversias nascentes Synodo provinciæ definiri atque universos qui sententia & judicio privatorum Episcoporum gravati fuerint, ad Synodum provinciæ posse appellare.* Utque expeditior esset omnium controversiarum decisio, & Concilium per quandam termini pendentiam, aut continuationem semper vigeret, aut exspectaretur, annuatim bis Synodum provincialem congregari decernunt Canone quinto. Huic autem regulæ Romanus Episcopus more aliorum Episcoporum subditus erat, & tanquam Archiepiscopus aut Metropolita, suburbicarias Ecclesias in Synodum provincialem annuatim cogebat: siquidem tribus modis potest considerari, primo ut Romanus Episcopus, secundo ut Metropolita, tertio ut Patriarcha Occidentis: & Ecclesiæ suburbicariæ illi velut Metropolitæ, non tanquam Patriarchæ subjiciuntur. Quarto sanciunt, ut Alexandrinus & Antiochenus Episcopi tantumdem juris in Ecclesias sibi inveterata consuetudine subditas obtineant, quantum & Romanus Episcopus diuturna etiam consuetudine, præscripserat in Ecclesias Occidentis Canone sexto. Ubi dignum animadversione, Patres Nicænos explicatè demonstrare, *Romanam Ecclesiam* esse *particularem Ecclesiam*, sicut & Alexandrinam & Antiochenam: secundò de avito more & præscriptione, non de Jure Divino aut Monarchico loqui. Et ita colligimus tum temporis secundum Canones Nicænos, & Praxim illius temporis, de qua diximus in Historia Conciliorum, Romanum Episcopum nihil quicquam Jurisdictionis aut potestatis in alios Patriarchas habuisse, sed tantummodo sedis, inspectionis, atque Primatus eminentiam: consequenterque insurgit ab Apostolorum seculo ad Nicænam Synodum, *Ecclesiæ regimen* fuisse *Aristocraticum*, & exequutionem regiminis quodammodo Monarchiam: quatenus singuli Patriarchæ, & Episcopi (quisque *proportionatim*, & *respectivè* erga Ecclesias sibi subjectas) Canones & decreta Conciliorum in rem judicatam mittebant: ita tamen ut si de exequutione aut interpretatione Canonum aliqua nasceretur difficultas, hæc ad Synodum provinciæ continuò referretur. Ex quo patet, supremam Jurisdictionem Ecclesiæ, tum penes Synodos habitasse: atque Episcopos meros fuisse exequutores Legis Divinæ, Naturalis, & Canonicæ, sicut Præsides Parlamenti Senatusconsultorum: quam ob causam illos *Ministros Canonum* post Gratianum appellavimus, Axiomate XXIII. Ego hic antiquam Ecclesiæ politiam refero, quam sequentibus seculis variasse non abnego, ut palam fiet progressu hujus lucubrationis. Omnia enim sunt ordine pertractanda. Quod ad me attinet, ego quidem decretis Synodi Constantiensis firmiter adhæreo, ut Axiomate XXX. professus sum. Estque insuper notandum, nomen *Patriarchæ* cœpisse tantum frequentari tempore Synodi Chalcedonensis sub *Leone Magno*. Hercle, teste Bellarmino lib. de Clericis cap. decimo quarto sub finem, *Constat in Concilio maxime exercri*

teri Jurisdictionem, cum Leges in eis ponantur, propria sunt verba.

Quarto seculo inclinante sub *Damaso* Papa secundum generale Concilium habetur Constantinopoli eóque cuncta Orientalis Ecclesiæ lumina confluxerunt, S S. Basilius, Gregorius Nissenus, Nazianzenus, Meletius, &c. Canone autem secundo quintam & sextam regulam Nicænam paulò ante explicatam partim ampliarunt, partim explicarunt, nominatim cavendo *ut Synodus provinciæ unamquamque provinciam gubernaret secundum ea quæ fuerant Nicææ definita:* quæ quidem regula manifesta est Juris communis declaratio. At canone tertio statuunt, *Constantinopolitanum Episcopum debere habere Primatus honorem post Romanum Episcopum:* Græce τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. Quæ verba declarant, & convincunt Patres Sanctissimos illo tempore alium quam honoris, & sedis primatum non agnovisse: eamque ob causam Romana Ecclesia hunc Canonem velut Primatus sui interpretem, & declaratorium semper repudiavit: molestè ferens se quasi in ordinem cogi isto Canone, sicut & 28. Chalcedonensi. Jam monui, supremam Jurisdictionem, & regimen Ecclesiæ tum penes Synodos provinciales, & generales habitasse: Romanum autem cum aliis Episcopis Legem Divinam & Naturalem cum Canonibus *proportionatim* & *respectivè* mandasse exequutioni, atque eorum omnium quæ gerebant rationem reddidisse, in Synodo Provinciali, si forsan de eorum gestis quispiam gravaretur, & quereretur: & ita patet singulorum Prælatorum potestatem totam fuisse in ordine ad regimen Aristocraticum. Neque hæc quæ à me scribuntur, quando ex decretis Conciliorum evidenter, & necessario colliguntur, sunt que gesta Ecclesiæ primitivæ, censuras extimescunt, Axiomate v. præsertim verò quod in studio unitatis, & pacis Ecclesiæ à me scribantur; ne Adulatores Jus pure humanum pro Divino vendicent & de non Hæresi, imò verò de non peccato grandem faciant Hæresim. Paulo ante notavi politiam Ecclesiasticam sæpè mutatam fuisse: Unde qui ex hodierno dominatu & Scholasticorum argutiis de illa pristina judicare vellet, tam ridiculus certe haberetur quam qui Augusti principatum Scipionis Africani consulatui æquipararet.

Aliquantò post Synodum Constantinopolitanam Patres Ecclesiæ Africanæ 6. Carthaginense Concilium celebrarunt. Cui S. Augustinus interfuit duplici nomine: Primum ut Hipponensis Episcopus, deinde ut legatus Ecclesiarum Numidiæ: quo in Concilio arcem munitissimam pro Juris communis, Aristocratici regiminis, & Canonum Nicænorum tutela & vindiciis contra hodiernam Curiæ Romanæ Monarchiam ædificarunt. Enimvero cum Urbanus Siccensis Ecclesiæ Africæ Episcopus, quendam ejusdem Siccensis Ecclesiæ Presbyterum nomine *Apiarium* ob notissima scelera excommunicasset: atque Urbani Siccensis Episcopi sententia contra Apiarium, Synodo Provinciali Africæ, juxta disciplinam Canone quinto Nicæno constitutam auctorata fuisset: ipse Apiarius ad *Zozimum*

Papam confugit, à quo non tantum eſt ad Eccleſiæ Romanæ communionem admiſſus, verum etiam Zozimus Fauſtinum Potentinæ Eccleſiæ Epiſcopum velut Legatum à latere ablegavit in Africam, ut Apiarium in integrum reſtitueret, atque Siccenſem Epiſcopum, ſi reniteretur, excommunicaret, aut Romam ad Zozimum evocaret: hic enim Nicænis canonibus ſibi tantumdem poteſtatis attribui contendebat Commonitorio fiduciæ quo Epiſcopum *Potentinum* legatum ſuum muniverat. Sed Patres Africani novitate hujus incœpti atque imperatorum Zozimi obſtupefacti, (tum enim congregati erant in Synodo, quamprimum Zozimi legatus appulit in Africam) ſubſidium Orientalis Eccleſiæ contra Zozimi poſtulata implorare, ac genuinos Synodi Nicænæ Canones à B. Cyrillo Alexandrino, & Attico Conſtantinopolitano Patriarchis impetrare coacti ſunt: eamque ob cauſam ſuos miſerunt legatos in Orientem, ut nativos inde Canones Nicænos referrent, ad comprobandum, utrum ea quæ Zozimus ſibi Nicænis Canonibus permiſſa eſſe dicebat, vera nec ne eſſent. Itaque poſt ſexennium integrum in hac evolvenda lite inſumptum, Legati Eccleſiarum Africæ qui in Orientem ſeceſſerant; ad patrios lares cum genuinis Nicænis canonibus & literis fiduciæ B. Cyrilli Alexandrini, & Attici Conſtantinopolitani Patriarcharum redierunt. Quare Synodus ſexta Carthaginenſis, *Cæleſtino* I. Papæ qui poſt *Bonifacium* I. Zozimo ſucceſſerat, luculentiſſimam epiſtolam his invictiſſimis munitam argumentis miſit. *Primo definitum eſſe Concilio Nicæno, ne qui excommunicati eſſent in aliqua provincia ab Epiſcopis aliarum provinciarum admitterentur ad communionem*: Alioqui enim communio Sanctorum, & diſciplina labefactaretur: eamque ob cauſam omnibus præſertim Sacerdotibus qui extra provinciam ſuam proficiſcebantur literæ quas *formatas* nuncupant dabantur ab Epiſcopis. Secundo urgent, *omnes Clericos cujuſcumque ſint gradus, id eſt Epiſcopos aut Presbyteros regimini ſuorum Metropolitanorum à Nicænis Patribus relinqui: idque multo magis de Epiſcopis quam de Presbyteris intelligi oportere: propterea quod Lumen naturale dicter, negotia iis in locis ubi orta ſunt eſſe definienda*: maxime in Eccleſia ubi omnia de plano, & ſine ſtrepitu forenſi in Synodis definiri, non autem contentioſis & ſumptuoſis litibus, ut fit in ſeculo, decidi debent. Tertio, perhibent *gratiam Spiritus Sancti nulli unquam provinciæ defuturam, ad regimen provinciæ gubernandæ neceſſarium optime conſtituendum, ſi modo Sacerdotes æquitatem ſervent, & prudenter agant. Quartò quicumque offenſus fuerit judicio Cognitorum*, id eſt Epiſcoporum, *poſſe ad Concilia Provinciæ; vel etiam ad univerſale Concilium provocare.* Quæ ratio ab Eccleſiæ primitivæ praxi tempore Auguſtini, eoque ſuffragium ferente inſtructa, convincit ſecundum Nicænos Canones privatam Papæ ſententiam contra aliquem Clericum aut Laicum, expendi conſueviſſe in Synodo Provinciali: atque licitum fuiſſe

à Synodo

à Synodo Provinciali Papæ ad Concilium generale tanquam ad ultimam, & infallibilem Cathedram Ecclesiæ provocare: consequenterque Episcopum Romanum eo tempore non modò generali, verumetiam Provinciali Synodo fuisse subditum. Ex quo perspicuum evadit, quantùm insit fidei Canonibus qui tempore Sylvestri P P. conditi finguntur, *atque Romani Episcopi sententiam à nemine retractari oportere; & Papam omnes, illum verò neminem posse judicare*, prædicant. Item hinc claret, politiam hanc primitivæ Ecclesiæ, si ad eam comparetur quam Synodus Constantiensis, & Basileensis instituit; majori quidem ab hac distare intervallo, quam hodierna Curiæ Romanæ Monarchia à Constantiensis & Basileensis Synodi decretis, & disciplina discrepet: quod Sophistis nostris & considerandum & concordandum relinquo. Verum si B. Augustini seculo Jus erat à Synodo Provinciali Papæ ad Concilium generale provocare, quanto magis à privata ejus sententia aut proprio motu? Quod tamen hodie *Bulla Cœnæ Domini* quasi grande piaculum igne expurgandum prohibet, ut Axiomate superiori ostensum est. Quinto *non esse credibile, Deum unicuilibet posse inspirare examinis justitiam, atque innumerabilibus congregatis in Concilium illam denegare.* Quasi dicerent, hoc repugnare Christi Domini promissis, qui dotem infallibiliter decernendi Ecclesiæ collectim sumptæ, non privatis hominibus pollicitus est. Quo ex argumento liquet, an Patres Africani, infallibilem potestatem statuendi, potius uni absoluto Monarchæ quàm Aristocratico Concilio deferri oportere censuerint. Sexto instant, *transmarinum judicium ratum esse non posse sine depositione atque examine testium: Romam vero necessarias personas adduci non posse, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis.* Ubi observes, utriusque sexus personas ad testificandum admitti contra nefarios Sacerdotes, aut Episcopos: & ita probatum relinquitur, caput tertium Concilii Romani quod Sylvestro Papa celebratum perhibetur esse falsum & adulterinum: *vetat enim Presbyterum nisi quadraginta quatuor, & Episcopum nisi duorum atque septuaginta hominum testimonio, qui omnes filios, & uxores habeant, ullo modo judicari*: quod certe iis repugnat quæ hic à Patribus Africanis consignantur. Vide Axioma XVI. Septimo *nulla Synodo definitum, ut Romanus Episcopus mittat Legatos à latere in externas provincias.* Qua ex propositione inducimus tum temporis Ecclesias *Canone*, & *Synodicè* regi consuevisse idque adeò ut nullus Prælatus sibi quicquam assumere auderet quod non esset Canonibus sancitum. Quæ causa fuit Zozimo Papæ ut pretexeret sibi Nicænis Canonibus concessum de causis Clericorum per omnes exteras provincias cognoscere, & eam ob rem mittere *Legatos à Latere*, sicut de facto misit in Africam. Octavo narrant, *Zozimi Commonitorium à Faustino Episcopo Africanis Patribus pro Nicænis Canonibus oblatum, non reperiri in Authenticis exemplaribus*

Canonum Nicænorum, quæ Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus in Africam miserunt. Quandoquidem Legati quos Patres Africanæ Ecclesiæ ablegaverant in Orientem, non alios Canones Nicænos illinc retulerunt, quam illos ipsos viginti qui omnium ore, & scriptis celebrantur: extantque in omnibus Antiquis, & recentioribus editionibus Conciliorum, etiam in Romana Anni 1609. erantque Patribus Africanis noti, & perspecti; antequam Zozimus illis legatum suum misisset. Hic enim quia Canones Sardicos pro Nicænis venditabat, singulari Divinæ providentiæ beneficio est effectum, ut ad veritatem hujus rei detegendam Patres Africani nullis vel laboribus vel sumptibus parcerent, & legatos mitterent in Orientem. Nono contendunt, *Romanos Episcopos non debere suos Clericos viris potentibus mittere, quatenus Ecclesiæ Romanæ imperata in rem judicatam dedant, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam intromittere viderentur, quæ lumen simplicitatis, & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert.* Certe hoc ipsum est *imperium in Ecclesiam effundere*, ut B. Athanasius, & Hilarius de Arrianis conqueruntur, qui omnium primi Quæstionem Juris *via facti*, id est, *armis* oppresserunt: hocque deinceps à Romanis Pontificibus factum queritur Augustinus Epistola 261. ad Cœlestinum P P. Unde Socrates lib. 7. cap XI. Historiæ memorat hoc ipso tempore *Episcopatum Romanum, & Alexandrinum quasi Sacerdotii fines egressos, ad secularem principatum delapsos fuisse.* Hinc præterea patet Legatos Leonis Magni Actione XVI. Synodi Chalcedonensis, textum Canonem Nicænum mendosum protulisse. Etsi enim nullus unquam Orthodoxus primatum Romanæ Ecclesiæ in dubium, sed solam Monarchiam imaginariam revocarit: tamen certissimum est hæc verba, *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*, non extare in genuinis Canonibus missis à Cyrillo Alexandrino, & Attico Constantinopolitano: consequenterque falso venditari à Romanis: & argumento ad hominem contra illos insurgit, tempore Leonis I. Romanam Ecclesiam de solo Primatu, non de Jure Monarchico super Ecclesias ut hodierna die certasse: & continuo istam Monarchiam non esse Juris Divini. En igitur summa Capita Epistolæ Synodi Carthaginiensis, quam integram leges tomo priore Conciliorum. Quod si verum amamus, ut Christianos necesse est amare, hæc nos docent, seculo B. Augustini Ecclesias regimine Aristocratico, ac Jure communi, non absoluta Monarchia gubernatas fuisse: huc enim Quæstio Juris quam indagamus evadit. Neque vero si Canones Sardicos, pro Canonum Nicænorum appendicula gratuitò admiserimus, Adversarii suam inde Monarchiam absolutam, quasi Jure Divino & Naturali fundatam propterea effingere, & extundere poterunt: quoniam neque Zozimus ipse, neque Patres Sardici istum Monarchicum Dominatum, ut Jure Divino fultum, asserunt. Ille enim suum Commonitorium Nicænis Canonibus obvallare nitebatur,

batur, & propterea Sardicos Canones pro Nicænis obtrudebat. Patres autem Sardici Hosio Cordubensis Ecclesiæ Episcopo referente ac postulante, in hunc modum decernunt: *Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis qui judicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo, ut per propinquos provinciæ Episcopos, si opus sit, judicium renovetur, & Cognitores ipse præbeat*, Canone tertio Sardico editionis Romanæ Conciliorum. His consideratè, ponderatis rogatos velim absolutæ Monarchiæ Patronos, quibus convitia, & cavillationes quam bona, & solida argumenta, multo magis sunt ad manum, ut nos comiter, si possunt, absque ullis sophisticis elenchis doceant, quibus machinis, & S. Augustinum, & cunctos Patres Africanæ Ecclesiæ ab Hæreseos, & Schismatis nota propugnare, & vindicare queant, dato quod hodierna *Monarchia Papæ* Juris sit Divini, ut eam esse adversarii vociferantur. Profecto memorati Patres Africanæ Ecclesiæ Zozimo Jus quoddam Monarchicum sibi in Ecclesias Africæ arroganti, & Jus Commune opprimere annitenti, animose, absque ulla religione aut conscientiæ scrupulo reluctantur: & continenter nobis demonstrant hodiernum Curiæ Romanæ Potentatum rem esse pure humanam, atque Arcanum istius Dominatus Monarchici, à multis seculis in perniciem Ecclesiarum, & Juris communis grassari. Porrò cum aliud sit loqui de Papa, aliud de sede Apostolica, ut Canonistæ docent *cap. si gratiose. de Rescriptis in Sexto*, & in Canonibus Sardicis solummodo fiat mentio de *Julio* Episcopo Romano, non de sede Apostolica: consurgit Canones Sardicos esse duntaxat provisorios pro illo tempore, non absolutos: atque Zozimum eos sub persona Canonum Nicænorum, non Sardicorum exposuisse, quo absolutos esse persuaderet.

Quinto ineunte seculo aut circiter, Patres primæ Synodi Ephesinæ viam Aristocratici regiminis à Nicænis & Constantinopolitanis Patribus tritam insistunt, atque Sanctorum communione inita, subductisque, & conscriptis Patrum suffragiis Nestorium exauctorant: literas quoque Synodicas Cœlestini P. P. I. hoc est, sententiam Romanæ Synodi Conciliariter examinant, & approbant. Demum Episcopis insulæ Cypri de Antiocheno Patriarcha conquerentibus, quod potestatem Episcoporum illius Insulæ ordinandorum sibi contra Canones & Consuetudinem addiceret, statuunt, *Unicuique Ecclesiæ sua Jura, & Libertates quas ex antiqua consuetudine à principio possedit, accuratè servari debere: cavendumque, ne sub Sacerdotalis muneris prætextu, secularis potestatis fastus subeat, ne libertatem paulatim imprudentes amittamus, quam nobis proprio sanguine dedit Dominus Jesus Christus, omnium hominum Legislator:* vide tomum secundum Collectionis Binii cap. quarto in Appendice Synodi Ephesinæ, & partem secundam Ephesini Concilii in editione Romana actione septima, atque Nomocanonem Photii Canone octavo Ephesinæ

Synodi,

Synodi, & ad hæc verba diligenter attende: *ne ſub Sacerdotalis muneris prætextu, ſecularis poteſtatis faſtus ſubeat, &c.* Siquidem clare prima abſolutæ Monarchiæ natilitia indicant, & Quæſtionem Juris Quæſtione facti ſæpiſſime oppreſſam, ut paulò ante monui. Omitto jam temporibus Apoſtolorum S. Joannem epiſtola tertia gravem exciviſſe querelam *adverſus Diotrephem, quod primatum in Eccleſiis gerere affectaret, & fratres qui à S. Joanne venichant de Eccleſia ejiceret.*

Anno quadringenteſimo quinquageſimo primo poſt Chriſtum incarnatum, Eccleſia univerſalis congregatur Chalcedone, atque *Dioſcorum* Patriarcham Alexandrinum, & *Eutychem* Archimandritam Conſtantinopolitanum ſanctorum Communione perquiſita damnat, atque literas Synodi Romanæ quas B. *Leo* P P. ſuper ejusdem Dioſcori, atque Eutychis exauctoratione conceperat, & conſcripſerat, velut Canonibus congruentes ratas, gratas habet, Actione tertia, quinta, & ſexta. Inſuper Actione decima quinta, nonò & decimo nono Canonibus, quintum Canonem Nicænum pro Juris communis vindiciis jamjam anteactis Conciliis multoties frequentatum inculcat, & explanat. Item Canone vigeſimo octavo, tertium Canonem Synodi Conſtantinopolitanæ de Prærogativa ſedis Conſtantinopolitanæ poſt ſedem Romanam non modò inſtaurat, verumetiam multis auget privilegiis, adjuncta eidem parte Illyrii verſus Thraciam, quæ anteaRomano Patriarchatui ſuberat. At quotusquiſque ſibi animum induxerit, Patres Synodi Chalcedonenſis hæc unquam auſos aggredi, ſi Romanum Epiſcopum, velut abſolutum Eccleſiæ Monarcham divinitus datum agnoviſſent? Sanè Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 8. ante medium ſcribit, *decretum de honore Sedium Patriarchalium ſicut à Concilio Nicæno factum fuerat, ita potuiſſe ab alio ſimili Concilio cum juſta ratione mutari:* Patres autem Chalcedonenſes ſe juſtam habuiſſe rationem id ſtatuendi, declarant epiſtola Synodali ad Leonem magnum, quia *hoc conduceret ad pacem & tranquillitatem Eccleſiarum, quæ Epiſcopis vitam finientibus crebrò graviſſimis motibus concutiebantur, dum Clerici & Populi caverent Rectoribus, & ordo Eccleſiaſticus confunderetur, idque Leonem nec latuiſſe teſtatur.*

Contra forſan opponet aliquis, Legatos Leonis, atque Leonem ipſum huic decreto Chalcedonenſi obſtitiſſe. Reſpondeo, illos pro cauſa ſuæ interceſſionis ſolum excepiſſe, quod Synodi Nicænæ Canones, quorum Leo vindex erat, ejuſmodi decreto violarentur. En verba Leonis: *Privilegia Eccleſiarum Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla poſſunt improbitate convelli, nulla novitate mutari: in quo opere auxiliante Chriſto fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeverantem* EXHIBERE FAMULATUM: QUONIAM DISPENSATIO MIHI CREDITA EST, *& ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ*

gulæ ſanctionum quæ in Synodo Nicæna ad TOTIUS ECCLESIÆ REGIMEN *Spiritu Dei inſtruente ſunt conditæ, me quod abſit, connivente violentur: & major ſit apud me unius fratris*, Anatolii ſcilicet Archiepiſcopi Conſtantinopolitani *voluntas, quam univerſæ domus Domini communis utilitas*, Epiſtola quinquageſima quinta Leonis ad Imperatorem Martianum; qua in Epiſtola nihil ſcribit aut ſpirat Monarchici, ut hæc clauſula convincit: *quo in opere exequendo, neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, &c.* Quibus verbis ſe merum diſpenſatorem Canonum gerit, ac ingenue Eccleſiam *Canone*, non *abſoluta Poteſtate* regi debere agnoſcit. Neque vero putandum eſt, ſapientiſſimum Pontificem fugiſſe decretum Synodi Nicænæ eſſe Juris mere poſitivi, atque immutari potuiſſe ut fatetur Bellarminus, ſed eum angebat quod ſciret; ſedem Romanam multa conſequutam privilegia propter urbem Romam quæ ſedes erat Imperii & princeps omnium Metropoleum, atque futurum prævidebat, ut tandem Eccleſia Conſtantinopolitana, quia Conſtantinopolis eſſet *nova Roma*, iiſdem gauderet immunitatibus, ac proinde tum demum æmula foret Romanæ Eccleſiæ in multis, quamquam Primatus ſine ulla controverſia Romanæ deferretur Eccleſiæ. Cæterum S. Leone Magno repugnante Canon 28. Synodi Chalcedonenſis de ſedis Conſtantinopolitanæ prærogativa poſt ſedem Romanam tum demum inveteravit: quoniam Leonis Magni ſucceſſores, cum totum Orientem, hunc Canonem in rem judicatam miſiſſe, & ſecundas Epiſcopo Conſtantinopolitano conſtanter deferre obſervarent, tandem manus dederunt veritati, *diſt.* 22. *Can. Renovantes.* Verum mihi pene exciderat monere Leonem aſſerere, *Canones Nicænos ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente conditos: & Eccleſiam Romanam* declarari *particularem Eccleſiam* hoc Canone 28. Synodi Chalcedonenſis, ſicut & tertio Concilii Conſtantinopolitani, & ſexto Nicæno ſupra laudatis.

In quinto, ſexto, ſeptimo, & octavo generali Concilio, libra & moderatio Ariſtocratici regiminis perpetuò decurrit: ita ut in ſciſcendis decretis communio & conſenſus Catholicus Eccleſiarum ſuaviter perquiratur: utque de ſexta Synodo Generali aliquid privatim obſervemus actione decima ſuggeſtio *Agathonis* Papæ, & Synodi Romanæ, *Canonice*, & *Conciliariter* expenditur à Patribus, & declaratur conformis canonibus: ſuggeſtionem appellant ſufficientem inſtructionem quam Pontifices Romani perferendam dabant ſuis Legatis ad Concilium Generale, de qua Axioma XXVI. Item Actione XII. & XVII. ejuſdem Synodi *Honorius* Papa tanquam Monotheleta damnatur.

Denique in octavo Concilio Actione ſexta, illi qui Photio adhærebant *cum cum geſta Nicolai* I. *PP. adverſus Photium Canonibus repugnare*, ET CANONEM IN REBUS ECCLESIASTICIS PRINCIPEM ESSE, AC DOMINARI *debere contenderent*; Metrophanes Smyrnenſis Eccleſiæ do-

ctissimus Metropolita demonstravit, quæcumque *Nicolaus* PP. & sedes Romana in Photium statuerat, conformia esse Canonibus, & consequenter validam esse sedis Romanæ sententiam contra Photium.

Ibidem actione x. plurimi eduntur Canones præsentibus atque assentientibus Legatis *Adriani* II. PP. quorum Canonum decimus septimus, vigesimus primus, & vigesimus sextus *Monarchiam Curialium* penitus evertunt. Hic ego sequor Acta Romanæ editionis Conciliorum, ne à quoquam repudiari queant. Et primo quidem Canon XVII. singulos Metropolitas suis subjicit Patriarchis, ita ut Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus tantumdem obtineant Juris in Metropolitas sibi subditos, quantum & Romanus Patriarcha in Metropolitas Occidentis. Accedit præterea *Romanam Ecclesiam* censeri *particularem Ecclesiam* more Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ; commoda aures, Lector. *Sancta & universalis* Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & Provincias quæ ab ipsa sunt: ita ut horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens quia in Romanorum Civitate hujusmodi mos prævaluit: qua pro causa & hæc Magna & Sancta Synodus tam in seniori, & nova Roma quam in sede Antiochiæ, ac Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus servari: Ita ut Præsules universorum Metropolitanorum qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii donationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos urgente necessitate ad Synodalem Conventum, vel etiam ad coërcendum illos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundum vocationem Apostolici præsulis occurrant, à mundi Principibus se detineri sine ratione causantur: placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam. Cum enim Princeps pro suis causis Conventus frequentur agat: impium est ut summos Præsules ad Synodos pro Ecclesiasticis negotiis celebrandum impediant, vel quosdam à Conciliis eorum prohibeant, licet tale impedimentum, & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus: Consueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque sicut dicunt ad Patriarchale penitus non posse concurrere caput. Sed sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multo magis illa novit rationabiliora esse ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à Patriarchali sede congregantur: & idcirco hæc fieri exigit: à Metropolita quippe unius quidem provinciæ dispositio efficitur: à Patriarcha vero sæpe totius causa diœceseos dispensatur, ac per hoc communis utilitas providetur: propter quod & speciale lucrum propter generale Bonum postponi convenit, cum à majoribus

bus super hæc facta fuerit advocatio : quamvis apud quosdam Metropolitanorum antiqua consuetudo, & Canonica traditio per contemptum ipsorum postposita videantur, non currentibus eis ad commune profectum : quos leges Ecclesiæ severe condemnantes, omni excusatione remota subjacere vocationibus proprii Patriarchæ, sive communiter, sive cum sigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur, *non posse Synodum absque principali præsentia celebrari*; cum nusquam Sacri Canones convenire seculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites. Unde nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis universalibus invenimus: neque enim fas est seculares Principes spectatores fieri rerum quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt. Quisquis ergo Metropolitanorum proprium Patriarcham contempserit, & vocationem ejus, quæ sive ad unum solum, sive ad plures, sive ad omnes sit : absque validissima ægrotatione, vel paganorum incursu non obedierit & per totos duos menses post notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minime festinaverit, vel si quocumque modo latitare, aut non cognoscere nuntium ab illo missum tentaverit, segregetur: si verò intra unum annum eandem contumaciam, & inobedientiam demonstraverit, deponatur omnibus modis & ab omni Sacerdotali operatione decidat, atque à dignitate & honore qui Metropolitanis convenit, propellatur. Is autem qui huic definitioni non obedierit, etiam ANATHEMA sit. Hunc Canonem integrum ideo exscribendum censui, quod nos doceat, nono seculo post Christum natum, Patriarcham Romanum nihilomagis fuisse Monarcham, quam alios Patriarchas: & dato quod Papa censeri debeat Monarcha respectu Ecclesiarum Occidentis, sequi etiam proportionatim & respective alios Patriarchas haberi quoque Monarchas in suo Patriarchatu: idque non magis detrahit primatui Papæ, quam æqualitas honoris, & potestatis in omnibus Apostolis, ut aliàs notavimus. Hæcque amplius comprobantur Canone XXVI. ejusdem Synodi octavæ his verbis: *Placuit & hoc sanctæ Synodo, ut quicumque Presbyter aut Diaconus à proprio Episcopo* depositus fuerit propter aliquod crimen, vel si quamlibet injustitiam se pati dixerit, & non acquieverit judicio proprii Episcopi, dicens eum suspectum se habere, & vel propter gratiam quam aliis quibusdam præstare voluerit, idcirco in se fuisse tale quid operatum: potestatem habeat ad Metropolitam ipsius provinciæ concurrere, & eam quam putat injustam depositionem vel aliam læsionem denunciare. Metropolita verò ille libenter suscipiat hujusmodi; & advocet Episcopum qui deposuit, vel alio modo Clericum læsit, & apud se cum aliis etiam Episcopis negotii faciat examen, ad confirmandum scilicet sine omni suspicione, vel destruendum per Generalem Synodum & multorum sententia Clerici depositionem. Similiter etiam Episcopos

concurrere ad Patriarchale caput decernimus, qui à Metropolitis ſuis talia ſe pertuliſſe fatentur, ut apud Patriarcham, & Metropolitas qui ſub ipſo ſunt, juſtam & ſine ſuſpicione ſententiam quod movetur negotium accipiat. Inſuper etiam nullo modo quiſquis Metropolitanorum vel Epiſcoporum à vicinis Metropolitis, vel Epiſcopis provinciæ ſuæ judicetur, licet quædam incurriſſe crimina perhibeatur: ſed à ſolo Patriarcha proprio judicetur. Cujus ſententiam rationabilem, & judicium juſtum ac ſine ſuſpicione fore decernimus, eo quod apud eum honorabiliores quique colligantur, ac per hoc ratum & firmum penitus ſit quod ab ipſo fuerit judicatum. Si quis autem non acquieverit iis quæ à *nobis edita ſunt, excommunicatus exiſtat.* Quo Canone ſicut & XVII. ſuperius edito, quintus & ſextus Canon Nicæni Concilii partim explicatur partim etiam quodammodo immutatur. Enimverò cum anteactis ſeculis Epiſcopi à ſuis Metropolitanis in Synodo provinciæ ſecundum Jus commune judicarentur: & à Synodo Provinciali ad Concilium Generale licitum eſſet provocare, ut ſupra docuerunt Patres Africani Epiſtola ad Cœleſtinum P P. tandem in octavo Concilio ſub Adriano II. conſtitutum eſt, ut ſinguli Patriarchæ, quiſque in ſua Synodo Patriarchali *proportionatim* & *reſpectivè* de cauſis Epiſcoporum ſibi ſubditorum tanquam maximi momenti cognoſcerent, relicta ſolummodo cauſarum minus illuſtrium, id eſt, Presbyterorum atque aliorum minimorum clericorum cognitione Archiepiſcopis, aut Metropolitis: quas majores cauſas Epiſcoporum, non quidem à ſolo Patriarcha aut Metropolitis, ſed *Synodicè* decidi volunt: & tantumdem Juris cæteris Patriarchis ſuper Eccleſias ſibi reſpectivè ſubditas addicitur, quantum Papa ſibi poteſt vendicare in Eccleſias Occidentis.

Porro Canon XXI. ejuſdem octavi Concilii explicatè decernit, Papam ſubeſſe judicio Generalis Synodi. Nam cum Photius prava & iniqua æmulatione Dioſcori, qui Leonem Magnum in Pſeudoſynodo Epheſina excommunicaverat, *Nicolaum I.* P P. inter abſtentos amandaſſet, atque Legati *Adriani* P P. II. de hac re conqueſti fuiſſent in octava Synodo, Patres in hunc modum decreverunt: *Quod ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta* fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia: oportere venerabiliter; & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos *ſenioris Romæ Pontifices.* Qua clauſula Synodus cavet, ne temerè & audacter more Dioſcori, & Photii feratur ſententia in Romanos Pontifices: non autem vetat, quominus inquiſitio diligenter fiat, & ſententia *Canonicè* pronuncietur, ſi res exigat.

His accurate ſubductis, nemo niſi forſitan meridie ſolem lucere dubitet, in ambiguum vertere poteſt, Juris communis, & Ariſtocratici regiminis moderationem

tionem novem primis seculis post salutem humani generis reparatam viguisse. Quamquam fatendum sit, Ecclesiam Romanam captasse occasionem suæ absolutæ Monarchiæ constituendæ in Occidente ex Canone 17. & 26. octavi Concilii generalis supra laudatis. Quibus Canonibus sancitur, *negotia majoris momenti ad caput Patriarchale deferri oportere.* Etsi enim antea Pontifices hoc sæpe tentassent in usum mittere in Occidente, ut tempore *Hincmari* Rhemensis Archiepiscopi de *Rhotado* Suessionensi Episcopo liquet: tamen cum vidissent Hincmarum & alios Galliarum Episcopos restitantes, ac Jus commune velle tueri, tum demum sub *Adriano II.* ejus legatis procurantibus hi Canones sunt conditi, quorum prætextu Episcopi omnium provinciarum deinceps sæpe evocati *ad limina Apostolorum*, ut vocant, & quæcumque genera negotiorum, etiam minima quæque, Romam abducta, atque etiam decreta Synodorum provincialium penitus antiquata sunt: sicque pedetentim Romanæ Curiæ potentia in eam speciem & amplitudinem quam intuemur efformata est, partim barbarie, & ignorantia temporum adjuvante, partim injecta religione Populis, & Politicis Principibus, & maxime postquam Imperium & Christiana religio cœpit exolescere in Oriente Turcarum & Sarracenorum incursionibus: tumque demum Imperatores Romani tota exacti sunt Italia, quæ sedes erat Imperii. Siquidem ducentis aut circiter annis post Octavum Concilium Generale, ævo *Gregorii* VII. P P. hæc formula concludendorum statutorum generalium à Romanis Pontificibus est adinventa: *Nos sacro approbante vel consentiente, aut suadente Concilio decernimus, definimus &c.* Qua clausula, velut potentissima securi explicitus Ecclesiarum consensus, & liberrima Sanctorum communio cum Ariostratica moderatione penitus excisa & abrogata sunt. Cujus formulæ permulta extant monimenta in Conciliis postremorum seculorum sub *Alexandro* & *Innocentio* III. in Conciliis Lateranensibus, atque aliis quæ dehinc sunt *Monarchicè* actitata. Tandemque Ecclesia Catholica in Synodo Constantiensi, & Basileensi lacertos movit, ut antiquam disciplinam & definiendi regulam per singulorum Patrum consensionem quasi jure postliminii revocaret: hocque ut proclivius adipiscerentur, & ne una solaque natio Italica quæ, ut jam dixi tot habet Episcopos quot oppida, cæteras nationes suffragiorum numero vinceret, Patres Constantienses, & Basileenses, Concilium in quinque Nationes Italicam, Gallicam, Germanicam, Hispanicam & Anglicam distribui, ac primum suffragia *tributim*, & *nationaliter*, deinde *Synodice*, & *Concilariter* concludi voluerunt, sicut assolet in Academiæ Parisiensis comitiis, ubi natio Gallicana, quamquam numero hominum alias superet nationes, tamen unica tantum voce aut suffragio more aliarum Nationum contenta est. Qua ex ratione procedendi contigit, ut statutum fuerit Papam directivo & coactivo Ecclesiæ ac generalis Concilii judicio subjici, at-

que insuper octodecim articuli pro Ecclesia in Capite & in Membris reformanda concepti fuerint Constantiæ sessione 40. Qui articuli magna parte in rem judicatam à Patribus Basileensibus, & Gallis sanctione pragmatica Caroli VII. missi sunt. Sed proh dolor! hæc Ecclesiæ reformandæ ratio tum demum in Synodo Lateranensi sub Julio II. & Leone X. vi majore est penitus antiquata: quoniam Julius II. armatus quidem hanc Synodum celebravit, ut Guichardini historia, & Acta secundæ Synodi Pisanæ fidem faciunt. Nihilominus Curiales Theologi persuadere nituntur, Conventum Lateranensem Oecumenicum esse Concilium: id autem nisi sua absoluta Monarchia nunquam consequentur, quæ quanto est apud homines munitior, tanto & apud Deum imbecillior. Agedum homines in veram solidamque pietatem, & Ecclesiæ emendationem bene animati audiant Basileense Concilium, quasi spurium ex editione Romana Conciliorum fuisse expunctum atque abrasum: & ultimam Synodum Lateranensem quæ sacras electiones velut Schismaticas abrogavit pro Oecumenica, & Canonice facta nobis obtrudi. Quamquam tamen certum sit, in Synodo Lateranensi nullos ferme alios Episcopos quam ordinarios Curiæ Romanæ asseclas suffragium tulisse ex voto Papæ: & nihil quicquam secundum leges Aristocratici regiminis, & liberæ communionis Sanctorum Synodice constitutum: sed cuncta absoluto imperio ab armatis Pontificibus Julio II. & Leone X. imperata fuisse. Quocirca ad hominum cœcitatem illuminandam, quemadmodum Deus permisit ut illo ipso tempore quo Romani Pontifices suam absolutam Monarchiam primum in Ecclesiam effundere, atque omnia pro arbitrio miscere voluerunt, Turcicum imperium sensim radices ageret, & propagaretur: Ita illo ipso anno quo abrogatione sacrarum electionum & decretorum Basileensis Synodi, Ecclesiæ reformatio quasi desperata, & absoluta Curiæ Romanæ potentia ad summum evecta fastigium credebatur, hæresis Lutheri emersit: ac non modo istam despoticam & temporalem Monarchiam, verumetiam ipsum primatum Petri divinitus institutum, permultaque alia Christianæ religionis Mysteria oppugnavit suoque errore Lutherus majorem Europæ partem ab Romanæ matricis Ecclesiæ gremio defregit, atque avulsit. Qua ex strage tantum abest ut Curia Romana ejusque assecla instar Adami post peccatum, ad suam nuditatem, id est, humanorum Consiliorum imbecillitatem attendere voluerint: cum potius quanto Schismata longius latiusque in dies singulos serpunt, & Ecclesiam depascuntur, tanto magis nervos suæ absolutæ potestatis & Monarchiæ in homines sibi morigeros, atque unitatem Ecclesiæ servantes, & supra omnia adamantes intendant, ac libros certatim *de temporali Ecclesiæ Monarchia contra impios Politicos, deque Regibus abdicandis scribere continuent:* cujus rei testes sunt Bozii, Carrerii, Belarmini, Becani, Suaris, & aliorum Lucubrationes. Quibus incœptis nemo probus, vereque

vereque pius, ac Pacis atque unitatis Ecclesiæ amans est, qui prima inclinatione oculorum non videat, illos Christianis Principibus viam ad schisma instruere, atque universam politiam & publicum ordinem Christianæ reipublicæ vehementer conturbare: eamque ob rem non magnopere præsentem Ecclesiæ statum defleat, si tamen palam atque impune lugere fas est: quoniam illi qui etiam moderatione servata, Ecclesiæ & Religionis Catholicæ ruinam lamentantur, & sese novis adinventionibus hominum clausis oculis non immergunt, vix ac ne vix quidem suspicionem hæreseos devitant: quod ipsum olim B. pariter Hieronymo contigisse Severus Sulpitius narrat initio primi Dialogi de virtutibus Monachorum Orientalium *propterea quod vitia Clericorum insectaretur*: quæ vitia si cum hodiernis comparentur, quasi virtutes micabunt. Proculdubio recte dictum est à S. Basilio Epistola x. ad Gregorium Nazianzenum ubi de fastu & superbia Occidentalium ingemiscit, *tanto magis dominandi libidinem augescere, quanto Ecclesiæ impotentiores redduntur*: Id est ad pauciores homines rediguntur. Annon tota Ecclesia discissa, atque horrendis Schismatibus dissipata, jam tempus est respiscendi, atque Ecclesiæ gubernationem ad aliquam tolerabilem mediocritatem revocandi? O temporum nostrorum si alias unquam deploranda calamitas, & miseria! Ostendant anteactis retro seculis, ea quæ hodie pro Catholicis dogmatibus & regulis invehere moliuntur, aliquando in usum venisse, & ea unquam incidisse tempora, quibus neque permitteretur Ecclesiæ ad suos nævos eluendos liberam & Canonicam Synodum habere, nec cuiquam de morum atque disciplinæ Ecclesiasticæ corruptela luctum coram facere! Amabo quidnam hoc aliud est, quam profiteri statum Ecclesiæ eo miseriarum delapsum præcipitem, ut jam neque vitia nostra, neque ulla remedia pati queamus.

APO-

APOLOGIA
PRO
JOANNE GERSONIO.
PARS III.

De primatu Petri, ſacris electionibus, Hirarchico ordine, Paſtorum reſidentia, & immunitatibus Eccleſiaſticorum.

AXIOMA XXX.

De ſtatu aut principatu Monarchico Eccleſiæ, & ejus naturali Objecto: atque Chriſtum B. Petro tanquam Oeconomo, & Vicario ſuo, Capitique miniſteriali Eccleſiæ, ſolum exercitium, & exequutionem regiminis, non autem abſolutum regimen contuliſſe: & de triplici Poteſtate qua Pontifex hodie utitur fruitur: ac de differentia inter Monarchicum principatum Eccleſiæ; & ducis Venetiarum: depulſio Argumentorum pro abſoluta Papæ Monarchia.

XLI. CUm Dominus noſter apprime cognoſceret, quantum juſto atque neceſſario regimini Eccleſiæ humana poſſet obeſſe infirmitas, omnemque occaſionem ſuperbiendi, ac ſeſe negotiis ſecularibus immiſcendi Prælatis Eccleſiæ, quatenus Clerici ſunt, auferre vellet, B. Petrum externum duntaxat, & miniſteriale Caput, fundamentum, & petram Metaphoricam, ſymbolum, & figuram Eccleſiæ; ac ſignum viſibile Capitis, & Monarchæ eſſentialis Chriſti, paranymphum unionis ſponſæ cum Chriſto ſponſo, & communionis S S. Oeconomum aut diſpenſatorem, Vicarium atque Proregem ſuum in ſola facultate paſtoritia Miniſteriali ſpirituali conſtituit: quæ quidem facultas in dilectione & charitate fundatur: ideoque omnium mitiſſima & ſuaviſſima eſt Eſaiæ 40. *Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit Agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.* Et Joannis 10. *Ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Item Matthæi 13. *Non contendet neque clamabit: arundinem quaſſatam*

non confringet, & linum fumigans non extinguet. Et cap. ultimo Joannis: *Si diligis me, Petre, pasce Agnos meos, pasce oves meas.* Quocirca in morem gallinæ pullos sub alas congregantis Matthæi 23. aut blandæ nutricis puerulos adlactantis de grege solicitus esse, ac sese exinanire debet Christi domini, & Apostolorum exemplo: unde Apostolus capit. 2. prioris ad Thessalonicenses, *facti enim sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Accurrit & glossa celebris Augustini ad cap. 21. Joannis: *Pasce Agnos meos, non ut tuos, gloriam meam in eis quære, non tuam; mea lucra, non tua: quia dilectio Dei probatur dilectione proximi.*

Quod vero Matth. 16. Dominus ait Petro, *Tu es Petrus, seu potius Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* locus est plane Metaphoricus, & Allegoricus, ex quo secundum omnes Logicæ figuras, aut Theologiæ regulas quantumvis ampliatas, atque detortas, nullus quicquam aliud colligere aut extundere valet, præter Primatum. Quod ut fiat peropus certè est multiplici atque exacta ratiocinatione, ad evolvendam naturam & analogiam Christi Petræ & fundamenti absoluti ac primarii cum Petro, qui est Petra symbolica; Fundamentum secundarium, & similitudinarium. Item ineunda est convenientia & differentia Domini absoluti gregis, & Pastoris aut opilionis ovium brutarum cum Pastore hominum: quia Prælati non eo modo hominibus imperant quo Pastores brutis ovibus. Et ita claret hoc ipso, regimen Aristocraticum (quod innititur potestati clavium immediate, & indivisim Apostolis traditæ) à Primatu differre, quod Aristocratia, clarissime ex Scripturis absque ulla ratiocinatione eliciatur, & cognoscatur, Axiomate XIV. Primatus autem liquidò cognosci nequeat sine varia, & multiplici cogitatione animi: hinc enim sexties ad minus ratiocinandum est. Consule VI. Axioma cum Observationibus. Hercle Cardinalis Alliacenus cap. ultimo de Ecclesiæ Auctoritate rectè observat, *Christum non dixisse Petro, Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam tuam, & portæ inferi non prævalebunt contra te: Pasce oves tuas; &c. Sed ædificabo Ecclesiam meam super hanc petram, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Pasce oves meas, &c.* ut ostenderet Petrum non esse Dominum, sed opilionem gregis, atque omnia damna quæ ejus culpa gregi contingerent præstare: eique juxta Leges Aristocratici regiminis Euangelio consecratas debere consulere: cujus rei illustrandæ causa usui esse potest responsum Jacob ad Laban socerum suum cap. 31. Geneseos, *captum à bestia, & damnum omne reddebam, quicquid furto peribat à me exigebas: die noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, &c.* Quicquid verò est concessum auctoritatis Petro his verbis, *Dabo tibi Claves regni cælorum, &c. Matthæi 16. & Joannis 21. Pasce oves meas, &c.* prius atque eminentius competit Ecclesiæ, Axiomate XIV. cujus rei causam reddit B. Augustinus 24. *Quæst.* 1. *Can.*

Quod-

Quodcumque. versu. Si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus quando Claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit, &c. Siquidem Dominus Petro potestatem confert velut figuræ & symbolo Ecclesiæ, & consequenter omnes dotes, & privilegia etiam Petro seorsim & privatim delata, immediatius, & magis proprie congruunt Ecclesiæ quam uni & singulari Petro. Qui quidem si *materialiter* consideretur ut Christianus, universum populum gubernandum, si vero *formaliter*, tanquam Pastor & Sacerdos, totum ordinem Hierarchicum, & continuo sub hac duplici notione Ecclesiam universalem refert, cui Dominus Sacerdotium suum cum Potestate clavium immediate, indivisim, & in commune detulit: activè quidem Sacerdotibus ut regant; passivè autem populo fideli ut regatur. Quocirca B. Augustinus Commentariis in Psalmum centesimum octavum statuit facultates Petro concessas à Domino, *non habere illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter Primatum quem in discipulis habuit.* Nam propter quod unumquodque est tale, illud magis tale.

Cæterum Pontifex Romanus triplici hodie utitur fruitur potestate: quarum prima consistit in Primatu qui est institutus à Deo, ac proinde *formaliter* consideratus Juris Divini immutabilis est: Primatus autem est primus, atque eminentissimus gradus Sacerdotii Christi, quo Papa supra alios Episcopos excellit, sicut Episcopi Jure Divino excellunt supra simplices Presbyteros, quæ altera species est Primatus: unde Episcopi *Principes Sacerdotum* vocantur à Patribus. Secunda potestas Papæ est Juris Ecclesiastici, quam partim consuetudine, partim à Canonibus, & Ecclesiæ consensu adeptus est: quare Canonibus, & Ecclesiæ consensu pariter regi debet. Tertia est potestas temporalis, quam habet velut Princeps politicus in *Patrimonium S. Petri* quod nuncupant: quam potestatem partim Pipini, & Caroli Magni Regum nostrorum donatione & liberalitate, partim Jure Gentium & præscriptionis, more aliorum Principum politicorum collegit: de qua inpræsentiarum nullus nobis sermo. Huc & Valentiniani Augusti Novella adgreganda Titulo vigesimo quarto Novellarum Codicis Theodosiani *de Episcoporum ordinatione*: quam Leo Magnus contra Sanctissimum Episcopum Hilarium Arelatensem impetravit: qua declaratur potestatem Episcopi Romani à triplici fonte manare; *nimirum à B. Petri merito, à dignitate Civitatis Romanæ*, quæ princeps est omnium Metropolium, *& à Synodorum auctoritate*, genuina sunt verba Imperatoris, quibus edocemur, hodiernam Papæ Monarchiam ut Juris Divini, ne quidem B. Leoni cognitam fuisse: quamquam omnium maximè privilegia B. Petri sæpe contra veritatem in sua causa ampliarit, asserens Christum universam potestatem Ecclesiasticam uni Petro, non toti Ecclesiæ collectim sumptæ, detuliſſe: *atque ab ipso quasi quodam capite dona sua voluisse in omne Corpus Ecclesiæ ma-*

nare, ut ex sortem se Mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Quæ postrema verba æquivocatione illudunt Lectori, quoniam soliditas Petri non semper adest Romano Pontifici, nisi Legem Divinam, Naturalem & Canonicam observet; ac certissimum est cæteros Episcopos, sicut & Romanum suam habere auctoritatem immediatè à Deo, quemadmodum & cæteros Apostolos à Christo, non à Petro, ut Axiomate XIV. demonstratum est. Sane Honoratus Massilienſis Episcopus aut quicumque alius vitam B. Hilarii Arelatensis scripsit, de illo quem optimè noverat, ut de viro Apostolico loquitur, testaturque controversiam de Chelidonio Episcopo Vesontinensi causam præbuisse B. Leoni Hilarium opprimendi; quia nimia libertate Hilarii offenderetur, & Ecclesias Canonibus secundum decreta Conciliorum Hilarius regi flagitaret. Quam controversiam paucis referre necesse est. Id enim ad Primatum & Canones pro quibus velitamur, magnopere attinet. Causa ergo est ejusmodi: Quoniam Canonibus est definitum ut negotia provinciæ Synodo provinciæ decidantur, Axiomate XXIX. & tota Gallia rumor erat Chelidonium Vesontinensem Episcopum plane indignum esse Sacerdotio, quippe qui olim viduæ maritus, & judex litium capitalium fuisset in seculo, quod est Canonibus prohibitum Sacerdotibus: omnes Galliarum Episcopi præside Hilario Arelatensi Synodum super ea controversia celebrant, cui Sanctus Germanus Antissiodorensis Episcopus interfuit, estque Chelidonius auditus multisque etiam testibus fide dignis auditis, omnium Episcoporum suffragiis exauctoratur. Sed ut hoc Synodali judicio absolveretur, sese Roman ad Leonem Magnum, sicut olim Appiarius Siccensis Ecclesiæ Africæ Presbyter ad Zozimum contulit. Quod ubi comperit Hilarius, testimonio rectæ conscientiæ fretus, intrepidus Romam sine sago, dura hyeme pedes omni difficultate itineris superata festinus properat Apostolorum atque S S. Martyrum occursu peracto, beato Leoni illico se præsentavit cum reverentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret: adstruens Chelidonium apud Gallias publicam merito excepisse sententiam, & nihilominus in urbe sacris altaribus interesse. Rogat atque constringit B. Leonem ut si suggestionem suam libenter excepit, secrete jubeat emendare: se ad officia, non ad causam venisse, protestandi ordine, non accusandi; quæ sunt acta in Synodo, suggerere: porrò si aliud velit, se non futurum esse molestum. Qua libertate Hilarii B. Leo exacerbatus, eum Epistola ad Episcopos Viennensis provinciæ accusat, *quasi se B. Petro Apostolo non pateretur esse subjectum, atque Ecclesiarum statum, & Concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaret.* Attexit insuper, se defectu probationum adversus Chelidonium, illum absolvisse, &c. Sed auctor vitæ Hilarii de B. Leone atque Hilario loquens hæc narrat: Et quia, inquit, tantorum virorum præsertim jam ad supernam gratiam

gratiam vocatorum, nec in narratione audeo judicia ventilare, hoc breviter tetigisse sufficiat, quod Hilarius solus tantos sustinuit, quod nequaquam minantes expavit, quod inquirentes edocuit, altercantes vicit, potentibus non cessit: quod in discrimine vitæ positus communioni Chelidonii quem cum tantis viris Galliarum Episcopis scilicet damnaverat, conjungi nullatenus acquievit: quod custodibus à Præfecto urbis rogante Leone Magno appositis hyemis rigore sæviente, quos ratione non flexerat, credit relinquendos: In Civitatis recessu, licet corporali infirmitate fractus, tamen perfectione sanctus, & pietate sanctissimus totum se ad placandum tunc animum sancti Leonis inclinata humilitate convertit, misso primitus S. Ravennio tunc Presbytero: postmodum proprio successore: deinde S. Nectarium, sanctumque Constantium præcipuos Sacerdotes, &c. Postea Scriptor hujus vitæ sententiam Præfecti urbis de Hilario in hunc modum subnectit. Auxiliaris tunc Præfecti quæ fuerit sententia, credidi inserendum, cujus hæc verba sunt: Sanctos Nectarium, & Constantium Sacerdotes cum Beatitudinis tuæ parte venientes digna admiratione susceptui, cum iis sæpius sum loquutus de virtute animi atque constantia, contemptuque rerum humanarum qui inter fragilitates nostras semper beatus es. Nam quid potest in hac corporea vita esse secundum, quæ cum sit misera, tamen non potest esse perpetua? Loquutus sum etiam cum Sancto Papa Leone, hoc loco credo aliquantum animo perhorrescis, sed cum propositi tui tenax sis, & semper æqualis nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum Beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari. Sed impatienter ferunt homines, si sic loquamur, quomodo nobis conscii sumus: aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur, quibus si se Sanctitas tua subinde dimittat, plurimum tu nihil perditurus acquiris. Da mihi hoc, & exiguas nubes parvæ mutationis serenitate compesce. Hactenus auctor vitæ Hilarii qui se præsentem fuisse exequiis illius, & claruisse miraculis, ac cives Arelatenses solitos jurare *per Sanctum Hilarium* testatur: estque valde dolendum, quod tam anguste, & jejunè de tanto viro scripserit, quasi sua Lucubratio à viris tantum sui seculi quibus gesta Hilarii notissima erant, legi deberet: quæ causa est, ut sæpe divinandum & conjiciendum sit quid velit: At subsidio nobis fuerunt Epistolæ B. Leonis ad Episcopos Viennenses provinciæ: unde nomen Chelidonii & causam quamobrem damnatus sit excerpsimus. Vide Chronologiam sacræ Insulæ Levinensis. Cæterum hæc controversia non ei dissimilis est quæ Patribus Africanis cum Zozimo, Bonifacio & Cœlestino Papa intercessit in causa Appiarii de qua paulò antè disputavimus: in vtraque enim certatur, utrum Canones, & judicium Synodale integrum manere debeat. Neque B. Leo aliud contra objicit quàm non satis probata fuisse quæ adversus Chelidonium dicebantur. *Quasi*

vero, ut Patres Africani Cœleſtino reſponderunt, *ſit credibile, Deum unicuilibet poſſe inſpirare examinis juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus illam denegare.* Quis credat, hujus controverſiæ examen non multo facilius potuiſſe fieri in Galliis, ubi teſtes innumeri erant oculati quam Romæ: & Hilarium, Sanctum Germanum Antiſſiodorenſem atque innumeros alios ſanctiſſimos Galliarum Epiſcopos non exactiſſime teſtes examinaſſe. Certe Præfectus urbis dum refert *homines impatienter ferre, ſi ſic loquamur, quo modo nobis conſcii ſumus & aures Romanorum quadam teneritudine plus trahi, &c.* non obſcure indicat, Leonem Magnum habuiſſe aures nimium delicatas, nec pati potuiſſe Hilarium, qui artes aulicas minimè noverat, ſibi verba facere tanquam Epiſcopo & Conſacerdoti pro Canonum & Synodorum libertate: jamjam enim illo ſeculo Monarchia hodierna radices agebat: hoc tantum intererat, quod eam ut Jure Divino inſtitutam venditare non audebant. Cum ergo B. Leo judicio Eccleſiaſtico adverſus Hilarium vitæ, ſanctimonia & integritate celeberrimum apud omnes nihil poſſet, auctoritate Valentiniani Auguſti, Primatum ſuum, & facultatem ordinandorum Epiſcoporum Viennenſis Provinciæ ei abrogavit, quaſi eam ſibi aſſumpſiſſet, & non antiqua conſuetudine poſſideret. Siquidem Imperatores ad Romani Imperii atque Urbis æternæ dignitatem ſpectare ducebant, ut omnes alii Epiſcopi Romano Epiſcopo tanquam Monarchæ parerent, ſicut Novella Valentiniani his clauſulis declaratur: *Cum igitur ſedis Apoſtolicæ Primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ, Romanæ dignitas Civitatis, Sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius inlicitum præſumptio adtentare nitatur. Tunc enim demum Eccleſiarum Pax ubique ſervabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat univerſitas, &c. Verum ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis omnibuſque pro Lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas. Ita ut quiſquis Epiſcoporum ad Judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſervatis quæ Divi Parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Hactenus Novella. Jam ergo ſcioli prodeant, & abnegare audeant *typhum ſeculi*, ut Patres Africani loquuntur, *in Eccleſiam à Romanis Epiſcopis effuſum* Axiomate XXIX. atque hodiernam Papæ Monarchiam ab humanis inſtitutis nequaquam ortum ſuum repetere? Iſtuc pariter referre oportet quod Beda tractatu de ſex ætatibus Mundi memorat, *Phocam Imperatorem, rogante Bonifacio III. Gregorii Magni ſucceſſore, ſtatuiſſe ſedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia Conſtantinopolitana primam ſe omnium*

omnium Ecclesiarum scribebat. Quod Phocæ edictum, ad Juris Divini pro Petri Primatu declarationem, & exequutionem spectat, non autem alia quæ fiunt contra Canones & causas essentiales potestatis Ecclesiasticæ.

Profectò recta ratio justaque disciplinæ & politiæ Ecclesiasticæ moderatio effecit, ut cum Patres antiqui ex Sacris Scripturis Primatum Petro delatum à Domino colligerent, una quoque ad ordinem, & unitatem servandam, vitandaque Schismata decernerent Primatum ad Petri successores dimanasse. Ecquis enim sanæ mentis sibi animum inducat, Christum omnis legitimæ potestatis atque ordinis auctorem ac vindicem, (*Nam quæ sunt, à Deo ordinata sunt* Roman. 13.) Primatum in uno Petro finiendum instituisse? quando certissimum est, nullam familiam, nullum sodalitium, aut Collegium absque aliquo Primatu aut Principatu unquam extitisse? Quapropter olim cum Lacedæmonius quidam, civem Athenienſem impensius Democratiam laudantem audiret, ab eo appositè quæsivit, quidnam ergo causæ esset, cur hanc gubernandi formam domi suæ non institueret? Certe tantumdem pro retinendo Primatu, quantum pro absoluta Monarchia exscindenda pugnare debemus. Quod si quis insurgat, dicatque; Sacerdotium aut Episcopatum Domini in indivisibili consistere, & Claves in commune datas omnibus Apostolis, illosque & dignitate & potestate pares extitisse, auctore Cypriano: ac proinde Papam supra alios Episcopos nihil obtinere, cum omnes Episcopi indivisim, & in commune Apostolis succesſerint, atque etiam ex æquo ipsimet Petro succedant in Sacerdotii Christi administratione. Repones, hæc quidem vera esse de Christi Sacerdotio & potestate Clavium, non de Primatu qui seorsim & separatim Petro creditus est, ut sua morte illum consensu Ecclesiæ transmitteret ad sedem, & Ecclesiam in qua ultimo pedem defigeret, ac vitam obiret. Etsi enim vita hominis Ens sit successivum in continuo motu per totum sui spatium consideranda, nihilominus ut Solon post Sapientem Hebræum dicebat Ecclesiastici xi. habenda præsertim est ratio extremæ clausulæ. Unde Theologi docent, quanquam singulæ periodi vitæ Christi seorsim sumptæ plus satis ad generis humani redemptionem conducant; attamen Christum rationem suæ passionis & mortis tanquam ultimi, atque perfectissimi termini voluntatis, & Testamenti sui, quod sola morte confirmatur, potissimum haberi voluisse. Itaque contendimus, Primatum, qui ante supremum diem Petri ambulatorius fuerat propter officium Apostolatus, tandem sedi, & Ecclesiæ Romanæ cum omnibus privilegiis quæ Primatum sequuntur, addictum: ob eamque causam Antiochena Ecclesia in qua obiter tantum, non finaliter sedit, non potest de hac prærogativa cum Romana Ecclesia contendare, in qua Petrus diem supremum exegit. Quandoquidem mors Petri ejusdem intensionem atque voluntatem de Primatu in Romana Ecclesia figendo declarat: neque uspiam gentium commodius

dius ad promulgationem Euangelii defigi poterat: communiſque Patrum conſenſus, qui Petrum Romæ mortuum perhibent, Canoni Catholico Generalis Concilii æquipollet hac in parte. Neque vero obſtare poteſt, quod Eccleſia, ſi ei bonum, & expediens videatur, poſſit hodie Primatum aliò tranſportare. Cum enim Primatus architectonice, per proprietatem, atque dominium inſit Chriſti Sacerdotio quod toti Eccleſiæ creditum eſt, ut illud unà cum ipſo Primatu propaget, inde fit, ut Eccleſia ob juſtam & neceſſariam cauſam Primatum quocumque voluerit, transferre valeat: quemadmodum ſi è re fuiſſet Eccleſiæ, poterat imperare Petro, ut alibi quàm Romæ ſedem conſtitueret.

Verumenimvero, qui in Primatu ſedis Apoſtolicæ ea quæ Juris ſunt Divini ab iis quæ Juris ſunt humani, minimè ſecernunt, in graviſſimos errores prolabi neceſſe eſt, ſicut omnibus abſolutæ Monarchiæ patronis uſu evenit. Dato autem Primatu, ut divinæ inſtitutionis *formaliter, objectivè, & quoad eſſentiam*, tria inde Conſectaria evidenter & neceſſario inferimus: quibus ex Conſectariis pronum cuique erit elicere, quodnam ſit naturale Objectum Primatus, id eſt, quouſque Plenitudo poteſtatis Papæ ſecundum Legem Divinam, & rectam Rationem ſe extendat: primum Conſectarium eſt, Papam habere ſedis, ordinis, honoris, & ſuffragii prærogativam ſuper omnes alios Epiſcopos, & debere Conciliis, ſi modo eis interſit, præſidere, eaque ut ſuperius dictum eſt, inita multitudine ſuffragiorum concludere, Axiomate XXVI. De hac autem Sedis, atque Ordinis prærogativa lege Canonem ſextum Nicænum, tertium Conſtantinopolitanum, & 28. Chalcedonenſem. Alterum Conſectarium eſt Romanum Epiſcopum eſſe vindicem atque exequutorem Legis Divinæ, Naturalis, & Canonicæ, ſive Regiminis Ariſtocratici Eccleſiæ erga particulares Eccleſias: ita tamen ut ſi de hac exequutione aliqua naſceretur controverſia, eam Synodicè decidi oporteret: quia ſuprema poteſtas Eccleſiæ in Synodo habitabat, Axiomate XX. XXI. XXIX. Tertium Conſectarium eſt, Synodum Generalem *regulariter & ordinariè* abſque conſenſu & ſententia Romani Epiſcopi legitimè petita vel impetrata haberi non poſſe, conformiter ad Regulam ſeu Canonem Eccleſiaſticum cujus Socrates lib. ſecundo Hiſtoriæ cap. quinto, & 13. Item Sozomenus lib. tertio cap. nono meminit. Quam Regulam non legimus in aliqua Synodo conditam, ſed more, & conſuetudine quæ Canoni æquivalet introductam Eccleſiæ primitivæ temporibus: puta quando Imperatores Concilia Generalia omnibus Patriarchis: imò & Metropolitis plerumque indicebant, ut aliàs demonſtravimus. Quartò decretum eſt in octava Synodo, ut rerum graviorum appellationes ad ſedem Patriarchalem deferantur. Profectò ſtante Conſtantinopolitano Imperio, & Eccleſia Orientali, plenitudo poteſtatis Primatus Romanæ Eccleſiæ, his quatuor Conſectariis contenta & circumſcripta erat.

Sed

Sed inclinante Imperio, & Religione Christiana in toto Oriente propter effusionem Turcarum, absoluta Papæ Monarchia paulatim obrepsit, cum Ecclesia Latina ad paucas nationes Europæ redigeretur, nec Patriarchæ Orientis amplius disciplinam, & gubernationem Ecclesiasticam in æquilibrio continebant, ut antea consuetum erat. Tum enim soli Pontifices Romani de rebus Ecclesiasticis pro suo arbitrio etiam extra Synodum Canonicam sciverunt. Cui operi Gregorius VII. teste Onuphrio in illius vita, quam Gretserus edidit in lucem, supremam manum imposuit *suis Dictatibus imperiosis*, qui leguntur lib. 2. Epistolarum Gregorii VII. post Epistolam quinquagesimam quintam. Quo seculo electio Papæ Cardinalibus diversarum Nationum Europæ credita est, magno quidem & singulari humanæ Sapientiæ Arcano: quoniam tum omnes Christianæ Nationes Europæ ad Papatum sive absolutam Curiæ Romanæ Monarchiam tutandam zelo indiscreto scientes, prudentesque obstrictæ & devinctæ sunt: unde innumera mala dehinc prodierunt. Et doctores Scholastici, Monachi præsertim, atque inter alios S. Thomas, ex Analogia gubernationis Monarchiarum temporalium, & praxi regiminis Ecclesiæ quod suo seculo obtinebat, placita Monarchiarum secularium in Ecclesiam (quæ spiritualiter secundum leges à Christo positas regi desiderat) introduxerunt: atque Papam velut absolutum infallibilem Monarcham Ecclesiæ; & Romanam Ecclesiam, quamquam particularis sit Ecclesia, pro universali Ecclesia coli voluerunt: quo privilegia & immunitates contra Jus Commune, & Regimen Aristocraticum sibi concessas proclivius defenderent, ac invitis ordinariis retinerent. Cum autem hujus absolutæ Monarchiæ dominatus in immensum excresceret, omnibusque esset formidolosus, quia in omnium jura pervaserat, tandem Patres Constantienses hanc Monarchiam ad bonum & tolerabilem usum *mitigare*, & emendare annixi sunt; *subjiciendo Papam, & Romanam Ecclesiam Regimini Aristocratico Ecclesiæ, atque directivo & coactivo judicio Concilii Generalis*, Axiomate 11. De Papæ autem Monarchia obiter tantum egerunt, octava sessione Articulo 41. errorum Joannis Wicleff, ut Axiomate XI. notavimus. Estque amplius observatione dignum, ante tempora Synodi Constantiensis nullum ab Ecclesia decretum exisse, quo Christiani tenerentur Papam velut Monarcham Ecclesiæ venerari, & suspicere. Quandoquidem hodiernus Papatus, & S. Petri Primatus res sunt valde differentes: & quanquam Ecclesiæ Romanæ Primatus radix, & fundamentum existat Ecclesiasticæ Monarchiæ quam intuemur, tamen non omnis Primatus aut Principatus natura sua Monarchicus est; ut de primo præside Parlamenti, & duce Venetiarum claret. Itaque ut primatus Ecclesiæ Romanæ evaderet Monarchicus, longa Ecclesiæ praxi, & consuetudine, nec-non etiam constitutione Patrum Synodi Constantiensis opus fuit. Hic enim ut olim in primitiva Ecclesia, mos anti-

quus & consuetudo Canoni æquipollent, modo Legi Divinæ aut Naturali non adversentur, Axiomate III. & IV. Præterea v. observavimus, *Antequam quæstio sufficienter eliquata fuerit universali Concilio, tum humanæ infirmitatis errorem cooperit Charitas unitatis.* Itaque quotquot hodie Synodi Constantienſis decreta respuunt, ut omnis absolutæ Monarchiæ architecti, nos ad Canonem sextum Nicænum, de Patriarchatuum origine, & distributione, & ad tertium Constantinopolitanum, 28. Chalcedonensis Synodi, & 17. ac 26. octavi Concilii Generalis ablegant, efficiuntque ut solummodo Papam pro Primate habere, & tenere debeamus: adeò ut cuncta ejus gesta Synodo decerni, & probari necesse sit, conformiter ad quintum Canonem Nicænum, & praxin exhibitam Axiomate XXIX. sicque illorum Monarchia funditus perit. Verum quia ego semper præ me tuli, iterumque profiteor, me fide Catholica Synodi Constantienſis decretis adhærere, quibus etiam Ecclesiæ definitionem propter Regiminis Aristocratici temperamentum, conformem effeci Axiomat. I. & II. eam ob rem nobis explicandum restat, quænam amplius consectaria erui valeant ex forma Monarchiæ Pontificis Romani, quam Synodus Constantienſis approbavit & explicavit. Primum est quod Papa regulariter & ordinariè præditus sit auctoritate indicendi, & convocandi Synodos Generales, quibus similiter per sese aut legatos suos præsidere, easque subductis Patrum suffragiis concludere debet, Axiomate XXV. & XXVI. Secundum Consectarium, quod polleat facultate Canones exsequendi erga singulares Ecclesias: & necessitate occurrente communi Ecclesiæ bono & utilitate, eoque in casu quo Concilium si foret congregatum, possit de Canonibus dispensare, Axiomate XXVII. Tertio propter justam & necessariam causam potest quoque aliquod decretum provisorium condere quoad Synodus celebretur: Ita tamen ut ejusmodi decretum neque universalem, neque particulares Ecclesias obliget, seclusō illarum Canonico consensu, & approbatione, consule XXII. Axioma, Gersonium de potestate Ecclesiastica, consideratione 4. Almainum de auctoritate Ecclesiæ cap. 10. circa medium: & hinc statue, *cunctas Leges, Constitutiones, Bullas, aut Detretales Pontificum, nisi de disciplinis Canonum receptorum, & pro eorumdem Canonum observatione sanciantur, esse duntaxat provisorias, & temporaneas*, nisi aliter Ecclesiæ Catholicæ, penes quam summa esse auctoritas regiminis, & jurisdictionis, videatur. Quibus cogitate ponderatis, facile est videre, cur Bulla Cœnæ Domini, cum permultis aliis Pontificum decretalibus, item novæ Synodi Tridentinæ Constitutiones ad politiam, & disciplinam Ecclesiasticam spectantes, Gallos, qui eas nunquam receperunt, minimè obligent. Quarto insurgit, *Papam à solo Generali Concilio judicari posse:* cum tamen antea ejus decreta Synodo provinciali probarentur, aut improbarentur, congruenter ad quintum Canonem Nicænum Axiomate XXIX. Quinto ad eum velut

ad

ad Monarcham potest appellari: ita tamen ut de ejusdem judicio pariter provocare liceat ad Concilium Generale. Quæ appellationes ad Concilium, ut expeditius definirentur, Patres Constantienses voluerunt singulis decenniis Synodos Generales institui, & velut per quandam continuationem, aut termini pendentiam expectari, sessione 39. Ex quo liquet post constitutam tolerabilem Papæ Monarchiam à Synodo Constantiensi, decisionem & expeditionem controversiarum longè difficiliorem, ac operosiorem evasisse quàm antea dum Synodo provinciæ cuncta negotia provinciæ decidebantur secundum Jus Commune: quia ejusmodi Concilia provincialia bis annuatim cogebantur, neque ad Jus, & æquum obtinendum ullus patrios fines egredi cogebatur. Quam ad formam sanctissimæ disciplinæ, Jurique naturæ maximè conformis, impossibile fuit Patribus Synodi Constantiensis, & Basileensis Romanam Ecclesiam redigere: sapientis autem est legislatoris inservire temporibus, & leges præscribere quas non planè impossibile sit in mores abire: quia in Moralibus, & Politicis valde difficila aut quæ pacem turbant impossibilibus debent accenseri: unde etiam in communem usum proverbii abiit, *Satius esse infantem suum mucosum relinquere, quam ei nasum evellere, aut sanguinem exprimere.*

Ut ergo summam nostræ disputationis faciamus, hinc exploratum redditur, quamquam Primatus *formaliter, intensivè, objectivè*, quoad essentiam, & institutionem sit immutabilis, quia est à Deo institutus; verumtamen *materialiter, subjectivè, extensivè*, quoad existentiam, usum, & exsequutionem, ac limitationem, ab Ecclesiæ definitione, & consuetudine omnino pendere: hocque inter alios sextus Canon Nicænus, & 17. ac 26. octavi Concilii Generalis declarant, ut de Synodo Constantiensi, & Basileensi taceam: vide pariter Gersonium de Potestate Ecclesiastica consideratione 7. 8. & 9. Quocirca illi tota quidem errant via, qui has quatuor propositiones velut æquipollentes, ac ejusdem planè notionis ut fide Catholica credendas obtrudunt: 1. *Petrus habet primatum totius Ecclesiæ Catholicæ.* 2. *Petrus est visibile caput Ecclesiæ loco Christi.* 3. *Petrus est vicarius Christi in regimine totius Ecclesiæ.* 4. *Petrus est Monarcha Ecclesiæ Catholicæ.* At quam ob causam, & quo sensu Petrus habeat primatum: & curnam dicatur Monarchâ, satis conspicuum redditur ex antecedentibus. Quod autem caput visibile Ecclesiæ loco Christi esse possit, ut falsum atque omninò erroneum diruitur Axiomate XV. quoniam Christus nullum habet successorem in ratione & natura capitis visibilis, ut vitam & motum gratiæ, ac justificationis in corpus Ecclesiæ influat. Denique negatur esse Vicarius Christi in absoluto regimine Ecclesiæ, sed tantum in sola potestate Ministeriali spirituali conceditur: quia Dominus regimen Aristocraticum instituit, Axiomate XIV. XVI. & XXIX. ac solam exsequutionem ejusmodi regiminis

Petro credidit, ut hac tota Apologia à priori, & posteriori docuimus. Procul dubio controversiam hanc de Papæ Monarchia accuratius terminare non possumus, quàm ipsius Monarchiæ definitione: *est autem suprema potestas unius, ad homines sibi subditos absolute regendos secundum Jus Divinum & Naturale, illosque cogendos ut imperata faciant.* Quam absolutam potestatem Principibus politicis etiam in statu electivo competere certum est: quoniam armantur gladio ad restitantes non modò singulares homines, verum etiam urbes, & provincias integras, si res postulet cogendos. Hoc autem cum potestati ministeriali Spirituali Ecclesiæ penitus repugnet, certum est Romanum Pontificem Monarcham dici non posse nisi valde improprie, & æquivoce: tum quia Canonibus Conciliorum Generalium subjicitur, quarta & quinta sessione Constantiensi: tum etiam quia alio modo Christianos cogeres nequit Jure Divino quam per excommunicationem, quæ non potest dici coactio, si proprie loqui velimus. Accedit quoque excommunicationem non posse feri nisi in homines singulares, nequaquam verò in communitatem, Collegium, urbem, diœcesim, &c. Vide Axioma XVII. Cedant ergo adversarii aliam definitionem Monarchiæ quæ presse, atque proprie Romano Pontifici quadrare possit, si eum Monarcham *synonymè* haberi velint.

At operæ pretium me facturum arbitror, si hoc loco differentiam status pure Aristocratici, qualis est Respublica Venetiarum, & Monarchici Aristocratica moderatione temperati explicavero: Quandoquidem dux Venetiarum seorsim à Senatu, & Concilio sex aut decem Præfectorum nulla omnino pollet auctoritate, ne quidem in privatos cives, & subditos Reipublicæ: estque tanquam primus Præses respectu Parlamenti, aut Decanus intuitu Capituli, vel facultatis Theologicæ Parisiensis verbi causa. Contra autem summus Pontifex ut Monarcha instructus est facultate regendi Ecclesias particulares secundum Jus Divinum, Naturale, & Canonicum in ordine ad regimen Aristocraticum: Idemque pariter est judicium de omnibus Episcopis *respective*, & *proportionatim* in sua diœcesi. Quare suo quoque modo Monarchas dici posse contendimus: quia secundum Jus commune, *id quod est Papa in Ecclesia universali, est quilibet Episcopus in sua particulari*, auctore Bellarmino 5. de Romano Pontifice cap. 3. Quocirca Jure Divino Episcopi tantumdem habent potestatis in suis privatis diœcesibus, quantum & Papa sibi potest vendicare in totam Ecclesiam disgregatam: immo verò justo atque necessario subsidio secluso, Pontifex nullum Jus obtinet aliquid statuendi in diœcesibus aliorum Episcoporum secundum Legem divinam.

Nunc ad rationes oppositas Cardinalium de Turrecremata, Cajetani, & aliorum transeamus, quas quidem Cardinalis Bellarminus methodo luculentiore erudivit, mihique potissimum videntur ad tria capita posse revocari: & primum

mum Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 15. & 16. objicit, *Petrum à Christo immediate constitutum esse fundamentum & pastorem Ecclesiæ: & consequenter Ecclesiam ab illo tanquam domum à proprio fundamento, & gregem à Pastore pendere: utque domus incumbit & fulcitur fundamento, ita & gregem à Pastore regi, & pasci. Quod ipsum Dominus demonstrat Matthæi 16. Tu es Petrus seu petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Item Joannis ultimo: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas &c.* Quæ collectio Bellarmini tota est Metaphorica, & parabolica, lectoremque frustratur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: quoniam ex Metaphoris, parabolis, & allegoriis non necessaria argumenta, sed levia, analogica, & similitudinaria tantum ducuntur, quæ, ut ajunt in scholis, semper altero pede claudicant Axiomate VI. Fateor igitur ex similitudine fundamenti domus, & analogia Pastoris atque omnium, recte colligi Petri primatum, non absolutam Monarchiam. Deinde cum Petrus sit opilio, & Vicarius Christi, non Dominus absolutus gregis, atque oves Christi rationales sint, non brutæ; natura quidem legis gratiæ, & Euangelii exigit, ut Christiani oves Domini gubernentur conformiter ad suam, & potestatis Ecclesiasticæ naturam, quæ ministerialis Spiritualis est: id est, regimine omnium suavissimo, liberrimo & naturæ convenientissimo, de quo tota hac lucubratione differuimus.

Secundo narrant, Dominum & generatim & privatim suas oves Petro pascendas & regendas commisisse Joannis ultimo, ac neminem ex illo numero, ne quidem Apostolos excepisse: continuoque sequi, Papam non modo donatum potestate pascendi Ecclesiam *distributim* sumptam, verumetiam *confertim*, quatenus in Synodum Generalem confluxit, quia Concilium Generale ad oves Christi pertinet: ac proinde Papam esse supra Concilium, non è contrario Concilium supra Papam. Quatuor hic respondeo, atque in primis Maldonatum Commentariis in hunc locum, *Pasce oves meas*, testari omnes Patres antiquos asserere Christum ter interrogando Petrum, *an se amaret, utque suas oves pasceret*, ostendere voluisse, quod in integrum restitueretur, unde trina negatione exciderat: *quasi diceret; ter me negasti timendo, ter me confitere amando.* Itaque si Primatum excipias, nihil hic conceditur Petro, quod etiam aliis Apostolis non æque tributum sit: erant enim pari consortio præditi honoris & potestatis, ut ait Cyprianus. Secundo urgeo, potestatem Ecclesiæ & Concilii si collectim considerentur, prius atque immediatius constitutam à Domino quàm aliquid seorsim Petro largitum esset: atque facultates Petro concessas esse in ordine ad Regimen Aristocraticum, Axiom. XIV. XV. XVI. XIIX. Tertio certissimum esse, Ecclesiam congregatam in Concilium Generale non esse ovem sed ovile, & sponsam Christi, in qua Sacerdotium Christi cum omnibus dotibus potestatis Ecclesiasticæ, eminentissimè habitat, Axiomate XXI. & XXII.

cui proinde Papa, atque omnes Prælati *seorsim* sumpti, subjecti sunt; ut ab Ecclesia Architectonice pascantur. Quarto contendo, Dominum hac clausula, *Pasce oves meas*, dedisse Petro ejusque legitimis successoribus facultatem exsequendi Legem Divinam, Naturalem, & Canonicam erga ipsos Apostolos, & Ecclesiam, ad normam eorum quæ exposuimus Axiomate XXIII. Sed pernego ullam illis collatam Potestatem Monarchicam ita ut quæcumque vellent absque Sanctorum communione, & Regimine Aristocraiico decernerent. Cæterum in Regimine Aristocratico hæc norma præsertim locum habere debet: *Deus unicuique mandavit de proximo suo*, Ecclesiastici 17. Quapropter sicut in corpore naturali, ita & in Ecclesia omnia membra corporis ex mutuo officio *de se invicem sollicita sunt, ne sit Schisma in corpore: quia corpus Ecclesiæ non est unum membrum sed multa*, 1. Corinth. 12. Itaque aliis Apostolis incumbebat curam gerere Petri, sicut & Petro aut Papæ aliorum Apostolorum vel Episcoporum: hoc enim natura Aristocratici Regiminis exposcit, neque id derogat Primatui. Augustinus sermone sexto & centesimo de diversis, *Quod Petro commendatum est, quod Petro mandatum est, non Petrus solus, sed etiam alii Apostoli audierunt, tenuerunt, servaverunt, maximéque ipse consors sanguinis, & Dei Apostolus Paulus audierunt ista, & ad nos audienda transmiserunt: pascimus vos, pascimur vobiscum.* Et aliquantò post versus finem: *Commendavit nobis oves Dominus, oves ipsius estis, vobiscum oves sumus, quia Christiani sumus: jam diximus, pascimus & pascimur.* Quo ex textu colligimus, & Petrum & alios Apostolos cum omnibus Prælatis sub duplici notione capi oportere, ut jam paulò antè monui: primo *materialiter*, ut sunt Christiani, sicque pascuntur ab Ecclesia: secundo *formaliter* ut sunt Pastores, & ita pascunt alios. Sanè nullus ire potest inficias, Paulum officio Pastoris defungi erga Petrum, quando illum corripit, quod minus rectè ambularet ad veritatem Euangelii, Galat. 2. ut præterea omittam, summum Pontificem quotidie tenere peccatorum suorum veniam, & remissionem petere ab Ecclesiâ parente ob Sacerdotium Christi, quod Hierarchico ordini immediatè, & architectonice à Christo creditum est, atque in vim ejusdem Sacerdotii caput submittere minimo Sacerdoti, sicut & quemlibet alium Episcopum, & Christianum, ut absolvatur à peccatis: vide XIV. & XVI. Axioma.

Tertio perhibent, Ecclesiam optimè gubernari velle, atque omnium pessimam esse multitudinem principantium, aut imperantium cum æquali potestate: quippe quæ Schismata, & contentiones pariat, & cuncta conturbet: eamque ob rem Christum Ecclesiam suam in Monarchiam, non in Aristocratiam, aut Democratiam erexisse: & consequenter duos summos Principatus, videlicet Papam & Concilium Generale, in Ecclesia locum habere non posse. Quod argumentum totum est Sophisticum, ut patebit: ac primo multitudo prin-

principantium cum æquali potestate solummodo reperitur in pura Oligarchia, & Anarchia, non in Aristocratia, Monarchia aut Democratia bene institutis, in quibus Magistratus legitime cooptati secundum Leges imperant: Neque Schismata, & contentiones aliunde originem ducunt quam à Curia Romana quæ contra Dei, & Naturæ legem imperat, atque omnem extinguit charitatem. Secundo hæc collectio petit principium, supponitque Papam esse absolutum Ecclesiæ Monarcham, sicut Christum: cum tamen dicatur tantummodò Monarcha *secundum quid*, ratione unici Primatus quem Dominus instituit, & quia est exsequutor regiminis Aristocratici, ac Legis Divinæ, & Naturalis erga particulares Ecclesias. Quæ aut in contrarium absurda aut incommoda adferuntur ab Analogia regiminis Monarchiarum temporalium, meræ sunt fictiones Chimæricæ Legi Gratiæ, & Naturali omnino contrariæ: alioque fundamento non subsistunt quam hominum obnoxiorum atque imperitorum imaginatione. Ecquis eos docuit, Ecclesiam debere regi ad normam Monarchiarum temporalium, in quibus omnia absoluto imperio gubernantur, propter gladium materialem quo Principes armantur? Deus bone! quanto discrimine potestas ministerialis Spiritualis Ecclesiæ à potestate seculari, hoc est, Ministerium à Dominatu absoluto, & anima à corpore, terrenaque à cælestibus discrepant? Tertio quoniam status Ecclesiæ est Monarchicus Aristocratico regimine mitigatus sicut Imperium Germaniæ, & regnum Poloniæ verbi causa: nihil est absurdi dicere Concilium universale quoad directionem, & supremam Canonum, atque absoluti regiminis constitutionem quantum Ecclesiæ potest competere, summum obtinere principatum: deinde vero Papam quoad exercitium, & exsequutionem regiminis erga particulares Ecclesias suo quoque modo supremo pollere Principatu: sic enim auctoritas Papæ subordinatur, & subjicitur Aristocraticæ gubernationi, congruenter ad Canones Synodi Constantiensis Axiomate 11. Quam ad rem explicandam apprime conducit Responsio Synodalis Patrum Basileensinem ad argumenta Archiepiscopi Tarentini, & Colossensis Oratorum Eugenii Papæ: cujus Epistolæ initium est *Cogitanti huic Sacræ Synodo*: deinde paulò ante medium hæc ipsa referuntur. *Ipsa Ecclesia unus est princeps, & unitati fidelium non singulis hæc jurisdictio à Domino conceditur: & ideo ab uno incipere voluit ne perfectam unitatem atque unanimitatem designaret: quia unitas Ecclesiæ multo major est atque perfectior quam unitas unius Regis, aut Imperatoris terreni: qui sæpe errat, & in varias sententias, atque contrarias sæpe scinditur: Ecclesia autem nec errat, nec sibi contradicit: quia in medio ipsius Corporis Ecclesiæ est Christus, qui ipsam regit ne erret. Quod autem S. Thomas ait, illos graviter errare qui se à Petri, & sedis Romanæ obedientia subducere nituntur: Respondent id intelligi de singularibus Ecclesiis, & personis, non de universali Ecclesia, quæ sæpe obedientiam justis de causis Romanis Pontificibus*

ficibus ſubtraxit, ut Marcellino, Liberio, Anaſtaſio, Joanni XII. *Benedicto* IX. *&c.* Quamquam verò Bellarminus omnem vim & robur ingenii in abſoluta Papæ Monarchia obvallanda impenderit, ut ipſemet confitetur in Epiſtola dedicatoria controverſiarum ſuarum ad Sixtum V. verumtamen adeò magnum eſt veritatis præjudicium ut Ariſtocratici regiminis vindicias cap. 3. & 5. libri prioris de Romano Pontifice conſignarit, pro ut Axiomate XI. obſervavimus. Hercle quidem cum abſolutæ Monarchiæ fautores viderent regimen Ariſtocraticum Eccleſiæ Sacris Scripturis, & geſtis Conciliorum tam liquidò conſecrari, ut à nullo in dubium revocari poſſet, quandam rationem aut potius nebulam effuderunt, cujus tenebris veritatem notiſſimam involverent, & cum ſua abſoluta Monarchia confunderent: ſicut à Bellarmino, & aliis quos commemorat, confunditur: quoniam juxta Philoſophiæ regulas, nulla poteſt excogitari via aut ratio quâ probari queat, abſolutum Papæ dominium Ariſtocratiâ & Democratiâ temperari. Siquidem Democratia popularis eſt principatus: Ariſtocratia vero Optimatum, & Monarchia unius eſt dominatus: quonam igitur modo hæc inter ſeſe miſceri poſſunt niſi per optimates Epiſcopos, & per populares intelligamus Sacerdotes curam habentes animarum, cum Gerſonio, Alliaceno, atque aliis ſcholæ Pariſienſis doctoribus. Quorum ratio non ſatis adhuc Philoſophiæ legibus quadrat: idque mihi cauſam præbuit, ut poſt Patres Conſtantienſes regimen Eccleſiæ ab ejuſdem ſtatu, & principatu ſejungerem. Ut ut ſit ſive hanc diſtinctionem ſtatus, & Regiminis ad majorem evidentiam, & facilitatem teneamus, ſive cum Bellarmino, & aliis perhibeamus, regimen Monarchicum Eccleſiæ Ariſtocratia eſſentialiter temperari, ſemper utrinque evidenter & neceſſariò exſurget in Eccleſia gubernanda neque Papam, neque Epiſcopos ſeorſim aliquid magni momenti abſque Ariſtocratica moderatione, & libero Eccleſiæ conſenſu poſſe decernere: quando certum eſt *Decreta Papæ nequaquam obligare niſi recipiantur.* Axiomate VII. IX. XVI. XXII. Et ita habemus Eccleſiam, *Canone*, non *abſoluta Poteſtate* regi oportere: ſeu, quod eodem redit, *Papam non poſſe invitam, inconſultam, aut diſſentientem Eccleſiam obligare.* Idque quoniam ſcitu perneceſſarium eſt, illud cogor etiam atque etiam frequentare, ut omnibus perſpecta & explorata evadat Natura Poteſtatis Miniſterialis, Spiritualis Eccleſiæ: cui dominatus, aut abſoluta poteſtas ea cogendi quæ imperat, tam eſt contraria quam lux tenebris, & calor frigori, Axiomate XIV. Quamobrem maxime illudunt aut illuduntur, qui venditant, Papam non minus habere Juris in Eccleſiæ gubernatione, quam Regem Franciæ verbi cauſa in ſuo regno: quia *gladius Spiritualis Eccleſiæ* toto cœlo diſcrepat à *gladio materiali*, de quo diſputabitur Axiomate XXXIIX. & XLI.

His conſiderate perpenſis, dignoſcitur qua notione ſententia Nicolai Papæ capienda

capienda sit *dist. 22. can. Omnes sive Patriarchii* §. *Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresin labitur, & cum ille vocatur injustus, hic est procul dubio dicendus Hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit quæ mater est fidei: & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur.* Quæ clausula, eos merito damnat, qui Primatum Ecclesiæ Romanæ à Christo institutum repudiant, cujusmodi sunt Sectarii hujus ævi. Quod autem Ecclesiam Romanam *matrem fidei* appellat, id in eam partem capi debet, ut quemadmodum B. Petrus ratione Primatus sui pro se omnibusque aliis Apostolis, & discipulis fidem hanc professus est, *Tu es Christus filius Dei vivi, &c.* Ita & Romana Ecclesia ob Primatum in decidendis controversiis fidei, prior sententiam dicere debeat, de qua re in historia Conciliorum Generalium amplissimè disseruimus. Cessent ergo inverecundi obtrectatores nobis tanquam schismatis assertoribus convitiari, propterea quod Constantiensis atque Basileensis Consilii decreta *de Concilii auctoritate supra Papam* propugnemus. Annon illos pudere debet contra omnium Theologorum sententiam sic nomine Schismatis abuti? Equidem auctore B. Thoma 2. Secund. Quæst. 39. articulo primo, in Corpore *Schismatici* dicuntur *qui subesse renuunt summo Pontifici: & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.* Franciscus vero Toletus in Summa lib. primo cap. 19. explicans *Bullam cœnæ Domini*, articulo de Schismaticis, nominatim docet, *non satis esse ad Schisma quod aliqui pertinaciter, id est, scientes mandato Pontificis Romani obedire nolint. Nam*, inquit, *Schisma est quando homo in totum à judicio & obedientia Romani Pontificis se subtrahit opere ipso, non recognoscendo eum superiorem.* Sanè quam est dolendum, Ecclesiam Romanam austeritate sui dominatus ab aliquot seculis Græcæ Ecclesiæ; quamvis maxime Catholicæ, & retinentissimæ antiqui moris, ac disciplinæ Apostolorum, causam præbuisse secessionem faciendi ab Ecclesia Occidentali: tam hodie prodigiosum Curiæ Romanæ assectas omni studio & contentione certare, ut Schismata & divisiones pangant inter Catholicos, ad sua dogmata de absoluta & temporali Papæ Monarchia facilius asserenda: qua ex re tum demum efficietur ut Schismata serpant longius, & Ecclesia ad paucos reducatur, ut eam sensim reduci experimur, propterea quod Romani magis solliciti sunt ut terrenis opibus quam spiritualibus subsidiis splendeant, & subsistant. Quod à Sacerdote unitatem & charitatem servante ejusque supra modum studioso audiant, & intelligant necesse est, & utinam mihi Deus hanc gratiam faciat, ut pro unitate & pace Ecclesiæ melius constituenda vitam aliquando possim profundere. Deus immortalis! quodnam portentum est, ex Petri Primatu, quæ minima esse debuerat controversiarum Ecclesiæ, omnium maximam & capitaliorem effectam, ac supra alias sic elatam, ut

propterea Bellarminus Epistola dedicatoria ad Sixtum V. confiteatur, *se nullam aliam disputationem diligentius copiosiusque tractasse, nullam majorem & instructiorem duxisse:* idque ex depravato vitilitigatorum more, qui *accessorium* supra *principale*, ut vulgo loquuntur, amplificant, & lites ubi nullæ deberent esse, studiose conserunt.

AXIOMA XXXI.

Statum aut principatum Ecclesiæ sic esse Monarchicum, ut in puram Aristocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari plane repugnet.

XLII. AT vero quando Christus unicum instituit Primatum, atque B. Petrum œconomum & Vicarium suum, externum & ministeriale caput Ecclesiæ instituit, ut Jus Divinum, Naturale, & Canonicum exsequutioni mandaret erga particulares Ecclesias, Axiomate præcedenti: atque singulares Episcopi ob eundem finem & effectum Apostolis successerunt, Axiomate XXXIV. Hinc categoricè, & necessariò inducitur, *Ecclesiæ Principatum* posse quodammodo dici *Monarchicum* respectu Papæ, atque aliorum Episcoporum largè sumpto nomine *Monarchiæ*, vel *Monarchæ*, quatenus scilicet ex sequutio Regiminis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ regulariter atque ordinariè ita competit Papæ & aliis Episcopis *respectivè* & *proportionatim* in sua diœcesi, ut prorsus impossibile sit in puram Aristocratiam, vel Democratiam perpetuò mutari. Siquidem Papa & alii Episcopi tanquam primi atque principes Sacerdotum, *respectivè* inquam & *proportionatim* sunt Symbolum & figura unitatis Ecclesiæ ac Monarchiæ Christi, cujus sunt Vicarii: ideoque Canone octavo Nicænò prohibetur, *ne plures uno sint Episcopi in una urbe aut diœcesi*, ut hodie loquimur. Et 21. *quæstione* 2. *can. Sicut in unaquaque Ecclesia*, decernitur, *ne Ecclesia inter duos vel plures dividatur: quia Ecclesia Christi uxor & sponsa debet esse, non scortum.* Unde Augustinus graviter admodum ferebat, se ordinatum in Hipponensem Episcopum, Valerio Hipponensi Episcopo superstite: *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat Valerius*, inquit Epistola CX. de Eradii Presbyteri designatione ad Hipponensem Episcopatum. Certe Parisiensis Cancellarius de potestate Ecclesiastica consideratione XI. sub finem & 8. de Auferibilitate Papæ, nominatim docet, Christum ratione unici Primatus quem instituit, statum aut principatum Ecclesiæ Monarchicum sic effecisse, ut eum in puram Aristocratiam aut Democratiam mutari plane repugnet:

pugnet: qua de re pluribus disputatum est lib. primo Historiæ Conciliorum Generalium.

Quæ cum ita sint, pronum est videre Ecclesiam *collectim* sumptam aut congregatam, in Concilium, quatenus Aristocraticum regimen constituit, non posse exsequutionem regiminis, quæ summo Pontifici & aliis Episcopis *proportionatim* ac *distributive* sumptis competit, omninò obliterare, aut sibi in perpetuum reservare: vel aliis *regulariter* atque *ordinarie* committere: quemadmodum etiam Papa per potestatem aut Monarchiam absolutam, Aristocraticum regimen Ecclesiæ tollere, abrogare aut impedire nequit, absque magno sensu Schismatis: hoc enim perinde est, acsi humanum caput, despecto & conculcato omnium aliorum membrorum officio, & ministerio, cuncta illorum munia peragere vellet aut contra, si cætera membra humano capiti parere detrectarent. Equidem auctore Apostolo cap. 12. prioris ad Corinthios, Schisma æque contrahitur, dum caput membris, quam dum membra capiti reluctantur. Nam Corpus Ecclesiæ non est unum membrum sed multa: Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra unumqudque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui: opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus; non estis mihi necessarii: Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt, &c. Sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore: sed in *id ipsum pro se invicem sollicita sint membra.* His & concordat Cyprianus 24. *quæst.* 1. *can. loquitur.* §. *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Sanctus pariter Bernardus lib. tertio, cap. decimo ad Eugenium: *Monstrum facis si manui submovens digitum facis pendere de capite superiorem manu brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quam disposuit ipse.* Nam ut observat Gersonius *Tractatu de modo se habendi tempore schismatis* paulò ante finem: *Non tantum est Schisma in separatione membrorum à capite, sed etiam in separatione pertinaci membrorum ab invicem.* Unde cum absoluta Monarchia Papæ omnia omnium etiam Regum Jura usurpet, eaque absorbeat, facile est causam tot Schismatum cognoscere.

Cæterum hoc Axioma in illos præsertim militat, qui omni relicta mediocritate quam Axiomate IX. X. XI. XII. & XV. præstituimus, in vitiosa extrema degenerant atque Schismatibus viam sternunt. Alterum extremorum *Marcilius* Paduanus cum hujus seculi Sectariis amplectitur, dum Anarchiam quam in suis privatis familiis tolerare nollent, in Ecclesiam ingerunt: Alterum

autem fautores absolutæ infallibilis Monarchiæ. Equidem in politico sicut & in naturali corpore infirmum quam nullum omnino caput habere magis expedit: quia nihil est periculosius Anarchia, Judicum 17. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.*

AXIOMA XXXII.

Nisi Christus B. Petrum in summum Pontificem instituisset, Ecclesiam illum in eadem auctoritatis prærogativa quam à Christo habuit, potuisse instituere.

XLIII. QUando Lege Naturali edocemur, prius atque immediatius omni perfectæ communitati datum, ut seipsam gubernet, quam alicui privato & singulari homini, ut communitatem negât Axiomate VII. Lex autem Divina & Praxis Ecclesiæ docet, Sacerdotium Christi indivisim communicatum Ordini Hierarchico causam esse efficientem potestatis Ecclesiasticæ, id est, auctoritatis Papalis, Episcopalis, & Presbyteralis, Axiomate XIV. & XVI. (nam ubicumque est Sacerdotium aut Episcopatus Domini, ibidem quoque habitat suprema Potestas hierarchizandi, saltem *formaliter*, & in *actu signato*: auctus autem exercitus vel materia sacris electionibus, aut alio hominum consensu & instituto defertur:) profecto sicut populus Regem sibi deligit, ita etiam Ecclesia Sacerdotio Christi munita, sibi Primatem aut Principem vel Papam instituere potuit, nisi Dominus Petrum cooptasset, atque Ecclesiam præveniisset, ut Almainus lib. de Ecclesiæ auctoritate cap. septimo post *Henricum de Hassia* Doctorem Sorbonicum & Parisiensis Ecclesiæ Vicecancellarium perhibet: idque ipso usu Ecclesiæ confirmatur, quæ quando *sedes Petri* vacat, Papam deligit, cui revera & formaliter Sacerdotium Christi cum potestate clavium communicat. Cujus enunciati veritatem certissimam homines obnoxii aliter nequeunt eludere, quam Chimæricis imaginationibus fingendo potestatem Jurisdictionis non habitu deferri cum Sacerdotio Christi: sed cœlitus claves ad personam quam Ecclesia per Ministerium Cardinalium designavit, & cooptavit transmitti: idque est, multiplicare miracula: quod tam absurdum in Theologia quàm in naturalibus Entia absque necessitate frequentare. Deinde quis eos docuit potestatem Ordinis à potestate Jurisdictionis in ipso actu collationis distinguere, quando lex Euangelica hæc nunquam, saltem *quoad habitum* & *in actu signato*, distinguit? estque certum unà cum ordine potestatem Jurisdictionis *quoad habitum* conferri, Axiomate XIV. Demum Lex Naturalis, quæ unicuique communitati perfectæ potestatem sibi Præpositos & Rectores cooptandi largitur, nobis certissimè, & evidentissime fidem

fidem facit quidnam ſecundum Legis Naturæ placita de hac controverſia ſtatuere oporteat. Conſule III. IV. VII. & VIII. Axiomata cum obſervationibus.

AXIOMA XXXIII.

Statum aut principatum Eccleſiæ eſſe electivum, non hæreditarium: eamque ob rem ſacras Electiones à Chriſto per miniſterium Apoſtolorum inſtitutas, quo miſſioni factæ à Domino ſuccederent, atque ordinarium Eccleſiæ ſeminarium exiſterent.

XLIV. QUandoquidem Eccleſia eſt ſibi ſufficiens, atque Sacerdotium Chriſti cum poteſtate clavium *eminenter*, *totaliter*, ac *per dominium* poſſidet: Papa vero & alii Prælati *ſigillatim* capti *partialiter*, quoad uſum, miniſterium, & exequutionem tantum, Axiomate VII. VIII. IX. XIV. XV. XVII. & XIX. concludendum, Eccleſiæ ſtatum aut principatum eſſe *electivum*, non *hæreditarium*, aut *Reſignativum*. Quocirca Dominus quo miſſionem Apoſtolorum & Diſcipulorum à ſe factam jugiter propagaret, ſacras electiones ad Ordinis Hierarchici propagationem, per miniſterium Apoſtolorum inſtitui voluit, quatenus ordinarium Eccleſiæ ſeminarium exiſterent, Actorum 1. & 6. Item Canone quarto & ſexto Nicæno, *& diſt.* 61. *can. Nullus*, *item can. Nulla ratio*, *& tota diſtinct.* 62. Ex quo inimus, neque Papam, neque alios Prælatos *diſtributim* captos, *regulariter* & *ordinarie* ſibi poſſe ſucceſſores deligere, Canone vigeſimo tertio Synodi Antiochenæ: *ne liceat Epiſcopo alium pro ſe ſucceſſorem conſtituere:* etiamſi ſit in fine vitæ. Si quid autem fiat, ejuſmodi irrita ſit conſtitutio: ſervetur autem ritus Eccleſiaſticus, qui continet non aliter debere fieri quam cum Synodo & Judicio Epiſcoporum, qui poſt defuncti *dormitionem*, *poteſtatem habent dignum provehendi.* Procul dubio, cum Dominus Eccleſiam ſponſam Jure communi, non abſoluta aut pure Monarchica, poteſtate gubernari voluerit, ut antecedentia proloquia manifeſtò declarant: & ſacræ Electiones ad Juris communis atque Ariſtocratici regiminis eſſentiam pertineant, quemadmodum ordinaria & legitima Epiſcopi Romani electio declarat: certe inſurgit, nullam rationem aut cauſam aſſignari poſſe, cur hodierna die potius uni & ſoli Romanæ Eccleſiæ quàm omnibus aliis Eccleſiis per Electionem de Paſtore provideatur: niſi forte quis contendat, ſolam Romanam Eccleſiam debere via atque ordine à Spiritu Sancto conſtitutis Paſtorem habere. Quandoquidem, ut jam monuimus, Sacrarum electionum Jura divino afflatu inſtituta ſunt, Actorum 1. & 6. ut miſſioni factæ à Chriſto de Apoſtolis atque diſcipulis ſuccederet, ſicque Eccleſia Jure Divino ad poſte-

ritatem transmitteretur. Ex quo fit ut hæc ratio instituendi Prælatos per sacras Electiones constantissime servata fuerit sub octo primis Generalibus Conciliis, & dehinc etiam quoties de disciplina Ecclesiæ melius instauranda actum est, semper commendata, & de integro sancita atque inculcata fuerit in omnibus Generalibus aut Provincialibus Conciliis, tanquam apprime conducens ad optimè gubernandam Ecclesiam, & obligandos Pastores ad *personaliter* residendum: necnon etiam ad impediendum quominus uni & eidem homini plura unico conferrentur beneficia. Nam singulæ Diœceses, & Abbatiatus unicum modo & solum habent Episcopatum & Abbatiam quam per Jus commune & sacras Electiones quæ Juris sunt Divini, Naturalis conferant: quare Papa *Christi Oeconomus* & *Ecclesiæ minister* eas antiquare aut opprimere non potest, quando Legem Divinam, Naturalem, & Canonicam servare tenetur, quia Gratia Naturam perficit, non destruit, Axiomate III. & IV. cum observationibus. Curia autem Romana ut hujus cœlestis Politiæ repagula everteret, commenta est, Papam *Dominum* esse *absolutum omnium beneficiorum*: ex quo fundi Ecclesiæ calamitas. Quique hodiernum abusum cum illo aureo & divino usu majorum compararit, & fluctus utrinque in Ecclesiam redundantes animo collegerit, quamprimum unius oculi inclinatione sementem factam à Domino, & ab Apostolis irrigatam videbit, eamque à zizaniis superseminatis à Diabolo facilè secernet. Nullo quidem versor in dubio, quin ratione alicujus circumstantiæ aut incommodi nascentis, sacræ Electiones ad aliquod tempus intermitti queant, & via extraordinaria, de qua alibi disputavimus, Beneficia conferri possint: sed illas penitus à quoquam mortalium sui privati commodi causa potuisse abrogari, hoc pernego. Cæterum sacras Electiones in privatam Curiæ Romanæ utilitatem, dominatum & quæstum temporalem abrogatas, tam certum & notum quam quod certissimum ac notissimum: siquidem invictissimum erant Aristocraticici Regiminis & Juris communis propugnaculum & Lex animata Ecclesiarum: *O quis det illa tempora redire, quibus populi sibi eligant & acclament Antistites: qui ideo nunc rari sunt sancti, quia crebro instituuntur iniqui, & omnium Clericorum pejores, Sylvester verbo Lex §. decimo tertio post initium.* Hac autem lege animata stante, nullus esse poterat locus absolutæ infallibili Monarchiæ, neque Annatis, Resignationibus in favorem atque aliis innumeris abusibus & corruptelis, quæ ut sunt pabulo Curialibus unde splendent & saginantur, ita omnibus aliis Ecclesiis luctum, squalorem & perennes lacrymas concitant. Sed objiciunt in tanto mortalium ambitu & corruptione, non posse hodie Electiones citra tumultum & seditiones obtinere. Rependo, quemadmodam desuetudine scribendi, bene scribere dediscimus: ita desuetudine Electionum cuncta in pravum degenerasse: atque politici esse Principis securitatem & libertatem Electionibus præstare, & seditiones tollere:

neque

neque contra Regis voluntatem eligendos Paſtores qui turbis ſerenidis ſtudeant: verum de his aliàs pluribus.

AXIOMA XXXIV.

Ordinem Hierarchicum ejuſdem omnino eſſe ſpeciei in hodierna & Apoſtolica Eccleſia: atque Epiſcopos & Presbyteros Jure Divino Apoſtolis, & LXXII. diſcipulis ſucceſſiſſe, ac Senatum Eccleſiæ efficere, atque Presbyteros debere Eccleſiam in commune regere.

XLV. CUm ad eſſentiam poteſtatis Eccleſiaſticæ duo abſolute requirantur, *Character* nimirum & *Titulus*, ſive *Poteſtas Ordinis* & *Juriſdictionis*: Dominus autem per Sacerdotii ſui communicationem utrumque Apoſtolis & Diſcipulis conceſſerit, Axiomate XIV. voluerítque Eccleſiam in perpetuum omninò ejuſdem ſpeciei, & naturæ exiſtere; oportet quidem Epiſcopos, Apoſtolis, & Presbyteros LXXII. diſcipulis divina inſtitutione ſucceſſiſſe, ut hodierna die Hierarchicum Ordinem ejuſdem planè naturæ cum Hierarchico Ordine Eccleſiæ Apoſtolicæ haberemus. Quare omnes antiqui Patres uno conſenſu docent, Epiſcopos *indiviſim*, & *in commune* omnibus ſucceſſiſſe Apoſtolis: Presbyteros autem LXXII. diſcipulis can. in novo diſt. 21. & can. Chorepiſcopi. diſt. 68. atque amplius Senatum Eccleſiæ *proportionatim* & *reſpective* conſtituere, ac propterea debere Eccleſiam *in commune* regere. De Epiſcopis liquet Actorum 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Hic autem duo digna obſervatione occurrunt, alterum eſt dum Paulus hæc Epheſinæ Eccleſiæ præcipiebat, nomen *Epiſcopi* atque *Presbyteri* pro una eademque re & officio uſurpari conſueviſſe, ita ut idem omnino eſſet Epiſcopus & Presbyter: quare Paulus omnes Presbyteros Epheſinæ Eccleſiæ hîc *Epiſcopos* nuncupat, quos paulò antè eodem capite 20. verſ. 17. *Presbyteros aut majores natu* nominaverat. Alterum viventibus Apoſtolis cum jamjam nonnulli dicerent: *Ego ſum Pauli, alii vero, ego ſum Cephæ, ego Apollo, &c.* Hæcque diſſidia Apoſtolis vita functis multò magis Eccleſias infeſtarent: ob eam rem divinitus factum, ut nomen & officium *Epiſcopi* atque *Presbyteri* quod antea commune erat, ſic diſtingueretur, ut appellatio *Epiſcopi* cum Poteſtate ordinandi Sacerdotes aliaque majora munia obeundi, primo & principi Presbyterorum addiceretur: qui propterea ſolus nomen Epiſcopi, id eſt, Primatum & Principatum Sacerdotii ſuper Presbyteros obtinuit, hodieque obtinere continuat, atque etiam ſolus per Eccleſiæ conſuetudinem Epiſcopos & Presbyteros ordinare poteſt. Nam ſicut Apoſtolis ſuperſtitibus, primus atque eminentiſſimus

nentissimus gradus Sacerdotii Christi, quod in tota Ecclesia unicum est specie, penes B. Petrum, secundus autem penes Apostolos, tertius & infimus penes LXXII. discipulos habitabat: ita etiam Jure Divino hæc ad Episcopos & Presbyteros transmissa sunt, ut Ecclesia ejusdem speciei cum Apostolica Ecclesia ad omnem posteritatis memoriam perennaret. Verum sicut LXXII. discipuli Ecclesiam *in commune* cum Apostolis regebant, ita & Presbyteri cum Episcopis: ratio est, quia in Presbyterorum, id est, Curatorum missione sive ordinatione, eis populus regendus traditur, sicut & Episcopis. Quare Cyprianus Epistola 55. ad Cornelium Papam sub finem perhibet, *Clerum florentissimum Romanæ Ecclesiæ cum Cornelio Papa præsidere.* Et Hieronymus cap. 3. in Esaiam docet, *Ecclesiam Senatum habere cœtum Presbyterorum*, quo de loco Gratianus 16. quæst. 1. can. Ecclesia. Porro Presbyteros Jure Divino esse regiminis Ecclesiæ participes, testatur idem Hieronymus *dist.* 93. *can. Legimus.* §. *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Episcopus quod Presbyter non faciat*, inquit? Totum enim regimen Ecclesiæ, excepta duntaxat *facultate ordinandi Episcopos & Presbyteros*, commune erat Presbyteris cum Episcopis. Etsi autem per Canones potestas conferendi ordines Presbyteris interdicatur, nihilominus in ordinandis Sacerdotibus, semper Episcopi circumstantes habuerunt Presbyteros, adeo ut unà cum Episcopo ordines conferente, manus suas Presbytero qui ordinabatur pariter imponerent, ad demonstrandum Christi Sacerdotium, & Charismata inde manantia, nemini uni, sed unitati collata à Domino. Quo & spectavit Apostolus, cap. 4. prioris ad Timotheum; *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Et distinct. 23. can. Presbyter, cum ordinatur Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Item 15. *quæst.* 7. *can. Episcopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi sententia Clericorum confirmetur:* Adde & Canonem 34. Synodi Quartæ Carthaginensis. *Ut Episcopus in Ecclesia, & consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat.* Audis Episcopum in consessu Presbyterorum sublimiorem habere locum, vel Cathedram: At hodie Romæ Presbyteri in consessu Papæ & Cardinalium non comparent nisi genibus flexis, quod absoluta dignum est Monarchia, quæ nihilo ducit Presbyteros ejusdem Sacerdotii Christi characteris, & potestatis clavium specie, & natura esse consortes *intensive & quoad habitum*, sive *in actu signato*: solummodò *materialiter*, *extensive*, quoad *organizationem*, & *administrationem*, sive *in actu exercito* differre Axiomate XIV. Proculdubio certum est Chorepiscopos, qui erant velut Curati rurales, ordinasse Presbyteros & Diaconos consensu diœcesani Episcopi idque inva-

invaluiſſe ad tempora Nicolai I. PP. qui ſuper ea re ſcripſit Epiſtolam ad Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum, quam leges in ſecunda editione Conciliorum Binii, & ad calcem opuſculorum Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi. Et ita patet ſingulos Epiſcopos ſibi poruiſſe aliquos Presbyteros conſtituere velut ſuffraganeos in ſua diœceſi, nec opus fuiſſe eam ob rem facultatem petere à Papa ut hodie. Cæterum ſicut in Actis Apoſtolorum Presbyteros tanquam Eccleſiæ Conſiliarios & Senatores, omnibus Eccleſiæ negotiis dirimendis interfuiſſe; ſic & tomis Conciliorum proprio nomine ſuaque ſyngrapha & ſubſcriptione Synodos provinciales paſſim comprobaſſe legimus: utque innumera alia omittam Concilia; & de unico quod omnium maxime cordi eſt Curialibus loquamur, Acta Synodi Synueſſanæ, qua pronunciatum fuiſſe memorant, *Papam à nemine judicari poſſe*, teſtantur trecentos Epiſcopos cum triginta Presbyteris, & tribus Diaconis in hac Synodo conſediſſe, eamque Syngraphis ſuis muniviſſe. Quod ſi fortè cauſentur; nunquam legi Presbyteros privato nomine Actis Conciliorum Generalium ſubſcripſiſſe: Excipies id factum, quia res in infinitum abiiſſet, atque Presbyteros qui ejuſmodi Synodis intererant cenſeri in perſona ſui Epiſcopi, qui *Princeps* eſt *Sacerdotum*, ut antiquitus vocabatur, Acta obſignaſſe: quemadmodum mos eſt in Parlamento, ubi Conſiliarii qui Senatuſconſulto faciendo ſententiam dixerunt, illud cum & in ipſo præſide Parlamenti, & cauſæ cognitorem quem vulgo *Relatorem* nuncupant, ſyngraphis ſuis comprobare cenſentur.

Verum quod Apoſtolus cap. 4. prioris ad Timotheum vocat *Presbyterium*, de quo ſupra, tandem *per Capitula Eccleſiarum Cathedralium*, repræſentatum eſt. Quare Epiſcopus cum Capitulo unum corpus efficere dicitur, atque mutuo conſenſu negotia Eccleſiæ debere tractare, *cap. Novit. de his quæ fiunt à Prælato ſive conſenſu Capituli:* ubi Alexander III. Patriarchæ Hieroſolymitano ita reſcribit: *Novit tuæ diſcretionis prudentia*, qualiter tu & fratres tui unum corpus ſitis: ita quod tu caput, & illi membra eſſe probantur: unde non decet te omiſſis membris aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis uti: cùm id non ſit dubium, & honeſtati tuæ, & Sanctorum Patrum *inſtitutionibus*, id eſt Canonibus, *contraire*. Quos Canones ſupra habes: Idem quoque docetur *cap. Quanto* §. Quia igitur non decet prudentiam tuam in negotiis tibi commiſſæ Eccleſiæ, conſilium fratrum tuorum poſtponere, cum quibus *unum corpus exiſtere comprobaris*. Sed quemadmodum Romana Curia ut ſuam abſolutum Monarchiam architectaretur, omni ferme auctoritate Epiſcopos ſpoliavit: Ita Epiſcopi æmulatione Papæ, ut quandam ſpeciem abſoluti Imperii in ſuis diœceſibus colligerent, Presbyteros quidem curam habentes animarum, & Capitula Eccleſiarum Cathedralium omni poteſtate quam Jure Divino & Naturali habent, malè multarunt, ex quo evenit ut hodie omnia in tyrannidem

degenerarint: adeo ut quidam Episcopi hodie comminiscantur *Curatos* sive *Parœcos* esse velut Procuratores & Vicarios Episcoporum ad eorumdem nutum abdicabiles, quod est falsissimum Nam Episcopatus quædam est dignitas, & primatus, non ordo à Presbyteratu distinctus Axiomate XIV. Quod si Episcopi obtendant, Canonicos & Presbyteros curam habentes animarum non tales esse quales olim erant: idem pariter dicetur de Episcopis, & res eò delapsas, ut alteruter aliquid opprobrii alterutri dare nequeat: quoniam

Iliacos intra muros peccatur & extra.

AXIOMA XXXV.

Residentiam Pastorum Juris esse Divini & Naturalis prorsus indispensabilis, sicut & conjugum cohabitationem: & nihilominus ita capi debere ut ad semper, *non* pro semper *obliget.*

XLVI. QUando Lege Divina & Naturali vir cum propria uxore consuescere; Oeconomus, dispensator, & minister cum familia sibi credita assiduo habitare; Pædagogus sedulo discipulos regere ac erudire, Janitor, Ostiarius januam domus continuo servare, Speculator, & miles in statione atque excubiis positus revera pervigilare, Pastor gregem sibi à Domino commissum, actu & seipso non per alium Vicarium pascere debet: Profectò omnes Episcopi & Parœci, quia sunt velut sponsi Ecclesiæ post Christum, ejusque Oeconomi, ministri Ecclesiæ, Doctores & Pædagogi, Janitores, atque Ostiarii, speculatores, & Inspectores, ac Pastores gregis Dominici; Jure quidem Divino & Naturali seipsis *actu*, & *personaliter*, non *habitu* tantum, & per vicariam operam *mercenariorum* residere, suoque officio jugiter excubare tenentur: cum hac tantum fine ab Ecclesia instituantur & cooptentur. An rogo aliquis locuples atque opulentus Agricola quempiam pastorem & opilionem gregi suo præficit, ut hic per alium Vicarium atque mercenarium procuret & pascat gregem sibi commissum. Quod si hic mercenarius Vicarius alium à se deligeret, an Dominus gregis qui eum adoptavit hoc æquo animo ferre posset? Herclè Pastor qui pro gregis sibi commissi custodia Vicarium deligit, nec per sese Officium suum capessit, meretur à Domino abdicari.

Porrò cum Residentiam Juris esse Divini dico, de *Jure Divino secundario* loquor, quod ex Jure Divino *positivo* necessitate consequentiæ sic elicitur, ut nullo alio præcepto opus sit ad hoc mandatum divinum de Residentia cognoscendum: propterea quod in præcepto primario, unde elicitur, satis clarè concipitur. Equidem nullus, nisi communi sensu orbatus inficiari potest, Curam assidue pervigilandi ac residendi Jure Divino & Naturali, institutioni atque ordi-

ordinationi Episcoporum & Curatorum *intrinsece* ac *essentialiter* annexam esse. *Quod enim dat Esse, unà dat consequentia ad Esse.* His autem de causis in Lege Mosaica Levitæ obstringebantur *excubare in custodia Sanctuarii*, & *in ministerio altaris*, ne Dei indignatio oriretur super filios Israël, Numerorum 18. & Proverb. 27. Deus jubet omnes Præpositos *agnoscere vultum pecoris*: & *curam habere gregis*, Ecclesiastici 32. Item Ezechielis capite 3. & 33. omnibus Pastoribus ex officio incumbit, ut perpetes & continuas vigilias super tutelam & salutem gregis peragant: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo Verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium:* Morte morieris, *non annunciaveris ei, neque loquutus fueris ut avertatur à via sua impia, & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Item cap. 34. *Væ Pastoribus Israel qui pascebant semet ipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis: & quod abjectum est, non reduxistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia:* hæc dicit Dominus: *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum.* Quibus & hoc aliud assuendum Zachariæ 11. *O Pastor & idolum derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus: Brachium ejus ariditate siccabitur: & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Quæ Prophetarum oracula sex nobis observanda tradunt: Primò Pastores seipsis voluntatem & præcepta Dei debere populo annunciare, idque nisi præstent reos esse coram Domino, si salus populi periclitetur: *Si dicente me ad impium*, Morte morieris, *non annunciaveris ei, neque loquutus fueris ut vertatur à via sua impia, &c. sanguinem ejus de manu tua requiram.* Quæ ad verba si Pastores atque præterea sete salutis ovium vades esse attenderent, alio quidem modo excubias pro gregis incolumitate peragerent. Secundo demonstrat Pastores non sui sed populi causa institutos, magnamque illis ruinam impendere, qui seipsos, non gregem pascunt: *Væ Pastoribus Israel qui pascebant semet ipsos: Nonne greges à Pastoribus pascuntur, &c.* Vide Axioma 1x. Tertiò per Antithesin malorum, bonorum quidem Pastorum munus atque officium, & quidnam proprie sit pascere, ab Oppositis sic describit; *quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis:* SED CUM AUSTERITATE IMPERABATIS EIS ET CUM POTENTIA. Quæ clausula à contrario sensu naturam Potestatis ministerialis spiritualis Ecclesiæ exhibet: cui nativum est non austere & cum dominatu aut potentia imperare, *sed docendo persuadere, & persuadendo docere.* Quo pariter illud Esaiæ vaticinium cap. 40. referen-

dum: *Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.* Quæ omnia Paſtoribus ex officio imitanda proponuntur: quoniam officium paſtorale in dilectione, non in potentia & dominatu fundatur Axiomate XIV. & XXX. Quarto hac verba, *Ecce ego ipſe requiram gregem meum ſuper Paſtores de manu eorum, & ceſſare faciam ut ultra non paſcant gregem meum, &c. gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus, &c.* videntur quidem nobis prophetiam referre, cujus intuemur complementum. Poſtquam enim Curia Romana cum auſteritate & abſoluto Principatu voluit imperare, certe multis in provinciis & Regnis integris gregem paſcere ceſſavit, in Græcia, in Germania, Dania, Anglia, Scotia, magna parte Franciæ, &c. Quod malum in dies majora capit incrementa, capietque niſi mores noſtros emendaverimus, & cum perfecta pœnitentia ad Deum convertamur. Tritum eſt Proverbium, *eos qui ſua poteſtate abutuntur, tandem juſto Dei judicio eadem privari.* Unde B. Gregorius XI. *quæſt.* 3. *Privilegium omnino meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Hicque enormis abuſus nos adegit, ut his Axomatibus juſtum, atque naturalem uſum Eccleſiaſticæ poteſtatis complecti, & breviter ad gloriam Dei poſteris tranſmittere niteremur Quinto hoc Zachariæ effatum: *O Paſtor & Idolum*, vivam ac ſpirantem imaginem Curialium nobis exprimit: quia ſicut *Idolum nihil eſt in mundo* 1. Corinth. 8. verſ. 4. ita ejuſmodi Paſtores MANDUCI, Idola quidem ſunt *trunco ſimillimi Hermæ, tantumque fruges conſumere nati*: quoniam Chriſti Domini Eccleſiam deprædantur & laniant, ut docet experientia. Sexto hæc alia, *brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus ejus dexter tenebreſcens obſcurabitur*, indicant iſtos Paſtores communi ſenſu & judicio practico in rebus ad officium ſuum pertinentibus carere: quia Curiæ Romanæ exemplo & conſuetudine abuſus & corruptelas pro Jure ordinario, tenebras pro luce, & vitium pro virtute oſtentui habent: quod quam verum ſit, pueri norunt, atque omnes boni & pii lamentantur: ejuſque rei illuſtrandæ cauſâ hæc ipſamet controverſia de Paſtorum reſidentia proferri poteſt in exemplum: quam reſidentiam Curia Romana Juris tantum eſſe Eccleſiaſtici ad Papæ arbitrium diſpenſabilis mordicus defendit: in eamque rem Tridenti ſex integros menſes diſputare, atque inutiliter, imo cum magna Reipublicæ Chriſtianæ jactura Concilium prorogari voluit, ut *Gentianus Hervetus*, teſtis oculatus luget Epiſtola quam ſuper ea re miſit ad *Alphonſum Salmeronem* Jeſuitam, quæ nondum edita eſt: atque inter omnes Tractatus qui in hoc argumentum vulgati ſunt, omnium maxime lucem meretur, & legentibus lacrymas excutit: quemadmodum hæc *Bartolomei Carranzæ* Dominicani oratio Tractatu de Reſidentia perſonali Paſtorum, ubi explicans Canonem 15. Synodi Carthaginienſis de Epiſcopi officio in viduarum, pupillorum, & peregrinorum gubernatione: *Quid cenſes*, ait,

ait, *illos bonos Patres Africanos facturos, si audirent quæ nunc allegantur, ut Romæ Episcopi versentur, ne vilescat scilicet Curia Pontificis, & ne desint Cardinalibus auteambulones. O tempora! O mores!* inquit: de iis autem loquitur, quæ oculis & auribus hausit Tridenti, & Romæ, sicut & *Gentianus Hervetus.* At verò cum Auctoritas Pastoricia duo dicat, teste Glossa in cap. 16. Matthæi, *nempe scientiam discernendi & potentiam definiendi*, id est, Clavim discretionis & auctoritatis: posterius autem primum necessariò ad debitum usum clavium & potestatis requirat, teste eadem Glossa: certè nemini mirum videri debet, si dum oculus Pastorum vel propter eorum ignorantiam, vel propter ambitionem & studium dominandi tenebris obscuratur, eorumdem brachium, id est potestas, & auctoritas ariditate exsiccetur, sicut experimur. Ex quo usu evenit, ut loco auctoritatis pastoriciæ spiritualis, mandanum dominatum venditent, ac ostentui habeant, quasi aliquis nummum plumbeum & adulterinum pro aureo & legitimo substitueret.

Sed ut à lege Mosaica ad Euangelicam transeamus, certe natura Potestatis ministerialis spiritualis delata Pastoribus clarissime confirmat, illos omnino ad *personaliter* residendum adstringi: quoniam sunt duntaxat ministri, & custodes, non Domini gregis, in quem nullum absolutum imperium, sed externam tantum, & ministerialem solicitudinem obtinent: quæ cura in Scripturis, canonibus Conciliorum & libris Patrum, semper nomine jugis & continui *actus, exercitii, operis*, & *vigiliarum assiduarum*, nequaquam vero per *habitum* aut *cessationem* describitur. Dominus autem quia tanquam verus Pastor omnibus ad imitandum proponitur: ejusque pastorale officium in duabus potissimum rebus consistit, puta, *ut faceret & doceret.* Nam Actor. 1. cœpit *Iesus facere & docere: Ideo nobis exemplum dedit ut quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus.* Siquidem *longum est ac difficile iter per præcepta, breve atque efficax per exempla:* & idcirco inutilis plane & vana est Philosophia, & Theologia, quæ quod ore docet, non etiam opere & lumine vitæ, ac morum complet. Quocirca aliàs diximus, Christum voluisse suos discipulos in observatione mandatorum Dei, & vitæ integritate, non in opibus mundanis confidere, Axiomate XIV. Unde Apostolus exclamat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, 1. Corinth. 9. Enimvero, post Oeconomiam redemptionis hominum peractam, & Ecclesiam bene fundatam à Christo, cum diutius in mundo *visibiliter* degere & versari nollet, verumtamen diligenter cavit, ne Ecclesia sponsa *lumine bonorum exemplorum*, & *sale virtutum* unquam privaretur: *quoniam ascendens in altum, dedit dona hominibus: & ipse quidem dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis sui quod est Ecclesia*, Ephes. 4 Amabo, Lector, dic ingenuè, utrum hæc Sanctorum consummatio, id est, communio S S.

in vitam æternam, utrum hoc opus divini ministerii, utrum hæc corporis Christi, id est, Ecclesiæ ædificatio in vitam æternam, perfici valeat ab Architectis, atque operariis cessantibus, aut absentibus, & non continuò residentibus atque vigilantibus? *Certe bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves, &c. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, & animam meam pono pro ovibus meis*, inquit Dominus Joannis 10. Hercle quemadmodum Christus vitam pro grege effudit: sic & re postulante, hoc ipsum Pastores præstare voluit: idque omnes Apostolos, & Ecclesiæ primitivæ Episcopos primis trecentis annis, & dehinc innumeros alios bonos Pastores diversis temporibus semper exegisse legimus. Nec mirum, quando, ut sæpe dixi, pastorale officium in dilectione fundatum est, Joannis ultimo: *Simon Jonæ, an diligis me plus his? pasce agnos meos, pasce oves meas*, ubi Glossa ex Augustino, *Pasce agnos meos, non ut tuos, gloriam meam in eis quære, non tuam; mea lucra, non tua*, quia dilectio Dei probatur dilectione proximi. Pascere oves est credentes, ne deficiant, confortare; terrena subsidia si necesse est, subsidiis providere: exempla virtutum præbere: adversariis obsistere, *& peccantes corrigere.* Lyranus ibidem: *Ter dictum est, ad significandum quod habens curam animarum, debet subditos pascere pastu verbi Dei, & boni exempli, & prout potest, &c. subsidio temporali.* Quam boni Pastoris accuratissimam descriptionem, tam impossibile est à non residentibus impleri, quam bovem Lucanicum volare: idque Apostolus 1. Corinth. 9. vocat *Evangelizare*: dum ait: *Si Euangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi, si non Evangelizavero*, id est, nisi vitæ integritate ea quæ verbis doceo, compleam. Unde cap. 1. ad Colossenses: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Quid hic narras Paule, an quicquam Christi passionibus pro Ecclesia deesse potest, cum minima stilla Dominici sanguinis plus satis superque esse possit ad mundos innumeros redimendos? maximè verò aliquid deest, & continuum ac juge lumen ex exemplorum bene vivendi, atque faciendi: idque Christus propter suam absentiam visibilem à mundo, per vicarios Pastores, qui usque ad consummationem seculi verbo atque exemplo Ecclesiam pascerent, perfici voluit: quare Apostolus Heb. 13. jubet non *meminisse Præpositorum nostrorum qui nobis loquuti sunt verbum Dei, atque inspecto exitu conversationis illorum, eorum dem imitari fidem.* Procul dubio, sicut ex hoc Domini præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, Matthæi 22. vers. 33. usuram esse prohibitam facile colligimus, Matth. 5. quamquam alio præcepto nominatim non interdiceretur: Similiter innumera sunt scripturarum testimonia quibus multo clarius ac evidentius

tius perſonalem reſidentiam Juris eſſe Divini cognoſcimus, atq; in primis edocemur Paſtores moraliter idipſum eſſe Eccleſiæ, quod naturaliter oculus, & lumen ipſis animalibus atque homini. Matthæi. 5. *Vos eſtis Lux Mundi: non poteſt abſcondi civitas ſupra montem: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Et Hebr. 13. verſ. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Quæ cum ita ſint, profecto dubitare Paſtores Jure Divino, Naturali nequaquam obſtringi ad *perſonaliter* reſidendum, ambigere eſt, utrum oculus ex Lege atque inſtituto Naturæ teneatur ad jugiter præeundum & prælucendum corpori: quoniam ſervata analogia par eſt utriuſque ratio: & paſtor mercenarius qui lupo veniente fugit, cœco cœcum ducenti perſimilis eſt. Iſtuc quoque & alii ſcripturæ loci accurrunt: *Vos eſtis ſal terræ, ſi ſal evanuerit in quo ſalietur*, Matth. 5. & 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Joannis 20. *Ite docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Matthæi & Marci ultimo: *Paſce oves meas* Joannis 21. *Paſcite* qui *in vobis* eſt *gregem Dei*, providentes non *coactè*, ſed *ſpontanee* ſecundum Deum, neque *turpis lucri gratia* ſed *voluntarie*, neque *ut dominantes in cleris*, ſed *forma facti gregis* ex *animo* 1. Petri 5. Et Actorum 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, &c.* Jam perpendat, Lector, an ſal longius ab hominum manu & uſu ſemotum, aut lucerna ablens vel ſub modio latitans, alicui poſſit eſſe compendio, & utilitati hominibus: & num hoc ipſum ſit Paſtor minime reſidens. Attendat ſimiliter, an quiſpiam *Canonice* ligare aut ſolvere, remittere aut retinere peccata valeat, niſi ipſemet omnes cauſas, & circumſtantias ligandi atque ſolvendi actutum perveſtigarit: quando certiſſimum eſt *Clavem ſcientiæ, & diſcretionis* præire debere, ac *Clavem auctoritatis*, & *definitionis* dirigere, ſicut oculus motum corporis regit: alioqui certe Paſtor non ligat aut ſolvit: quia ut docet Leo Magnus 24. *quæſt* 1. *can. manet Petri Privilegium, ubicumque ex ipſius æquitate fertur judicium.* Æquitas vero omnium accuratiſſimam cognitionem atque indaginem circumſtantiarum deſiderat. Omitto dicere Paſtorem abſentem nequaquam eſſe poſſe *formam* atque *exemplum gregis*, ut S. Petrus præcipit. His & accedunt plurima alia divina oracula, quibus adminiſtratio paſtoritia nomine jugis actus, operis atque exercitii declaratur, Lucæ 10. *Meſſis multa, operarii pauci: rogate ergo Dominum meſſis, ut extrudat ſeu mittat operarios in meſſem ſuam.* Hic audis operarios, non otioſos ceſſatores. Et 1. ad Timotheum 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat:* ubi Gloſſa ex Hieronymo ad Oceanum: *Opus*

deſiderat

desiderat, non dignitatem, laborem non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiat servus, & minister hominum propter Christum. Enimverò Dominus Pastoritiam auctoritatem, non ad otium, non ad jocum, delicias, aut voluptates, sed ad perpetuum laborem instituit. Quare nomen Episcopi nihil aliud quam actum continuum vigilandi, speculandi atque intendendi *personaliter* super gregem sonat. Quo pariter illa vox notabilis Canonistarum spectat, *Beneficium dari propter officium.* Sed, Deus bone! hoc genus officii magna ex parte ad solam Breviarii recitationem redigi experimur, maxime in Cardinalibus & aliis Magnatibus, qui aulam Papæ aut Principum Christianorum sequuntur, plurescque Episcopatus aut Abbatias possident: satisque suo defungi munere creduntur, si modò diurnum pensum Breviarii, grande opus certe, & laboriosum absolvant. Quod tam absurdum, ne dicam, ridiculum est, quam si Prætor Parisiensis verbi causâ in plurium aliarum urbium & provinciarum Tribunalia invaderet, ac se Judicis officio apprime defunctum gloriaretur, quotidiana lectione alicujus libri aut partis ejusdem libri Institutionum Justiniani. Quæ dum perpendo, mihi succurrit animo Gallorum proverbium, de illis, qui manipulum stramineum Deo offerunt *faire à Dieu gerbe de fouerre.* Heu! quàm me supra modum nostræ impietatis pudet, pigetque: quæ est in causa ut quamplurimi Christianam ejurent Religionem & blasphement in Christum.

Quandiu Jus Commune & Aristocraticum regimen viguerunt, Pastores sacris Electionibus creabantur, non legimus fuisse quemquam tam fungum & vecordem, ut Residentiam Pastorum Juris esse Divini & Naturalis ambigeret: hoc autem post sacrarum Electionum abrogationem in ultimo Lateranensi Concilio paulatim cœpit increbrescere, quando absoluta Papæ Monarchia ad summum est evecta apicem, antiquatione decretorum Synodi Basileensis, & Concordatorum Bononiensium Sanctione: idque dehinc ansam multis Curialibus præbuit in Synodo Tridentina, ut adversus *personalem Residentiam* tanquam Jure Divino minime debitam omnibus bonis gementibus velitarentur. Profecto imaginaria absolutæ Monarchiæ opinio, tum demum Papam ex Christi & Ecclesiæ ministro, Pastore, Custode ovium, & fideli dispensatore Dominum atque Monarcham absolutum effecit, atque nomen & Titulum puri actus, oneris, exercitii, operis, ac vigiliarum continuarum in speciosum, otiosum, lucrosum & pingue nomen BENEFICII, ET COMMENDARUM abjecto pene omni onere transformavit: à quo tempore, omnium vitiorum, abusuum, deformitatum, & Simoniarum propudiosa cohors Ecclesiam sponsam Domini invasit & populata est. Quod nomen BENEFICII, Curia Romana dominatus temporalis sitiens & æmula, transvexit à secularibus Beneficiis Imperii Romani ad res spirituales, & Ecclesiasticas, magno quidem atque intolerando abusu, sed maximo suo commodo & lucro:

hacque

hacque ratione fatalem contexuit catenam, cujus ope innumeros homines voluptuosos, otiosos, ambitiosos per universum orbem terrarum irretiret sibique strictissimè devinciret. Verum primitus BENEFICIA propriè dicebantur feuda, ac profanæ & temporales ditiones, quas imperatores viris fortibus & strenuis ducibus militaribus de Imperio optime meritis largiebantur. Quondam S. Basilius Epistola sexagesima prima & septuagesima, ad hunc modum sui seculi pestes deflebat: *Patrum dogmata*, inquit, *contemnuntur: Recentiorum hominum inventa Ecclesiis inferuntur: homines in posterum de artibus, non de Deo disserunt: Mundi sapientia primas tenet, crucis gloriam abominans. Pastores abiguntur, lupi graves & sævi introducuntur, qui Christi gregem discerpunt: Ecclesiæ deseruntur à cœtu, solitudines refertæ sunt plorantibus: seniores ingemiscunt, dum vetera præsentibus comparant: Juvenes miserabiliores qui non vident qualibus privati sint. Unum jam crimen est quod vehementer punitur, si quis paternas Traditiones diligenter observet*, ET CHRISTIANORUM NOMINE TECTI SUNT PERSEQUUTORES. Hæc Ecclesiæ Orientalis lumen querebatur, dum pastores edictis Constantini Imperatoris Arriani per vim procul à grege suo inviti, & repugnantes abigebantur, & fugabantur. At hodierna die non abiguntur, sed pessimis Curiæ Romanæ moribus depravati, ut ex animo voluptatibus indulgeant, sponte à grege suo aberrant: & modo proventibus temporalibus potiantur, spiritualia novis ordinibus, illis uti frui ambientibus dispensanda exponunt. Unde tot ac tantæ novorum Ordinum religiosorum coloniæ: quæ sunt velut emplastrum quo ulcus inveteratum, & sanies corruptelarum haud certe purgatur vel sanatur, sed involvitur, & ad aliquod tempus obtegitur: ex quo usu evenit, ut in dies singulos quasi in bello Curia Romana novis subsidiis, & auxiliaribus supplementis indigeat, semperque indigebit: quia uno tantum modo & ductu ad scopum pervenitur, infinitis autem ab illo aberramus.

Cœterum tametsi Residentia Juris sit divini, nihilominus hoc moraliter, sicut cohabitatio conjugum debet intelligi. Quare, ut rei domesticæ procurandæ causa vir sæpe à conjuge & familia ad aliquod tempus abesse solet: ita etiam Pastores pro suæ privatæ, atque universalis Ecclesiæ bono, & utilitate aliquandiu à grege suo peregrinari licite possunt: quoniam ejusmodi leges *ad semper*, non *pro semper* obligant, ut docent Theologi.

AXIOMA XXXIV.

Personas Ecclesiasticorum quo ad celebrationem Divinorum Officiorum, & Sacramentorum administrationem: illorum autem bona & facultates temporales, quantum ad res usui vitæ necessarias, pro conditio-

ne & naturâ ſtatus Eccleſiaſtici immunitatem habere divinam: & quanta contentione certatum ſit, ut Clerici plane liberi atque immunes eſſent à jugo politicæ poteſtatis.

XLVII. QUoniam certiſſimum eſt, Deum & Naturam nunquam deeſſe in neceſſariis, Axiomate III. & VIII. & Dominum Chriſtianam religionem inſtituiſſe, Axiomate XIII. & XIV. Profecto quæcumque ad religionem Chriſtianam ſunt neceſſaria, oportet partim Juris eſſe Divini, partim Naturalis. Quocirca Eccleſiaſtici quoad ſpiritualia, Divinorum officiorum celebrationem, Sacramentorum adminiſtrationem, & omnes actus Hierarchicos; item illorum bona & facultates temporales quatenus ad honeſtam & naturalem ſtatus Eccleſiaſtici conſervationem & ſuſtentationem conducunt, à civili quidem poteſtate ſic eximuntur, ut Reges, Principes, & Politici Magiſtratus, neque Eccleſiaſticos ab exercitio & profeſſione religionis Chriſtianæ jure prohibere, neque pariter impedire poſſint quo minus juſtis & debitis ſubſidiis temporalibus ſibi ad vitam & ſtatus ſui conſervationem neceſſariis utantur, fruantur, & temporalia ab illis ipſis colligant, quibus ſeminant ſpiritualia.

Quod effatum duobus conſtat membris, quæ ab Euangelio lumen & probationem clariſſimam mutuantur: prioris membri exemplum habes cap. 5. Actorum, ubi Principes Sacerdotum ὀδιο adverſus Chriſtum ringentes, cum Apoſtolos publico cultu, atque exercitio religionis Chriſtianæ interdicere molirentur, contra Apoſtoli intrepidè reſpondent, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus:* deinde eam ob rem plagis atque verberibus affecti, *ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti eſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati.* His & concordant geſta Chriſtianorum primitivæ Eccleſiæ, quorum magna pars Martyrium paſſa eſt. Procul dubio Dominus Matthæi 10. mittens Apoſtolos & diſcipulos in mundum ad promulgationem Euangelii, eos tantum pati, aut de civitate in civitatem fugere docet: *Ecce ego mitto vos*, inquit, *ſicut oves* in medio luporum: *eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos, in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos, &c. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam, &c.* Ex quo datur intelligi, Chriſtianos, & potiſſimum Eccleſiaſticos cum de propaganda aut aſſerenda, & retinenda Religione agitur, ſola innocentia, & patientia armatura uti, & nulla alia in re quam in obſervatione mandatorum Dei præſidium ſuum dębere collocare: quando Dominus pollicetur, omnia adjectum, & tributum illis certò iri, *qui regnum Dei & Juſtitiam ejus ſuper Omnia quærent* Matthæi 6. Hæc autem ne Eccleſiaſtici gravatè facerent, Dominus eos ſola poteſtate

poteſtate miniſteriali ſpirituali donavit, *ac ſine baculo & pera miſit*, ne in opibus temporalibus confiderent. Porrò certum eſt, Euangelium iiſdem debere artibus retineri, & conſervari quibus propagatum eſt: ne quiſquam hic tergiverſetur: ab eoque die quo Religionis tuendæ cauſa naturam ovium exuimus, ut luporum feritatem induceremus: hoc eſt, pati detrectavimus, ut tumultus, factiones, ſeditiones, conſpirationes & bella cieremus: ſenſim fidem & Religionem contabeſcere, & ad paucos redigi, atque in ejus locum, hæreſes, Atheiſmum & Turciſmum invadere vidimus. Iſtuc pariter B. Petri documentum accurrit cap. 4. prioris Epiſtolæ: *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor*; ſi autem *ut Chriſtianus*, non *erubeſcat, ſed glorificet Deum in iſto nomine, &c.* Quod ſi B. Petrus nos aliena appetere vetat; certè multo magis ne contra naturam atque eſſentiales cauſas poteſtatis miniſterialis ſpiritualis Eccleſiæ abſolutum Dominatum, & Poteſtatem temporaliter cogendi, imò etiam fundendi ſanguinem Regum & Principum Chriſtianorum Eccleſiæ arrogemus? ſicut arrogatur *Directorio Inquiſitorum.* An qui hæc patrant, inſontes & liberi eſſe poſſunt à ſacrilegio aut potius à parricidio? Sed de his amplius infra.

Altera pars hujus proloquii munitur auctoritate B. Lucæ, & Matthæi cap. 10. ubi Chriſtus pronunciat, *omnes operarios dignos eſſe ſua mercede.* Quem locum S. Auguſtinus libro de opere Monachorum cap. 6. explicat, docetque eſſe *conſilium & permiſſionem, non præceptum*: Alioquin S. Paulus qui *labore manuum* ſibi *victum* comparabat, ut ſine ſumptu eſſet Euangelium, peccaviſſet contra præceptum divinum. Itaque permiſſio eſt naturali æquitati maxime congruens, ut ope rarius Euangelii mercede muneretur 1. Corinth. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & Lex non dicit?* Scriptum eſt enim in lege Moyſi: *Non alligabis os bovi trituranti*: *nunquid de bobus cura eſt Deo?* Nam *propter nos* utique *ſcripta ſunt: quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: Et qui altario deſerviunt, cum altario participant*: *Ita* Dominus *ordinavit iis qui Euangelium annunciant de Euangelio vivere.* Hæc autem tanto confidentius dicuntur ab Apoſtolo in gratiam Euangelizantium, quod *proprio labore manum* ſibi victum compararet, ut inter gentes *ſine ſumptu* poneret *Euangelium.* Item 1. Tim. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina* Dicit enim ſcriptura: *non alligabis os bovi trituranti, & dignus eſt operarius mercede ſua.* Quæ Apoſtoli proloquia, de rebus abſolute neceſſariis ad honeſtam ſtatus Eccleſiaſtici conſervationem & ſuſtentationem capi debent; cujuſmodi ea erant quæ Eccleſiæ primiti-

væ temporibus fideles erogabant pro Clericorum alimentis & aliis rebus neceſſariis quæ quidem Jure Divino & Naturali illis debentur; nequaquam verò ſuperflua, quia hæc Juris ſunt pure humani & ſi Reſpublica ad ſui tutelam illis indigeat, Princeps politicus, ad quem Jure Divino & Naturali ſpectat providere, ne quid Reſpublica detrimenti capiat, eis tam liberè, & ſecurè uti poteſt, quam tempore belli videmus ex aliquo templo aut Eccleſia, urbi muniendæ aut arcendis hoſtibus idonea, bellicum aggerem aut vallum conſtrui poſſe. Conſule ſupra IV. & VIII. Axioma cum obſervationibus; *& nota, quod eſt pro charitate inſtitutum, nunquam adverſus charitatem militare.* Quocirca legimus Joam & Ezechiam piiſſimos reges Judæorum divitiis, auro, argento, atque aliis rebus pretioſis, quamquam templo Hieroſolymitano dicatis, & conſecratis uſos fuiſſe, ut Regem Aſſyriorum ab obſidione Hieroſolymorum arcerent 4. Regum cap. 12. verſ. 18. & cap. 18. verſu 15. & 16. Nam ut habetur ſecundo Macchabeorum cap. 5. verſu 19. *Non propter locum Gentem, ſed propter Gentem locum Deus elegit:* pluris enim viri quam mortui lapides fieri debent. Quare ſi ad Euangelicæ lucis veritatem revocemus, ut neceſſum eſt, Clerici non modò de ſuperfluis, verumetiam de neceſſariis opitulari Reipublicæ tenentur: tum quia in perfectiori ſtatu charitatis exiſtunt, aut ſaltem debent exiſtere: tum quia Reſpublica aut Principes politici eos locupletarunt, multiſque immunitatibus, quibus reliqui cives nequaquam perfruuntur, auxerunt. Hic autem de juſto & neceſſario ſubſidio loquor, quod ab unoquoque noſtrum, tanquam cive, & membro Reipublicæ, communibus neceſſitatibus debetur: minimè verò de implendis aut ornandis aulæ, atque aulicorum voluptatibus, delitiis aut hirudinum marſupiis. Quocirca nemo ſibi hac in parte blandiatur, quia nulli quidem laico aut Eccleſiaſtico, & ne quidem mihi ipſi contra Euangelicam veritatem adulari aut gratificari, ſed huic uni propugnandæ me totum intrepidè addicere conſtitui: quando propter illam Dominus noſter venit in mundum, ut eam in libertatem aſſereret: quam nihilominus verſuti diſputatores &, ut verbis Auguſtini utar, de opere Monachorum *Venditores Euangelii*, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, hodie ſuis cavillationibus ſophiſticis, veritatem quaſi vinculis captivam detinent, & *via facti* opprimunt, quoniam *via Juris*, tueri nequeunt. Procul dubio, niſi 2. pars hujus Axiomatis ita haberet, Eccleſiaſtici rantas opes & divitias ſibi cumulare poſſent, ut nullo negotio cunctam vim & auctoritatem politicam ad ſeſe pertraherent: maxime verò, quod Cenſurarum evulgatione in Principes, & Magiſtratus politicos eis pronum eſſet in regiam invadere: ſicut illi revera hodie invadunt, qui Politicas poteſtates juſtis præſidiis & adjumentis neceſſariis, quibus à Deo & natura inſtruuntur, exſpoliant: & Eccleſiaſticos non *Jure* ſed *de facto* tantum ſubditos politicæ Poteſtati comminiſcuntur.

Summa ergo noſtræ ſententiæ hæc erit, dum Cardinalis Bellarminus, Baronius,

ronius, Suares, aut alii quicumque urgent, Synodo Constantiensi, Tridentina, vel aliis Conciliis explicate sancitum Immunitates Ecclesiasticorum Juris esse Divini & Naturalis: vera quidem narrare, si loquantur de iis quæ ad cultum Divinum & publicam Religionis professionem, nec non etiam de absolutè necessariis ad statum naturalem, & vitam honestam Clericorum sustentandam: de aliis autem hoc eis planè negandum, quia Juris sunt mere humani arbitrarii; Et ita facile est videre & secernere Immunitates Ecclesiasticorum Jure Divino, & Naturali constitutas ab iis quæ sunt Juris penitus humani. De his autem ut disputationem instituamus, sciendum, post hujus prophetiæ complementum, *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terra demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*, Isaiæ 49. id est, postquam Imperatores, Reges, & Principes terræ nomen dederunt Euangelio, illos ob Christi atque Religionis reverentiam, & sanctimoniam vitæ Ecclesiasticorum magnis Immunitatibus & privilegiis Clerum uniuersum cumulasse, tum quo ad personas, tum etiam quoad bona quorum privilegiorum multa æquitate naturali, & charitate niti fatendum est. Herclè Ecclesiæ primitivæ temporibus, cum vita Ecclesiasticorum adeo exemplaris esset, ut universus populus Episcopos suarum controversiarum, & dissidiorum arbitros deligeret: id occasionem præbuit Imperatoribus Christianis primum mandandi Præfectis Prætorio ut Judicia Episcoporum in rem judicatam mitterent: deinde verò Episcopis facultatem dederunt cognoscendi de omnibus causis Clericorum: idque occasionem præbuit canoni 9. Synodi Chalcedonensis: *Si quis Clericus habet cum Clerico litem aut negotium, proprium Episcopum ne relinquat: & ad secularia judicia ne excurrat, sed causam prius apud proprium Episcopum agat, vel de Episcopi sententia apud eos quos utraque pars elegerit, judicium agitetur.* Cujus canonis genuinam interpretationem habes apud S. Leonem Magnum qui Chalcedonensi Concilio per legatos suos præfuit, & Epistola 96. ad Episcopos & Presbyteros Thraciæ nominatim asserit; *Imperatores jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis, juxta divalia constituta permisisse*: hoc est, Edictis suis: sic autem claudit Epistolam 81. *Si Clericus laicum pulset, prius se audiri ab Episcopo poscat: tum si petitioni suæ locum viderit obviare, ex permissu Episcopi sui in seculi moderatores disceptatione confligat.* Sensus est; dato quod Clericus vocaretur in Jus à laico coram Judice seculari, ne quidem Clerico ante licuisse respondere coram Magistratu Politico quam prius postulasset se audiri ab Episcopo suo: si autem laicus nollet coram Episcopo causam decidi, tum permissu Episcopi Clerico fas erat Jus suum persequi coram Magistratu politico. Quæ omnia lumen accipiunt à Codice Justiniani Titulo *de Episcopali audientia*: ubi permulta in eam rem statuuntur ex forma disciplinæ usitatæ in primitiva Ecclesia: & nisi me meum fallit judicium ex l. 3. *Qui ex carceribus die Paschali*

dimittuntur, proclive est colligere, quænam antiquitus essent crimina propter quæ Ecclesiastici traderentur brachio seculari, & minimè fruerentur clericali privilegio. Nam imperator vetat illos die Paschali ex carceribus dimitti qui sacrilegium, veneficium, adulterium, stuprum, incestum, parricidium, &c. commiserunt. *Sed ab his secernimus eos*, inquit, *à quibus contaminari potius gaudia, lætitiamque communem si dimittantur, animadvertimus. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis adultero, vel stupri incestive reo tempore castitatis ignoscat? Quis non raptorem virginis in summa quiete, & gaudio communi persequatur instantius? nullam accipiat vinculorum requiem qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit, patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulter, violatorque monetæ, homicida parricidaque quod fecit semper exspectet, reus etiam Majestatis de domino adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet.* Certe mihi est exploratum, si qui Sacerdotes aut Clerici essent rei læsæ Majestatis, monetæ violatores, homicidæ, &c. & eam ob rem detinerentur in vinculis, nequaquam solutos fuisse die sancto Paschæ. Et ita indubitatum relinquitur, Episcopos permissu Imperatorum de causis Clericorum in civilibus & temporalibus cognovisse, ut clarè docet S. Leo; atque Imperatores quædam crimina sibi reservasse. Nihilominus barbarie seculorum invalescente, cum soli pene Ecclesiastici literas possiderent, & magna ex parte in politicam Jurisdictionem invasissent, contrarium omnino persuadere voluerunt: nimirum politicos Magistratus ex sola Clericorum indulgentia, & permissione de causis Ecclesiasticorum cognoscere. Cui prætexendo, & muniendo incœpto, famosam *distinctionem delicti communis, & casus privilegiati* adinvenerunt: tumque demum adepto primum à Principibus Christianis Jure territorii, una quoque Jus carceris, quo nunc utuntur, impetrarunt ab iisdem Principibus, quibus persuasum erat pro gloria Dei & bono Religionis, opes & potentiam Ecclesiasticorum satis angeri nunquam posse: quæ causa fuit, ut Jurisdictionem ad instar Principum seculi tandem erexerint, cum antea aliis pœnis quam suspensione Ordinum, jejuniis, & pœnitentiæ injunctione non uterentur erga Ecclesiasticos, aut alios delinquentes. Quod optime notat Gregorius II. Papa Epistola 13. ad Leonem Isaurum iconomachum describens Ecclesiasticæ & Politicæ potestatis discrimen his verbis: *Nam quemadmodum Pontifex, introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi: sic neque Imperator in Ecclesias introspicendi, & electiones in Clero peragendi, neque consecrandi, vel Symbola Sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera Sacerdotis. Sed quisque nostrum in qua vocatione vocatus est à Deo, in ea maneat.* Vides, *Imperator*, Pontificum & Imperatorum discrimen? *Si quis iam te offenderit, domum ejus publicas, & spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas,*

cas, vel relegas, eumque longè à liberis & ab omnibus cognatis, & amicis suis amandas. Pontifices non ita, *sed ubi peccarit quis, & confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco Euangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt eumque tanquam in carcerem, in secretaria, sacrorumque vasorum ærariа conjiciunt, in Ecclesiæ diaconia, & in Catechumena ablegant, ac visceribus eorum jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt. Cumque probe castigarint, probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartiunt, & sancto illum sanguine potant: & cum illum* vas electionis *restituerint, ac immunem peccati, sic ad Deum,* purum insontemque *transmittunt. Vides,* Imperator, *Ecclesiarum Imperiorumque discrimen?* Qua ex Epistola discimus, quænam fuerit forma disciplinæ Ecclesiasticæ octavo seculo post humani generis redemptionem, quo Gregorius II. florebat: & tum temporis Pontifices Romanos, ne quidem Romæ *Jus* habuisse *carceris:* id enim aliquanto pòst donatione Caroli Magni consequuti sunt unà cum *patrimonio S. Petri* quod appellant: deinde etiam alii Episcopi æmulatione Romanorum Pontificum hoc Juris pariter à Regibus obtinuerunt. Quod vero Gregorius memorat, neque Pontifici fas esse introspicere in Palatium, neque dignitates regias deferre; neque vicissim Regi in Ecclesias introspicere, electiones in Clero peragere, consecrare sacramenta, &c. hunc admittit sensum, minimè licitum Ecclesiasticis se immiscere seculi, & maximè politicis negotiis quæ ad Statum Regni spectant: neque etiam pariter Regibus negotia quæ ad interiorem disciplinam Ecclesiasticam pertinent, attingere. Patres Synodi Chalcedonensis *Regularia* nominant.

Verum ut de bonis & opibus temporalibus Ecclesiasticorum aliquid amplius commentemur; Clerus magna parte ea Regibus & Principibus Christianis accepta referre debet, sicut & immunitates à tributis, & vectigalibus. Profectò quingentis atque amplius annis post Christum incarnatum Clerus alebatur ex *Collationibus fidelium* quæ fiebant in Ecclesia ad alendos ministros Ecclesiæ & pauperes Unde nihil mirum est tum Ecclesiasticos qui tenuiter admodum habebant, unde vitam sustentarent, immunitatibus & privilegiis donatos à Principibus Christianis, sicut hodie videmus Xenodochia, & pauperes Religiosos mendicantes, & alios privilegiis merito ornari. At sexto seculo quo *Religiosi Ordinis S. Benedicti* florere cœperunt, Ecclesiæ atque Abbatiæ magnis opibus ac proventibus ad divina officia pro vivorum & defunctorum salute celebranda auctæ sunt: tum enim fundationes & dotationes Ecclesiarum initium habuerunt. Deinde exciso regno Longobardorum à Carolo Magno Jus investiendi Episcopos atque Abbates per virgam & annulum pastoralem in Synodo Episcoporum auctoritate S. Apostolicæ, atque omnium Episcoporum consensu eidem Carolo propter innumera ejus beneficia erga Romanam Ecclesiam tributum est: quam

ob

ob cauſam idem Carolus ut Eccleſiaſticos ſibi atque Regno & Imperio arctius devinciret, *omnes pene terras Eccleſiis conferebat, conſilioſiſſime perpendens, nolle ſacri ordinis homines tam facile quam laicos fidelitatem dominii ſui rejicere. Præterea, ſi laici rebellarent, illos poſſe excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeveritate compeſcere*, ut refert Gulielmus Malmesberienſis lib. 5. de geſtis Regum Angliæ: quod Caroli Magni Conſilium, tandem Imperii atque politicæ poteſtatis, & Eccleſiæ ruinam acceleravit. His ergo de cauſis Eccleſiæ Baronis, Comitatibus, atque aliis Regum atque Imperatorum beneficiis locupletatæ, Epiſcopi, & Abbates magnas Angarias & præſtationes Regibus & Imperatoribus ad bellum proficiſcentibus dependere cogebantur propter Regalia & opes temporales quas à Regibus obtinuerant: idque tum demum cauſam præbuit Epiſcopis permultis arma ferendi, & ſtatum militarem affectandi circa decimum ſeculum & infra: huncque Petri Damiani Eccleſiæ Romanæ Cardinalis querelæ. Quibus temporibus conſtitutum fuit Gregorio VII. Eccleſiam Romanam & alias Eccleſias in libertatem aſſerere ſublato *Jure inveſtiendi Eccleſiaſticos* Imperatori, & Regibus: tum enim nullus ad Pontificatum aſſumebatur, niſi conſentiente Imperatore. Quamobrem Gregorius Henricum IV. qui more majorum Jure inveſtiendi utebatur, primum excommunicavit, deinde pedetentim imperio abdicavit, ut regeſta Epiſtolarum Gregorii VII. declarant. Qua ex re Schiſma peſtilens ſexaginta amplius annorum & innumeræ clades ſequutæ ſunt: Gregorius autem VII. atque Urbanus II. Gregorii ſucceſſor, ſubditos Henrici tanta religione, crebris cenſuris & interdictis geminatis obſtrinxerunt, ut Henrico neceſſe fuerit bis & ſexagies inſtructa acie & collatis ſignis cum propriis ſubditis depugnare, quod nulli duci militari antea, ne quidem Marcello aut Julio Cæſari contigit: lege Baptiſtam Egnatium in vita Henrici. Proculdubio Gregorii VII. ſeculo tria maximè notabilia uſuevenerunt, quæ Romanam Curiam & Papatum ad hodiernum potentatum paulatim extulerunt: primum abdicatio Henrici Imperatoris, ex qua dilapidatio Imperii Occidentalis, & ſciſſura in multas dynaſtias, atque impotentes principatus & regna ſequuta eſt, quales videmus hodie in Italia & Germania: ſecundo tum quoque invaluit conſuetudo Principum Nobilium & aliorum hominum Chriſtianorum Eccleſiæ Latinæ ſeſe ad belli ſacri expeditionem pro liberatione Hieroſolymorum devovendi, atque palam & publicè aſſumendi crucem: quo ex ritu Pontifices magnam venati ſunt poteſtatem in omnes opes & perſonas Imperatorum, Regum, atque omnium qui ſe ejuſmodi bello gerendo dedicabant: & hinc etiam *uſus Indulgentiarum* maximè invaluit, quem ſæpè Curia Romana, ad privatum commodum & quæſtum derivavit: tertio inſtituti quoque diverſarum nationum Cardinales pro electione Papæ, quo ex more hodierna Monarchia introducta eſt. Certe poſtquam exauctoratus eſt Im-

Imperator, & Jure investiendi Prælatos abdicatus, Gregorii VII. successores deinceps quasi pro suprema Lege fidei, & Religionis Catholicæ altius constituendæ primo sanxerunt, Ecclesiasticos ab omni potestate & Jurisdictione Principum secularium, etiam in rebus civilibus & temporalibus, planè liberos ac immunes esse: secundo Romanum Pontificem pollere auctoritate Regum abdicandorum, si forte Reges imperatis Papæ obtemperare nollent. Quibus ex *novitatibus*, ut eas Sigebertus, & Otho Frinsingensis, atque alii auctores illius seculi nuncupant, sequuta est pestilens imperii Politici divisio, & Schisma irreconciliabile inter Sacerdotium & Regnum, inter politicas Potestates & Clerum: quibus incœptis muniendis variæ Decretales conditæ ab Innocentio III. & IV. Gregorio IX. Bonifacio VIII. & aliis Pontificibus: actum demum *in Bullam Cœnæ Domini & Directorium Inquisitorum* conjectæ sunt. Et quoniam seculis illis soli Ecclesiastici & Monachi St. Benedicti literas possidebant, neque sacra Biblia, & alii libri Patrum, quia Typographia nondum inventa erat, Laicis patebant, populus pro sacris oraculis excipiebat, quicquid ab Ecclesiasticorum ore manabat, utque ait Gersonius tractatu circa materiam Excommunicationum & irregularitatum, *existimabat Papam esse unum Deum, omnem potestatem habentem in cœlo & in terra.* Profectò inter Ecclesiasticos solus penè *Sigebertus*, & *Otho Frinsingensis* seculo Gregorii VII. ruinam Imperii palam deflere ausi sunt: & *S. Bernardus* libris de Consideratione ad *Eugenium* gesta *Gregorii* dominium & potestatem absolutam cogendi sibi contra naturam Legis gratiæ & Ministerii spiritualis Ecclesiæ vendicantis, figuratè & per schematismum continuum acriter culpat & reprehendit. Deinde tempore *Philippi Pulchri* Galliarum regis, cum Academia Parisiensis jam radios suæ eruditionis per Europam spargeret, ac tenebras ignorantiæ paulatim depelleret, aliquot doctores Scholæ Parisiensis reperti sunt qui pro Philippo quem Bonifacius regno avito privare moliebatur, doctissimè scriberent, & præsertim Magister *Joannes Surdi* agnominatus *de Parisiis*, quia natus esset Parisiis.

Quod autem dixi *Decretales Pontificum* in *Bullam Cœnæ Domini*, & *Directorium Inquisitorum* conjectas, sic habet. Enimverò summa *Francisci Toleti* de institutione Sacerdotum lib. 1. Bullam Cœnæ Domini refert: qua continentur octodecim genera Excommunicationum à capite 19. ad 29. & capite 19. primam speciem Excommunicationis distringit *contra Hæreticos, fautores Hæreticorum*, ut vocant, *eorumque libros legentes, aut retinentes, absque permissu S. Apostolicæ, &c.* hos autem Pontifex annuatim *die Cœnæ Domini* excommunicat. Et ob eam causam nullus est Princeps Christianus, qui etiam pro Regni sui defensione fœdus icere audeat cum Hæreticis aut Infidelibus, quin ei Papa si velit, & malè sit in illum animatus, maximum negotium facessere possit: injecta religione populis, quod Princeps ille pessimè sentiat de fide, sit-

que fautor hæreticorum aut infidelium: quo nefando prætextu, Henricus III. Galliarum Rex quamquam maxime Catholicus interemptus est, propterea quod more majorum suorum Sedani & Genevæ protectionem suscepisset. Hic enim color rebellandi in illum quæsitus est à Jesuitis.

Capite vigesimo libri primi ejusdem Summæ Toleti, omnes excommunicantur, qui de Papæ decretis aut sententia, & ordinationibus appellant ad Generale Concilium, aut etiam dant auxilium vel favorem appellantibus ad Concilium: item Universitates, Collegia & Capitula quæ tenent aut docent Papam Concilio Generali subditum, hac Excommunicatione implicantur & interdicuntur. Qui quidem Articulus cœnæ Domini *est tanquam murus & antemurale* non modò omnium Articulorum istius Bullæ, verumetiam omnium Constitutionum Romanæ Curiæ: aut enim parendum aut in sententiam Excommunicationis vel interdicti incurrendum est, si ita Papæ visum fuerit. Quasi vero Dominus noster, imperatis Curiæ Romanæ sanciendis tot Excommunicationum malleolos & fasciculos effundi voluerit capite 21. ejusdem libri primi Summæ Toleti, *excommunicantur omnes Principes qui nova pedagia*, seu *gabellas in terris suis* præterquam in casibus sibi à Jure, seu ex speciali sedis Apostolicæ licentia permissis *imponunt*, *aut augent*. Unde *Martinus Becanus* conformiter ad hunc articulum Opusculo quo respondet *ad Aphorismos falso Jesuitis impositos*, Responsione ad nonum Aphorismum explicatè docet; *Principem ratione administrationis tyrannum evadere*, *si tyrannice administret principatum*, *onerando subditos injustis exactionibus*, *vendendo officia Judicum condendo leges sibi commodas*, *&c.* Porro ope hujus Excommunicationis situm est in manu Papæ, quotiescumque libuerit Principes Tyrannos declarare, & populum in Reges tanquam Tyrannos excire, nisi Principes à Papa facultatem tributa exigendi prius impetrarint. Et ita oporteret Reges & Principes Christianos omnia Arcana negotia status politici sui regni referare Pontifici Romano. Certe *Bonifacius* VIII. hoc prætextu usus est adversus *Philippum Pulchrum* ei vitio dans quod injustis tributis subditos gravaret, atque Legem monetarum in suo regno imminueret.

Capite vigesimo septimo. 28. & 29. libri primi Summæ, Toletus disputat de immunitatibus & privilegiis Ecclesiasticorum: consequenterque ait, omnes Cancellarios, Præsides, Consiliarios, Parlamenta, atque omnes alios Magistratus & Judices constitutos ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Christianis excommunicari, *qui quomodolibet impediunt Ecclesiasticos*, *quominus sua Jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur secundum decreta Tridentini Concilii*, *&c.* Qua clausula tota auctoritas politica pessumdatur, & ad Curiam Episcopalem transfertur, adeò ut Ecclesiastici alium statum aut potius Anarchiam in statu politico Regum & Principum Christianorum constituant: hoc enim

enim posito Articulo, Ecclesiastici non solum sunt immunes à Jurisdictione politica in causis civilibus & temporalibus, verumetiam possunt ex animi sui sententia Laicos ad Curiam Episcopalem abstrahere, quemadmodum hæc verba declarant: *quo minus sua Jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur secundum decreta Concilii Tridentini.* Concilium vero Tridentinum Immunitates Ecclesiasticorum congruenter ad Decretales *Bonifacii* VIII. asserit: quæ causa est hodie Prælatis Franciæ tantopere perurgendi, ut hoc Concilium recipiatur in Galliis, & *Mironio* Andegavensi Episcopo insultandi adversus Parlamentum.

Sed inter tot ac tantas Excommunicationes, quas ad Curiæ Romanæ dominatum figendum, dextra & sinistra *fulminant*, ut eorum verbo utamur: insuper contendunt eos qui per annum integrum in ejusmodi Excommunicationibus continuant, esse Hæreticos propter contumaciam, si Deo placet. *cap. cum contumacia. de hæreticis in 6.*

At verò quoniam variæ sunt leges sine moribus, liber inscriptus *Directorium Inquisitorum*, huic rei inventus atque editus Romæ Anno 1585. in ædibus populi Romani: in tres autem partes distribuitur, ac pro titulo & fundamento Officii Inquisitionis potestas animadvertendi *capitaliter* in Hæreticos & fautores Hæreticorum asseritur velut summa omnium agendorum, conformiter *ad extravagantem Bonifacii* VIII. *unam sanctam. de majoritate & obedientia*: prima parte Directorii Commentario septimo. Qua extravagante perhibetur; *Papam utrumque habere gladium, videlicet spiritualem & temporalem, & ab eo omnes judicari, Ipsum verò à nemine*: idque adeo ut Commentator hujus Directorii concludat, *omnes impios esse & Ecclesiæ inimicos qui ejusmodi extravagantem Bonifacii, atque aliorum Pontificum Decretales, de potestate utriusque gladii propria Ecclesiæ, vel non recipiunt, vel de iis malè sentire videntur: inter quos Franciscum Duarenum lib. 1. cap. 4. de Sacris Ecclesiæ ministeriis adnumerat.* Procul dubio suprema potestas exsequendi decreta atque sententias Officii Inquisitionis, tota incumbit in potestatem irrogandi pœnas corporales, & capitales: qua propter ejusmodi decreta, & sententiæ omninò forent inutiles, & inefficaces, absque potestate gladii materialis, *quam Bonifacius* VIII. *Innocentius* III. *cap. Venerabilem. de electione, & Innocentius* IV. *cap. ad Apostolicæ. de sententia & re judicata. in 6. Clemens* V. *in Clementina Romani, de jurejurando sibi contra Jus Divinum & Naturale post Gregorium* VII. *venditarunt.* Est ergo titulus & arundineum fundamentum quo potestas puniendi *capitaliter* in officio Inquisitionis nititur.

Cæterum tertia parte Directorii Commentario decimo tertio, triplex modus & ratio traditur procedendi, atque instruendi litem adversus Hæreticos aut suspectos de Hæresi: nimirum *per accusationem, per delationem aut denunciationem*

nem & per Inquiſitionem: Et modus accuſandi non admittitur in cauſa fidei, quia eſt multum periculoſus, & quia eſt multum litigioſus: propria ſunt verba, quæ indicant Accuſatores non hîc admitti, quoniam crimen Hæreſeos objectum Juridice & Canonice per teſtes probandum eſſet. Itaque *procurator fiſcalis Inquiſitionis* debet ſubire partes Accuſatoris, *quia non eſt obnoxius pœnæ talionis, neque aliis pœnis quas falſi accuſatores pati ſolent*: vide Commentarium decimum quartum tertiæ partis ex quo clare colligitur, falſos accuſatores admitti poſſe in Inquiſitione. Quocirca ſola ſupereſt *Delatio & Inquiſitio*, ad procedendum contra Hæreticos aut ſuſpectos de Hæreſi: eſtque ſatis aliquem deferre ad Syndicum aut Inquiſitorem, ac teſtari ſe ſolo Zelo fidei incendi ad ejuſmodi delationem & denunciationem faciendam. Quod ſi nec Accuſator nec Delator ullus reperiatur, & fama increbuerit, *quod aliquis in aliqua Civitate vel aliquo loco aliquid dixerit, vel fecerit contra Fidem, & clamor ad aures Inquiſitoris pervenit pluries publica fama deferente, tunc Inquiſitor inquirat ex officio.* Vide Commentarium decimum quintum tertiæ partis.

Porrò eadem tertia parte Directorii Commentario vigeſimo octavo verſus finem hæc leguntur: *In crimine hæreſeos propter ejus enormitatem omnia teſtimonia recipiuntur, omniumque voces & accuſationes audiuntur, etiam Inimicorum, hominum perjurorum, lenonum, meretricum, & infamium:* Conſule quadrageſimum octavum Commentarium, & quæſtionem ſexageſimam ſextam, qua docetur, *etiam ſervos adverſus dominos, quoſlibet criminoſos, etiam infames adverſus quemlibet admitti*: Quod autem periculoſius eſt, omnes qui ad *officium Inquiſitionis* deferuntur, ſolent condemnari duorum ejuſmodi teſtium depoſitione, *etiam ipſimet Reges*, quamquam teſtes iſti eis non denuncient, ut eos refutare queant: adi Commentarium vigeſimum tertium, quadrageſimum octavum centeſimum vigeſimum, & centeſimum vigeſimum quartum, ubi hæc leguntur circa medium: *Quod ſi Reus inſtaret poſtularetque ut ſibi concederetur defenſio ſecundum Juris ordinem, & per conſequens, ut teſtium nomina ſimul cum dictis eorumdem ſibiederentur, audiendus non eſſet. Ut ſi fortaſſis ob id gravari ſe diceret, & appellaret, talis Appellatio nullo modo eſſet admittenda, ſed ea non obſtante, immo verò ea rejecta tanquam frivola, & injuſta ad ulteriora judicii acta eſt intrepide procedendum.* Obſervas lector, formam Juſtitiæ quam Inquiſitores ſervant in *Officio Sancto*, ut vocant. Iis autem qui hac ratione procedendi legi Euangelicæ, immoverò omni humanitati contrariâ ſic excarnificantur, iidem Inquiſitores hanc adornant conſolationem tertia parte Commentario quadrageſimo octavo ante medium: *Nec quiſquam dicat, injuſtè ſe hac ratione condemnari*, nec conqueratur de *Judicibus Eccleſiaſticis*, vel de *Judicio Eccleſiæ* ita ſtatuentis, quæ de Occultis non judicat: ſed ſi fortaſſis per iniquos teſtes eſt convictus, ferat id æquo animo, ac lætetur quod

pro

pro veritate mortem patiatur. Quam meditationem multo proclivius est præscribere verbis quam revera servare: quando cunctis innatum est mortalibus horrere mortem quam Jesus Christus etiam reformidavit. Contra autem immania hæc dogmata merito illud Domini potest impendi Matthæi 15. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter Traditionem vestram? Si autem sciretis quod est*, Misericordiam volo & non sacrificium, *nunquam condemnassetis innocentes*, Matthæi 12. *Nescitis cujus spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere sed salvare* Lucæ 9. Heu! pridem ingemiscebat Gersonius consideratione 30. de cordis directione, *quod gravius plecteretur agens contra unum Papæ decretum, quam delinquens contra divinum præceptum, & Euangelium, juxta improperium Christi ad Pharisæos: Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditiones vestras.* Verum frustra & perperam obtendunt, *Ecclesiam non judicare de occultis*, quoniam hoc non est Ecclesiæ, sed Romanæ Curiæ judicium quæ se cautis sanguinis contra legem Dei & Euangelium Pacis immiscet. Quemadmodum verò Ecclesia de Occultis non judicat, ita non patitur quemquam uti forma judiciorum plane tenebrosa, & obscura, in qua homines perjuri, infames, lenones, meretrices, & *inimici* etiam *capitales* ad testificandum admittuntur, neque Reis innotescunt, ut illos justo judicio refutare ac repudiare queant. Quare Ethnici qui nobis fidem faciunt rationis procedendi in Lege Naturali, cum perhibeant; *Multo satius esse sontem absolvi quam innocentem damnari*, in die Domini contra istos exsurgent qui hac forma judicii in causa Religionis utuntur: cum certum sit Religionem eodem plane modo conservari, & propagari: *Nam si sanguine, si tormentis, si malo Religionem defendere velis, jam non defenditur illa sed polluitur atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium quam Religio; in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est*, ut ait Lactantius lib. 5. de divinis Institutionibus cap. 20. Quæ causa fuit, ut Christus nulla alia facultate Ecclesiam donarit quàm Potestate ministeriali spirituali, Axiomate XIV. Porrò formam procedendi in criminibus læsæ Majestatis apud Jurisconsultos usitatam ad causas Ecclesiæ & Religionis pertrahere & usurpare, ut consuetum est Inquisitoribus, hoc certè est omnia divina atque humana confundere & conturbare, quasi Ecclesia prædita esset Potestate fundendi sanguinis & *capitaliter* puniendi homines. Accedit præterea in criminibus læsæ Majestatis, quoniam in salute Principis omnium salus agitur, & nisi confestim sontes opprimas, opprimeris: ideo omnem impendendam esse diligentiam, severitatem, omniaque genera testium admittenda, & audienda, potiusque præveniendum quàm ut prævertaris. Contra autem in causa Religionis aut Hæreseos lentè est festinandum, & potius cunctandum, informandique homines, non occidendi: cavendumque, ut ait Augustinus sub finem libri primi Epistolæ contra Parmenianum, *ne frumenta pro Zizaniis capiantur: multi*

enim ex iis qui nunc in luporum numero ſunt, tandem inter oves recenſebuntur, ac fortaſſe etiam inter paſtores, inquit Gregorius Nazianzenus oratione ad Arrianos ſub finem.

Sed quamquam ſuperiora crudelia, & immania, tamen levia videbuntur & manſueta, ſi ad modum & rationem ſecretam procedendi *adverſum Reges & Regales perſonas* comparentur. Enimvero, cum Auctores Directorii Inquiſitorum obſervarent Politicas Poteſtates à Deo armatas gladio, neque cogi poſſe ad ſervanda Capita Bullæ Cœnæ Domini ſuperius expoſita; niſi eis bellum palam indiceretur, hocque nimis tumultuoſum, odioſum, ſcandaloſum & detrimentoſum ac incentivo Chriſtianis Principibus eſſe poſſe, ut ſe adverſum auctores tantæ iniquitatis armarent: tum demum his extremis temporibus, quæ ſunt velut ſentina & peſtis ſeculorum præcedentium, viam & rationem clanculum & ſecreto procedendi *contra Reges & Regales perſonas* commenti ſunt, ſpecioſo colore Religionis defendendæ, quaſi verò ita defendi amaret. Itaque tertia parte Directorii quæſtione trigeſima prima hanc inſtituunt quæſtionem: *Utrum Inquiſitor poſſit procedere contra Reges & omnes Laicos indiſtincte, &c. Reſpondemus quod ſic, &c. Conſulerem tamen, ut contra Reges & Regales perſonas publice non procederent Inquiſitores, ſed ut cautius & tutius negotium fidei poſſit agi, informaretur primitus Dominus noſter Papa, ut procederetur ejus conſilio & mandato, & ſecundum modum quem ipſe decreverit obſervandum.* Porrò Commentarius 80. in hanc quæſtionem cauſam explicat iſtius clancularii proceſſus: *Quia*, inquit, *ſi publice vellent Inquiſitores animadvertere in Reges, & Regales perſonas, facile impedirentur, præſertim in locis ſuſpectis, & ubi Inquiſitores ſunt pauperes & imbelles.*

Hinc ergo dignoſcitur in Officio Inquiſitionis duplicem modum procedendi teneri, alterum *apertum & omnibus cognitum*, quo utuntur erga populum & viles perſonas, quas palam ad mortem rapiunt: alterum verò *ſecretum & occultum*, quo quidem Reges & Regales perſonas clanculum & indicta cauſa damnant. Cujus myſterioſi proceſſus contra Reges & Regales perſonas *Franciſcus Suarez* Jeſuita Hiſpanus nobis tenebras detexit lib. quem inſcripſit *Defenſio Fidei Catholicæ* cap. 4. libri 6. num. 17. his verbis: *Secundò pendet Regnum Chriſtianum à Pontifice in hoc ut poſſit Pontifex non ſolum conſulere aut conſentire ut regnum Regem ſibi perniciosum deponat, ſed etiam præcipere & cogere ut id faciat quando ſaluti Spirituali Regni, & præſertim ad vitandas Hæreſes vel Schiſmata neceſſarium eſſe judicaverit. Quia tunc maxime habet locum uſus poteſtatis indirectæ circa temporalia propter ſpiritualem finem: & quia poteſt per ſe immediate Regem deponere in tali caſu. Ergo poteſt cogere Regnum ut id exſequatur, ſi neceſſarium ſit: aliàs eſſet ejus poteſtas non ſolum inefficax, ſed etiam inſufficiens.* Deinde numero 18. *Hoc ergo*

ergo ſuppoſito fundamento dicendum eſt in puncto ultimo propoſito, poſt ſententiam condemnatoriam Regis de Regni privatione latam per legitimam poteſtatem, vel quod perinde eſt, poſt ſententiam declaratoriam criminis habentis talem pœnam ipſo Jure impoſitam, poſſe quidem eum qui ſententiam tulit, vel cui ipſe commiſerit, Regem privare regno, ETIAM ILLUM INTERFICIENDO, *ſi aliter non potuerit, vel ſi juſta ſententia ad hanc etiam pœnam extendatur, &c. Eodem modo ſi Papa Regem deponat, ab illis tantum poterit expelli* VEL INTERFICI, *quibus ipſe id commiſerit, &c.* Quibus ex locis Suaris certò diſcimus, in officio Inquiſitionis Reges capitis damnari: *Directorium* autem *Inquiſitorum* demonſtrat, hoc clanculum fieri: & ita innoteſcit hoc clandeſtino proceſſu contra Reges & Regales perſonas videri propoſitum Inquiſitoribus non modo corpora, verumetiam animas Regum interimere: quod argumentum eſt certiſſimum, à quonam ſpiritu iſte modus procedendi ortum duxerit: idque ſequentia comprobant.

Ut enim exſequutio ſententiæ Inquiſitorum facilior & expeditior evadat, Inquiſitores quoddam genus vilium & ignarorum hominum inſtituunt qui famulantur Inquiſitoribus atque in eum finem crucem aſſumunt, & plerumque aliquo gravi crimine ſunt obſtricti ut Ravaillacus homicidio, & ſortilegio, atque Inquiſitoribus *ſolo nutu* obſequuntur: de quibus tertia parte Directorii Commentario centeſimo quinto hæc conſignata legimus: *Quos vulgus* Cruceſignatos *in Italia, in Hiſpania* familiares *appellat, qui deſtinati ſunt ex Officii ſacri inſtituto vel ad denunciandos Hæreticos, vel ad comitandum Inquiſitores, vel ad capiendos Hæreticos, ſi quando fuerint ab Inquiſitoribus requiſiti.* Deinde quæſtione CXXIX. *Catholici vero qui Crucis aſſumpto charactere ad Hæreticorum exterminium ſe accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque ſancto privilegio ſint muniti, quæ accedentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur.* Et Commentario CLXXVIII. *Si qui ex his in proſequutione hujuſmodi negotii forte deceſſerint, eis omnium peccatorum de quibus corde contriti, & ore confeſſi ſunt, plenam veniam indulgemus. Hoc privilegio hodie in primis gaudent* Cruceſignati *quibus in Hiſpania ſimiles ſunt illi quos dicimus* familiares, *qui nutibus Inquiſitorum obedientes ea exſequuntur quæ ad promotionem hujus ſacri Officii, & ad fidei propagationem, & ad hæreticæ pravitatis exſtirpationem ſpectant.* Utque omnes ad exſequutionem hujus arcanæ & clandeſtinæ ſententiæ contra Reges excitentur, ibidem declaratur; *Quod eandem etiam Indulgentiam conſequuntur, quicumque Zelo fidei cum opus eſſet Inquiſitoribus auxiliarentur: ut hinc Catholici magnopere excitari debeant ad favendum & auxiliandum Inquiſitoribus.* Quanti autem ſint ponderis plenariarum Indulgentiarum promiſſa ad animos vulgi & ignarorum hominum inflammandos nemo prudens neſcit: idque inſuper confirmant Reſponſa Ravaillaci,

vaillaci, qui coram Judicibus obtendebat: *Idem penitus esse Papæ & Dei mandatis aut voluntati adversari: seque divinæ voluntatis ac Judicii delectum exsequutorem, quoniam Rex contra voluntatem Papæ exercitum instruxerat:* atque alia ejusmodi. Hercle qui superiores Articulos Bullæ Cœnæ Domini cum his Arcanis præceptis Directorii Inquisitorum considerate contulerit, statim prima oculorum inclinatione cognoscet, esse velut retia & decipulam ad Reges & Principes Christianos implicandos, quotiescumque ita videbitur Pontifici aut Jesuitis male affectis erga aliquem Principem. Nam, ut ait Sapiens Proverbiorum 18. *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Siquidem Jesuitis ex natura sui instituti & quarti voti incumbit officio Inquisitorum defungi iis in provinciis, ubi *Inquisitionis officium* nequaquam institutum est, ut patet ex Bullis Pauli III. anno 1549. editis pro Jesuitarum instituto. Partes autem Inquisitorum sunt dare operam ut Bulla Cœnæ Domini ubique mandetur exsequutioni. Hacque de causa anno 1584. Claudius Matthæus provincialis Jesuitarum semina belli civilis sparsit in Galliis contra Henricum III. quem Jesuitæ palam criminabantur tanquam fautorem Hæreticorum, quoniam pro regni sui tutela confœderationem cum Elizabeta Angliæ Regina iniviſſet, atque Genevæ & Sedani protectionem susceperisset more majorum suorum. Et ne tam vetera repetamus, auctor libelli inscripti *Mysteria Politica, & Admonitio ad Ludovicum XIII. Galliæ & Navarræ Regem*, hac etiam de causa anno 1625. quandam invidiam Regi Christianissimo conscisse annixus est. Quæ celebria sunt Curiæ Romanæ mysteria, ab aliquot seculis prætextu Religionis melius constituendæ inventa: permultasque habent appendices, & longissimam annulorum inter se colligatorum seriem: cujus ope omnes politicæ Potestates immediate à Deo institutæ, & gladio armatæ discinguntur & exarmantur: ac Reges & Principes Christiani specie pietatis & religionis velut servi & feudatarii Papæ efficiuntur: Ecclesiastici autem à jugo politicæ Potestatis planè liberi atque immunes redduntur, quasi sacrorum Ordinum adeptione cives & membra Reipublicæ esse desinerent.

Procul dubio, nihil quidem ad speciem pietatis & Religionis Catholicæ commendatius & glorioſius quam prætextus tuendæ, & vindicandæ potestatis & libertatis Ecclesiasticæ, ac privilegiorum atque immunitatum Cleri. Sed non satis est id ostentui habere, nisi serio & dogmaticè probetur, ejusmodi potestatem atque immunitates, penitus congruas & consentientes, non repugnantes esse gratiæ, & naturæ potestatis ministerialis spiritualis Ecclesiæ: quemadmodum plurima capita Bullæ Cœnæ Domini, & Directorii Inquisitorum tota via aberrant à cœlo. Sanè cum à primis Euangelii incunabulis B. Paulus observaret speciem asserendæ libertatis Euangelicæ inter multos & præsertim inter Ecclesiasticos vigere, ut factum Diotrephis docet; hocque

in

in perniciem & ruinam politicæ Poteſtatis, atque Romani imperii clanculum graſſari, idque in dies *colore pietatis* longius latiuſque propagatum iri: divinitus quidem cap. 5. ad Galatas Chriſtianos monuit, *ne libertatem ſpiritualem ad quam vocati ſunt à Chriſto, in occaſionem carnis darent:* id eſt, ad res temporales, & carnales detorquerent: & cap. 2. poſterioris ad Theſſalonicenſes aſſeruit, *Myſterium iniquitatis jam operari: tantum ut qui tenet nunc, teneat.* Quibus verbis tectè omnes politicas Poteſtates admonet, ut de auctoritate ſua vindicanda ſollicitæ ſint, quod infra amplius probabitur. Et cap. 13. ad Roman. *omnibus præcipit mortalibus; nemine dempto, ut neceſſitate ſubditi ſint Principibus tanquam à Deo in bonum publicum conſtitutis*, Axiomate XXXIIX. quemadmodum etiam S. Petrus cap. 2. prioris epiſtolæ: *Subjecti eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam à Deo miſſis, &c. Quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei omnes honoremus.* Senſus eſt, ne libertatem Chriſtianam & Eccleſiaſticam quaſi velamen aliquod, & prætextum malitiæ obtendamus, nimirum eam ad faſtum & potentiam temporalem convertendo more Diotrephis, aut etiam prætexendo nos Politicis poteſtatibus nequaquam ſubditos eſſe. Certe B. Joannes *Myſterium iniquitatis* jamjam operari in Diotrephe, clarè demonſtrat epiſtola ultima: quoniam Primatum & Dominatum velut temporalem in Eccleſiis ſibi arrogabat: *ita ut neque S. Joannem, quia iſtius hominis faſtum & ſuperbiam culpabat, neque alios fratres qui à B. Joanne veniebant reciperet: atque amplius omnes alios qui eos ſuſciperent, de Eccleſiis ejiceret.* Nec dubium, quin Diotrephes multos haberet cooperatores, & ſocios, blandiente prætextu & ſtudio Poteſtatis Eccleſiaſticæ extollendæ, ſicut hodie experimur. Quod verò ad textum hunc Apoſtoli; *Jam Myſterium iniquitatis operatur, tantum ut qui tenet nunc, teneat*; S. Auguſtinus lib. 20. cap. 19. de Civitate: *Non abſurde*, inquit, *de ipſo Romano Imperio creditur dictum: tanquam dictum ſit: tantum qui modò imperat, imperet, donec de medio tollatur*; Imperium ſcilicet, & ſuprema Poteſtas politica plane exarmetur: qua ſtante cuncti mortales in officio continentur, atque impedimento erit, quo minus Antichriſtus veniat, & ſuam peragat operationem. Certè Auguſtinus ibidem perhibet, *Apoſtolum loqui de Imperio, & non id aperte ſcribere voluiſſe, ne calumniam incurreret, quod Romano Imperio male optaverit, cum ſperaretur æternum.* Cui & S. Chryſoſtomus concordat Commentariis in 2. ad Theſſalonicenſes 2. *Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, hoc eſt*, ait, *quando Romanum Imperium de medio ſublatum fuerit, tunc veniet Antichriſtus.* Chryſoſtomum quoque Theodoretus imitatur; atque amplius idem Auguſtinus

loco citato *Myſterium iniquitatis* explicat *de malis & fictis qui ſunt in Eccleſia, quos* dicit *ad tantum numerum perventuros, ut Antichriſto magnum populum faciant, & hoc eſſe myſterium iniquitatis, quia videtur occultum.* Subjungit præterea, *ad ipſum* pertinere *Myſterium* quod *Joannes* ait in Epiſtola 1. c. 2. *Nunc autem Antichriſti multi facti ſunt.* Equidem in prima editione epiſtolarum *S. Gregorii Magni*, facta Venetiis à *Lazaro Soardo* auctoritate *Julii II. PP.* anno 1505. libro quarto epiſtola trigeſima octava cap. 82. hæc leguntur, ubi querelam inſtituit adverſus titulum Epiſcopi univerſalis: *Rex ſuperbiæ* (Antichriſtus ſcilicet) *prope eſt &, quod dici nefas eſt, Sacerdotum ei præparatur exercitus, &c.* Quam lectionem ut genuinam Bellarminus agnoſcit lib. 3. de Romano Pontifice cap. 13. ſub finem; Reſpondetque & merito Hæreticos nihil inde habere quod glorientur, *quaſi Sacerdotes, ut ſacerdotes, ad exercitum Antichriſti pertinerent*: cum hoc intelligatur *de ſacerdotibus ſuperbis*: & continuò ſequitur, *Antichriſtum multos habiturum ſacerdotes iniqui ſui Myſterii cooperatores.* Quæ antiqua lectio epiſtolarum *Gregorii* extat in manuſcriptis Codicibus, & nihilominus ex omnibus novis Editionibus abraſa eſt. B. Anſelmus ſuo more imitatur Auguſtinum Commentariis in ſecundam epiſtolam ad Theſſalonicenſes: *Jam in malis & fictis qui ſunt in Eccleſia, operatur Myſterium iniquitatis*, ait: *Quod ideo dicitur Myſterium, quia videtur occultum: quia tales operarii oſtendunt, ſe velut miniſtros aut famulos Chriſti, cum revera miniſtri ſint Antichriſti. Nam iniquitas eorum eſt myſtica, id eſt, pietatis nomine palliata, & ſub ſpecie boni perpetrat malum.* Cornelius à Lapide, *per Myſterium iniquitatis, iniquitas arcana, & myſtica pietatis aut legitimi dominii & Imperii titulo & nomine palliata deſignatur*, ait cap. 2. Poſterioris ad Theſſalonicenſes num. 40. Hæc autem dum apud me perpendo, atque innumeras ſtrages Chriſtianorum, & ſchiſmata conſidero, quæ ſpecie libertatis & poteſtatis Eccleſiaſticæ aſſerendæ à *Gregorii* VII. ſeculo extiterunt, atque Romanum imperium, hoc eſt, Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculum everterunt: videoque inſuper Romanos Imperatores non modò Roma ſed tota Italia in Germaniæ angulum exactos, atque *Bonifacium* VIII. hoc pariter colore *Philippum Pulchrum* de regio Throno voluiſſe diſturbare: denique obſervo plurimos Epiſcopos, & Eccleſiaſticos Regum & Poteſtatum ſeculi imperata hodie detrectare: & à ſexaginta amplius annis totam Europam bello irreconciliabili flagrare, quo Bulla Cœnæ Domini ductu atque auſpiciis Jeſuitarum exſequutioni ubique demandetur: & eam ob cauſam duos Franciæ Reges ferro atque inſidiis Aſſaſſinorum occubuiſſe: vereor quidem ne extrema tempora, quorum meminit Apoſtolus non longe impendeant. Profecto aqua aquæ, & gemelli columbi non tam affines & ſimiles ſunt, quam poteſtas Curiæ Romanæ & officii Inquiſitionis *animadvertendi cap taliter & clanculum*

culum in Reges & Regales perſonas, nec non eximendi Clericos ab Juriſdictione temporali Regum, & poteſtatum Politicarum, conformis eſt dominio pietatis & Religionis titulo & nomine palliato, cujus B. Auguſtinus, Anſelmus, & Cornelius à Lapide meminerunt: quamquam tamen illi auctores iſtud Myſterium ad alium pertrahant ſenſum. Sed in eo omnes conſentiunt, quod res ſit obſcura, nomine *Myſterii* adumbrata: quam progreſſu & inclinatione ſeculorum lumen accipere, ac veritatem quotidie detegi oportet: ac proinde nos aliquid amplius quam Patres antiquos hic videre neceſſum eſt. Cuncti vero Patres Apoſtolum *de Romani Imperii excidio* verba facere contendunt. Et quoniam Romanum Imperium erat Subjectum omnium nobiliſſimum in quo Politica poteſtas unquam extitit: ego conjicio, Paulum hic *figuratè* ſeu *tropicè* loqui de *Interitu omnium Poteſtatum politicarum* Metonymia ſubjecti pro re adjuncta, & exiſtente in ſubjecto: puta capiendo *Romanum Imperium* pro *Politicis Poteſtatibus*, quibus hodie certiſſimam ruinam parant, ſtudio & contentione aſſerendæ *Libertatis Eccleſiaſticæ*, ut vocant, idque congruenter ad placita Bullæ Cœnæ Domini, & regulas Directorii Inquiſitorum. Et hinc perennis Gallorum luctus propter duos Reges Franciæ manu parricidarum interemptos. Hoc autem execrandum & deteſtabile parricidium in Reges noſtros, mihi ſæpiſſime *Eraſmi Rotherodami* Epiſtolam ad *Franciſcum* 1. Galliarum regem in memoriam reduxit lib. 21. Epiſtolarum, ubi vir doctiſſimus ſic Prophetam egit: *Prætexunt fidei titulum*, ait, *ſed revera aliud agunt, moliuntur Tyrannidem, etiam in Capita Principum: huc tendunt per cuniculos: niſi Princeps ipſorum voluntati per omnia paruerit, dicetur fautor Hæreticorum, & deſtitui poterit per Eccleſiam, hoc eſt, per aliquos conjuratos Pſeudomonachos & Pſeudotheologos.* Quæ prophetica enunciatio *Franciſco* 1. facta complementum nacta eſt in *Henrico* III. ejus nepote maxime Catholico ſi quis unquam alius extitit, ut de *Henrico Magno* fileam, cujus cædes velut quædam fatalis Dea Poëtarum, Franciæ regnum ad omnem poſteritatis memoriam innumeris cladibus deformavit, ut de Trojano excidio Poëtæ memorant. An premendum ſilentio, totam Europam bello crudeliſſimo ardere, quæ *Henrico Magno* ſuperſtite altiſſima pace fruebatur? Cæterum Regno Franciæ his artibus everſo quod omen Deus avertat, reliquis Monarchiis Chriſtianis quæ ſupererunt, eadem manet peſtis, ut Prophetia Apoſtoli, *de iniquitatis Myſterio* & Politicarum Poteſtatum ruina atque interitu complementum ſortiatur: Cujus peſtis & ruinæ complementum, in dies ſingulos Bullæ Cœnæ Domini & Directorii Inquiſitorum arcanis promovetur: tumque demum in fine ſeculorum, ſeditiones, conſpirationes & bella pluſquam civilia fervebunt, propter Poteſtatum ſeculi exarmatorum imbecillitatem, atque impotentiam: quæ nec ſibi ipſis, nec aliis ſufficienter conſulere poterunt: quia omnes imperare & nemo parere volet: qui-

bus de bellis consule caput 24. Matthæi. Porrò Apostolus his verbis, *qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*, tectè videtur commonefacere, omnes politicas Potestates, nulla dempta, ut sibi diligenter caveant, neque auctoritatem quam à Deo habent absorberi aut evanescere patiantur: quia eam sartam tectam retinendo & asserendo, Deo serviunt, atque horrendas confusiones quæ postremis temporibus ex utriusque potestatis conturbatione bacchari debent, impedient & remorabuntur. Equidem nunquam melius habuit Christiana Respublica quam dum politica Potestas erat potentissima sub Constantino Magno, Theodosiis, &c.

Concludamus ergo, justam & legitimam potestatem Clavium, atque immunitates Ecclesiasticorum, quemadmodum & virtutes morales, versari inter duo extrema vitiosa atque erronea: quorum extremorum semper alterum ad virtutem propius accedit, sicut prodigalitas verbi causa ad liberalitatem. Qui autem primi *Imperium in Ecclesiam effuderunt*, ut verbis utar B. Athanasii, id est, *Potestatem gladii materialis*. & deponendi atque occidendi Reges, Ecclesiæ adscribunt: & præterea mordicus tuentur, *Ecclesiasticos de facto tantum, non de Jure subditos politicis Potestatibus*, auctores quidem unius extremi censendi: quippe qui potestatem ministerialem spiritualem Ecclesiæ corrumpant, atque Ordinem politicum à Deo institutum in potestatem Ecclesiasticam plane confundant, & Anarchiam invehant in Rempublicam. Quæ causa fuit graviter dolendi S. Barnardo lib. 2. de considerat. ad Eugenium, quod *spirituale ministerium Ecclesiæ in absolutum ac plane regium dominatum* degenerasset: *Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque, forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio: quæ & commendatur ipsius exemplo Legislatoris*, ait. Vide Axioma IX. XXXIIX. & XXXIV. Marcilius de Padua & Jamdunus Itali, ut obviam irent horrendis cladibus & stragibus populorum quas Regum atque Imperatorum abdicationes atque opinio superior de Cleri Immunitatibus, & potestate gladii materialis quam *Bonifacius* VIII. sibi vendicavit, comitari solent, in alterum extremorum præcipites impegerunt. Cum enim observarent, Ecclesiam esse in Republica tanquam in Subjecto, ac Jure Divino penitus vacuam atque expertem omni potestate cogendi *extrinsecè*, & ad hanc rem opus habere brachio seculari: eo quidem dementiæ venerunt, ut potestatem Clavium, atque omnes actus interioris & regularis disciplinæ Ecclesiasticæ in politicam Potestatem confunderent. Negant enim quenquam ab Episcopis excommunicari aut sacris etiam Ordinibus donari posse, nisi prius obtenta facultate à politicis Magistratibus, atque alia ejusmodi. Quæ duo extrema vitiosa, nobis certo digitum ad veritatem justi & necessarii regiminis Christianæ Reipublicæ cognoscendam intendunt. Equidem partes sunt Ecclesiasticorum in omnibus suis incœptis semper meminisse, *cujusnam spiritus sint filii*

Lucæ.

Lucæ 9. versu 55. Ita ut nunquam prætergrediantur limites potestatis ministerialis spiritualis sibi à Deo creditæ : quæ tota fundatur in dilectione, charitate, & ædificatione, non in regio & absoluto dominatu, quo Romana Curia se hodie omnibus formidabilem reddit, mater & parens Schismatum quæ Ecclesiam Christi sponsam depascuntur, & laniant : *Sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oves meæ eò quod non esset pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt*, Ezechiel 34.

Porro si Curiæ Romanæ incœpta in detrimentum Reipublicæ grassentur, Principes Christiani propria auctoritate sese tueri possunt, ut Axiomate VIII. observavi, & Franciscus à Victoria Dominicanus auctor est prima Relectione de potestate Ecclesiæ sub finem propositione octava : *Si libertas Clericorum*, inquit, *esset in manifestam Reipublicæ perniciem, ita ut Ecclesiastici impune bacchantur in cædem Laicorum, & Pontifices nollent adhibere remedium, possent Principes consulere civibus suis non obstante privilegio Clericorum : quia Respublica civilis est perfecta & sibi sufficiens : potestque se defendere, & servare ab injuria cujuscumque propria auctoritate, & super hoc Leges convenientes ferre. Nam possunt Principes servare proprias Respublicas ab injuria aliarum Rerumplicarum non solum per modum defensionis, sed auctoritativè : ergo etiam ab injuria Clericorum.* Idem Relectione quarta de potestate Papæ & Concilii sub finem, vigesima secunda propositione concludit; *Licitum esse* etiam armis *resistere* Pontifici: *Sequitur corollarium, quod non solum liceret non parere talibus mandatis Papæ, sed etiam facto & vi, si opus esset resistere illis, & impedire armis exequutionem illorum mandatorum, & maxime intercedente publica auctoritate ut Principis, & comprehendere, & punire exsequutores talium mandatorum : semper tamen servato moderamine inculpatæ tutelæ, non excedendo reverentiam, &c.* Quam doctoris Hispani sententiam potius quam Gersonii, aut alterius adscribendam duximus, propterea quod *Franciscus à Victoria* quantum potest, privilegia Ecclesiasticorum & potestatem Papæ supra Concilium extollit : & nihilominus magno præjudicio veritatis hæc afferere cogitur. *Covarruvias* Segobiensis Episcopus libro Practicarum quæstionum cap. 35. numero 3. asserit, praxim regni Hispaniarum multis in rebus quo ad Ecclesiasticorum immunitates, & alia ejusmodi, conformem esse praxi regni Franciæ, quod confirmatur etiam superioribus propositionibus *Franciſci à Victoria.*

APOLOGIA
PRO
JOANNE GERSONIO.
PARS IV.

De Ecclesiæ potestate in res temporales, ac vicissim de Regum & potestatum seculi auctoritate in Ecclesiasticos.

Axioma XXXVII.

Ecclesiam habitare in Politia temporali tanquam in proprio subjecto, & domicilio: atque unicam efficere Rempublicam Christianam cum seculari Politia.



Um Dominus perhibeat, *se non habere ubi caput reclinet*, Lucæ 9. *Regnumque suum non esse de hoc mundo*, Joannis 18. ac venisse in mundum ut *regulariter & ordinarie* solam *Potestatem ministerialem spiritualem* exerceret, eamque *unam & solam* Ecclesiæ sponsæ relinqueret, Axiomate XIV. Hinc necessario consurgit, Ecclesiam Jure Divino primario nullum habere territorium, nullum Jus coactionis externæ: sed in temporali & civili Politia tanquam in proprio subjecto, materia & domicilio ac thalamo habitare: adeò ut ex civili politia & Ecclesia una Respublica Christiana haud aliter constituatur, quam ex anima vegetante, & rationali unicum hominem in concreto effici videmus. Quem ad sensum hæc vox *Optati Milevitani* capienda, scilicet *Ecclesiam esse in Republica*: hoc est, *Ecclesiam* ceu *gemmam* adnasci & advenire *Reipublicæ*: quemadmodum in navim rebus necessariis à Navarcho munitam Vectores & Sacerdotes sese conferre solent: ubi Sacerdotes rebus tantum spiritualibus incumbunt: Nam, ut ait Apostolus, *prius fuit quod animale, deinde quod spirituale*: qui ordo est naturæ, servaturque in hominis generatione. Et ita claret Christum, nihil quicquam temporalitatis, aut externæ coactionis contuliſſe Ecclesiæ, quod amplius patebit sequentibus proloquiis: consequenterque illi qui uni & soli Ecclesiæ

ſiæ ſeparatim à civili politia Jus gladii, aut pœnæ temporalis adſcribunt, nos partim æquivocatione vocis *Eccleſiæ*, partim à diviſis ad conjuncta fruſtrantur, quia poteſtas gladii nullo modo Eccleſiæ convenit, niſi quatenus cum ſeculari politia unam velut Navim & Chriſtianam Rempublicam conſtituit. Quo ex firmamento expeditum erit cuncta Bellarmini, & aliorum ſophiſtica argumenta depellere: qui fruſtra perſuadere conantur Eccleſiam ſeparatim à politia civili & temporali Jus gladii & pœnæ temporalis irrogandæ poſſidere, quaſi in hac re ejus ſufficientia verſaretur contra VIII. & XIV. Axioma. Verum Barclaius & alii qui Papam ulla præditum poteſtate in temporalibus negant quo ſe expeditius ab Adverſariorum argumentis liberent, contendunt, *civilem Politiam & Eccleſiam duas formas Reipublicæ natura & ſpecie inter ſeſe diſtinctas ita conſtituere, ut eas plane repugnet in unicam formam Reipublicæ coagmentari:* ſicut videmus Officium Comitis ſtabuli in Franciæ regno natura diſtingui ab Officio Cancellarii, nec poſſe unum in alterius officium invadere: quoniam ille armis, hic autem Juſtitiæ præeſſe debet. Quam ſententiam ego quidem veram, optimiſque firmatam rationibus ſemper exiſtimavi, & nihilominus aliam ſuperius à me explicatam eo lubentius amplector, quod eam Bellarminus, & permulti Theologi Pariſienſes ſequantur: unde juxta ipſius Bellarmini Principia demonſtrabo, nihil plane ab ejus argumentis eſſe timendum, quippe quæ Euangelio penitus adverſentur.

Hoc autem defixo principio relinquitur, Chriſtum eſſe caput eſſentiale Chriſtianæ Reipublicæ, eamque adminiſtrare & regere differenter per Eccleſiaſticam & Politicam poteſtatem tanquam per duos Vicarios & Miniſtros immediate à ſe conſtitutos, qui omnino ſeparata à ſe invicem habeant munia atque officia. Qua ratione conatus Bonifacii VIII. *Extravagante, unam ſanctam de duobus principiis more Manichæorum funditus ruit:* Siquidem Chriſtus unicum eſſe principium, duobuſque Vicariis utitur, altero in ſpiritualibus, altero in temporalibus. Porrò cum reſpublica Chriſtiana ſic ex Eccleſia & civili Politia coaleſcens, perfectiſſimam ſpeciem Politiæ conſtituat, ſuoque ambitu univerſos complectatur quos civilis ſocietas naturaliter capit: hæc autem non modo homines perfectionis acquiſitæ & acquirendæ ſtudioſos, quales dicuntur eſſe Prælati & religioſi, verumetiam alios quoſcumque mediocres, atque infimos contineat (conformiter quidem ad diverſas cœli manſiones, Joannis 14. & ad ſagenam ex omni genere piſcium congregantem Matthæi 13.) hercle ſtatuendum illos tota via errare, qui perſuadere laborant, omnes Chriſtianos pari vinculo & neceſſitudine Romano Pontifici obligari, quam Religioſos Præpoſitis ac Superioribus ſuis, in quorum ſinum vota obedientiæ emiſerunt. Quocirca Bellarminus cap. 7. libri quinti de Romano Pontifice, neſcio quid de Voto emiſſo in ſuſceptione baptiſmi commemoret: ex quo inducere vult, Reges poteſtati

Papæ

Papæ in temporalibus ſubditos: quæ mera ſunt commenta. Nam longe aliud eſt Voto abſolutæ obedientiæ, more Religioſorum voventium explicitè, & ſolo naturali vinculo cuipiam implicitè abſtringi. Franciſcus à Victoria Dominicanus *Relectione prima de poteſtate Eccleſiaſtica ſectione ſexta in explicatione propoſitionis octavæ* docet, Chriſtianos non poſſe obligari ad perfectè ſervandam legem Evangelicam, ſed duntaxat intra moderatos limites: quæ ratio ducitur à poteſtate miniſteriali ſpirituali Eccleſiæ, nec non pariter ab eo quod Theologi aſſerunt, *finem non cadere ſub præcepti ſubſtantiam*, quæ externa eſt: finis autem *Charitas*, nimirum plane internus: quandoquidem Eccleſia de *externis tantum* judicat, *interna* autem *tribunali Chriſti* relinquit, Axiomate v. Annuimus ergo Chriſtianos in baptiſmi ſuſceptione *Votum* emittere *obediendi Euangelio* in iis quæ ſunt *Præcepti*, non *Conſilii*, & Eccleſiæ in *Spiritualibus*, non in *Temporalibus*, quia temporalia ſunt alterius fori. Ex qua Voti emiſſione inſurgit, eos qui pervicaces ſunt, ſola communione Eccleſiaſtica privari poſſe: at quicquam aliud Papam aut Eccleſiam Jure Divino habere quod aſperius ſtatuat pernegamus, & ſequentibus proloquiis confirmabitur, nec non pariter imagine Navis in qua Sacerdotes ſolummodo poteſtatem habent Navarchum dirigendi quoad ſpiritualia: Conſule XVII. Axioma de facultate Cenſuras irrogandi.

AXIOMA XXXIIX.

Chriſtum mutuæ obligationis vinculo Eccleſiam cum Republica ſeculari, & Eccleſiaſticos cum Politicis Principibus colligaſſe: ac illos in ſpiritualibus duntaxat præeſſe voluiſſe: & quidnam ſit propriè Eccleſiam pollere indirecta poteſtate in Temporalibus: *& de argumentis Bellarmini in contrarium, quæ planè ſophiſtica ſunt.*

XLIX. QUando poteſtas Politica & Eccleſiaſtica ita ſunt à Deo coordinatæ, ut unam perfectiſſimam conſtituant rempublicam, Axiomate præcedenti: oportet quidem Chriſtianos principes tanquam oves Chriſti, & Eccleſiæ filios Legibus atque inſtitutis ſpiritualibus Eccleſiæ parentis; & viciſſim Eccleſiaſticos velut cives & membra reipublicæ Edictis atque Legibus Principum & Magiſtratuum Politicorum, quoad directionem & coactionem parere: modò ejuſmodi Leges cauſis eſſentialibus Inſtitutionis Eccleſiaſtici ordinis, de quo Axiomate XIV. & XXXVI. nihil officiant. Procul dubio Chriſtus mutuæ obligationis & amicitiæ vinculo, quaſi Divina quadam ferruminatione & glutino utramque poteſtatem vincire & colligare voluit, quo æternas inter ſeſe amicitias exercerent, ac ſibi invicem mutuam & auxiliarem manum præberent *diſt.* 10. *can. Quoniam*, *& diſt.* 96. *can. duo ſunt & 25.*

quæſt. 5. *can. Principes.* Quocirca Dominus cum omni via & ratione providere cuperet, ut ordo Eccleſiaſticus omnibus *amori*, & nulli eſſet *noxæ* aut *terrori:* & ne ulla via *directe* aut *indirecte* ſtatus Politici tranquillitatem, quæ Juris eſt Divini Naturalis, Axiomate IV. VII. & IX. turbaret, aut à fine ſuo conſequendo abduceret, illum more regis Apum omni telo vel aculeo, atque etiam territorio, ac *Jure externæ coactionis* privavit: & ſola *Poteſtate miniſteriali ſpirituali* donavit: quatenus Clerici aliis rebus quam actibus Hierarchicis obeundis ſeſe non dederent, Axiomate XIV. Itaque Matthæi 10. cum Apoſtolos & diſcipulos viatico ad Euangelii promulgationem neceſſario muniret, dixit: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio Luporum: eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Quem textum Hieronymus, Chryſoſtomus atque alii Patres ſic interpretantur, ut cunctam Eccleſiaſticorum prudentiam in repellendis, non in inferendis injuriis ſitam doceant, more ſerpentis, qui niſi laceſſatur, aut prematur, vix cuiquam nocet, ſed fugit. Unde ex cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ colligimus, nunquam licitum Eccleſiaſticis *arma geſtare*, aut *ſe immiſcere ſævis*, niſi forte propriæ ſalutis tuendæ, atque injuriarum propulſandarum ſtudio, quod Juris eſt naturæ, 23. *quæſt.* 8. *à can. primo ad* 7. Sane Eccleſiaſtici armis tantum ſpiritualibus hominum mentes in Chriſti obſequium captivare, non cogere debent: quia *fides non patitur dominium, cum ſit voluntatis, non neceſſitatis*, ut ait Ambroſius hunc locum 2. ad Corinth. 1. explicans; *Non dominamur veſtræ fidei, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri.* Et cap. 10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Qua clauſula, non modò *vim* omnem, & *coactionem externam*, verumetiam *omnes artes, fabricas, & praxes humanas damnat Apoſtolus*, ut Cornelius à Lapide in hunc locum perhibet. Item cap. 3. ad Philippenſes, verſu 20. aſſerit *Eccleſiæ politeuma*, id eſt, formam atque rationem gubernandi Eccleſiaſticorum, *totam eſſe in cœlis*, congruenter ad reſponſum Chriſti; dum *Pilatus* illum de ſuo *Regno* percontaretur: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, ait Dominus; qui amplius addit, *ſe veniſſe in mundum ut teſtimonium perhiberet veritati*, Joannis 18. ac ſi diceret; Regnum ſuum *natura* & *cauſis eſſentialibus* diſcrepare à ſeculi Poteſtatibus & Regnis: quæ vi externa adhibita cogunt quæ imperant, & abſolute dominantur corporibus: cum veritas ſolum doceri, atque in animos hominum inſinuari amet: ita ut prius mentem illuminari, & ſuaderi quam voluntatem in obſequium Chriſti captivari neceſſe ſit. Quare Dominus præcipit Apoſtolis, *Gentes doceant*, non *per vim cogant*, Matthæi & Marci ultimo. Et Lucæ 9. cum obſervaſſet, diſcipulos fines

ac

ac terminos ſuaviſſimæ & manſuetiſſimæ poteſtatis miniſterialis ſpiritualis Eccleſiæ tranſgredi, atque in morem abſolute dominantium vi externa igneque cæleſti impetrato veritatem imperare, & Samaritanos ad credendum Euangelio velle adigere, *Neſcitis*, ait, *cujus Spiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere ſed ſalvare.* Et Lucæ 22. *facta contentione* inter diſcipulos, *quis eorum videretur major*, dixit eis: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, &c.* Ubi DOMINIUM *quod proprium eſt politicæ Poteſtatis*, opponitur MINISTERIO ECCLESIASTICO, Axiomate XIV. Hinc pariter illa vox S. Bernardi cap. 5. libri 2. de Conſideratione ad Eugenium: *Iergo & tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum: Plane ab alterutro prohiberis, ſi utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque. Forma Apoſtolica hæc eſt, Dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ commendatur exemplo Legiſlatoris: Ego in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat.* His & aggreganda controverſia fratrum de paterna hæreditate inter ſeſe altercantium Lucæ 12. Etſi enim alter illorum qui in germani ſui patrimonium involarat, graviſſime peccaſſet, ac ratione peccati lis ad forum Eccleſiaſticum devolvi videretur juxta communem doctrinam Canoniſtarum *cap. Novit. de Judiciis*: attamen Chriſtus reſpondet: *Homo, quis me conſtituit judicem ac diviſorem ſuper vos?* quaſi perhiberet, ſe non veniſſe in mundum quo MEUM ET TUUM, id eſt, terminos poſſeſſionibus hominum defigeret; quando hoc proprium eſſet Regum atque politicorum Principum. Ex quo inimus, Chriſti & Canoniſtarum judicium longe diverſum in hac parte: rectèque Gallorum ſermone vulgo uſurpari, *Eccleſiam non judicare de poſſeſſorio inter litigantes.* Hucque referri debet querela S. Bernardi lib. priore ad Eugenium cap. 3. *Et quidem quotidie perſtrepunt in palatio tuo leges Juſtiniani, non Domini, juſtene iſtud tu videris. Nam certe lex Domini immaculata convertens animas: hæc autem non tam leges quam lites ſunt, & cavillationes ſubvertentes judicium. Tu ergo Paſtor & Epiſcopus animarum, qua mente obſecro ſuſtines coram te ſemper ſilere illam, garrire iſtas?* Item cap. 5. *Non monſtrabunt puto, ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum, ſtetiſſe denique ego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego, &c.* Ergo *in criminibus*, non *in poſſeſſionibus* poteſtas veſtra: quoniam *propter illa*, non *propter has* accepiſtis *Claves Regni Cœlorum: prævaricatores* utique *excluſuri*, non *poſſeſſores. Quænam tibi major videtur dignitas & poteſtas dimittendi peccata; an prædia dividendi?* Sed non eſt comparatio: *habent hæc infima & terrena* Judices ſuos *Reges & Principes terræ:* quid *fines alienos* invaditis?

Hercle quando *Chriſtus eſt ſummus Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum*, 1. Petri 2. verſus 25. atque *legis Euangelicæ ſcopus* eſt *convertere*

animas Pſ. 18. atque *internos animi motus regere & compeſcere*, Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo*: equidem poteſtas Eccleſiaſtica quanta *proportionatim* reſpondere debet animæ quam habet pro *materia*, & *nativo ſubjecto*, ut revera reſpondet: ac proinde tota *ſpiritualis* eſt: neque eam *directe* vel *indirectè* in *trucidandis corporibus*, vel *conturbandis Politiis* occupare & contaminare oportet. Quem ad ſenſum capienda Nicolai Papæ oratio *diſt. 22. can. omnes*, ubi narrat, *Chriſtum B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cæleſtis imperii Jura commiſiſſe*: quod nihil aliud ſonat quam Petrum poteſtate donatum ligandi atque ſolvendi in cælo & in terra ſpiritualiter *clave non errante*, ut noſtri loquuntur; hocque ita eſſe voluit Dominus, ut Eccleſiaſticos doceret quatenus totam ſpem ſuam in cœlo & obſervatione mandatorum Dei, non in terrenis opibus, mundanaque ſapientia & fabricis collocarent: inſuper caveret, ne cura rerum ſpiritualium relicta, aut prætextu religionis aſſerendæ & propagandæ ſeſe civilibus ac terrenis negotiis, belliſque ſerendis implicarent; quod fit hodie *ad majorem gloriam Dei*, ut prætexunt Jeſuitæ.

Quocirca Eccleſiam indirecta poteſtate in rebus temporalibus muniri nihil aliud eſt quam homines à rerum terrenarum deſiderio frequentatis actibus Hierarchicis avocare: illuminando per doctrinam, purgando per pœnitentiam & cenſuras Eccleſiaſticas, atque perficiendo reliquorum Sacramentorum adminiſtratione, & Legum Eccleſiaſticarum aut Canonum conſtitutione.

Profecto ubi omnia Argumenta Bellarmini & aliorum in omne latus verſavi, & cum eſſentialibus cauſis Eccleſiaſticæ poteſtatis diligenter contuli, excitando & acuendo aciem ingenii, nihil amplius probare experior quam Pontificem aut Eccleſiam Jus habere declarandi quempiam aliquo in caſu non teneri obedire ſuo Regi aut Principi: puta ſi Rex aliquid contra Legem Divinam & Naturalem, ſubditis imperet: ſupra enim Axiomate 111. docuimus, voluntatem Dei primam eſſe cauſam, & rationem obligandi aut non obligandi, nimirum quatenus humanæ Leges Divinæ voluntati diſcordant aut concordant: quam voluntatis Divinæ concordiam aut diſcordiam omnes Paſtores ex genuino ſuo officio tenentur annunciare populo cui præſunt Ezechiel 33. & præterea in Regem ſi parere detrectet Cenſuras aliquo in caſu diſtringere queunt juxta regulas, Axiomate XVII. enucleatas: gravius autem quod Paſtores conformiter ad Legem Divinam faciant nihil habent: hocque non eſt ſubditos ab obligatione Regibus naturaliter debita abſolvere, ſed tantum oſtendere, quando & quatenus obligatio ſubditos vinciat: quemadmodum ſi quis demonſtraret, argentum apud aliquem depoſitum non eſſe reddendum prodigo, aut enſem furioſo: Quid plura quando *Bellarminus* lib. 5. de Romano Pontifice cap. 6. hanc noſtam ſententiam confirmat, ſuam verò prorſus diſturbat ſimilitudine

ne corporis & animæ, naturalis atque ſpiritualis vitæ ex *Gregorio Nazianzeno* in Oratione ad populum timore perculſum. Nam ſicut corpus & vita naturalis vitam civilem & temporalem ſtatum reipublicæ; pariter anima rationalis vitam Spiritualem & Eccleſiaſticam adminiſtrationem adumbrat. Itaque quemadmodum corporis aut vitæ naturalis ſervandæ ſtudio aliquod membrum corporis, puta oculum confodere, brachia aut pedes abſcindere: ſimiliter Reipublicæ temporalis tutandæ & ſervandæ cauſa arma diſtringere, & ſanguinem fundere licet. Quod ſi anima rationalis atque vita Spiritualis & Eccleſiaſtica ob nimium æſtum libidinis, verbi gratia, vehementer periclitetur, non propterea tamen homo ſibi genitalia amputare ſed duntaxat docendo & ſuadendo, corpuſque ſuum caſtigando, & in ſervitutem redigendo, nimios pruritus fœdæ voluptatis coërcere & mitigare poteſt. Ex quo inimus, hæreticos non propter mentis errores, ſed potius quia ſunt turbones & civilis ſocietatis peſtes, corporaliter puniri, non quidem ab Eccleſiaſticis, ſed à Principibus & Magiſtratibus politicis. Profectò quicumque Eccleſiaſticam revolverit Hiſtoriam, comperiet mille atque amplius annorum lapſu, nullam temporalem pœnam ab Eccleſia impoſitam, neque *Arrium*, *Macedonium*, *Neſtorium*, *Eutychem*, cæteroſque Hæreſiarchas alio quam *Excommunicationis* telo ab Eccleſiaſticis confoſſos: deinde poſt Cenſuras in illos Synodicè latas Chriſtianos Imperatores eoſdem Hæreſiarchas in exilium deportari juſſiſſe. His attexenda quæ Severus Sulpicius lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ ad calcem, & Dialogo 3. de virtutibus Monachorum Orientalium narrat, videlicet *S. Martinum* communioni illorum Epiſcoporum ſe immiſcere noluiſſe, qui *Maximo* Imperatori auctores fuerant, ut *Priſcillianiſtas* ferro decuteret. Sane Hæretici omnium primi *Imperium in Eccleſiam effuderunt & immiſcuerunt*, ut loquitur *S. Athanaſius* Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes: id eſt, religionem armis & vi externa, ac poteſtate abſoluta coëgerunt: quem morem Orthodoxos tanquam manſuetudini legis gratiæ, & cauſis eſſentialibus poteſtatis Eccleſiaſticæ repugnantem ſemper exoſum habuiſſe ſcripta *B. Athanaſii*, *Hilarii*, *Nazianzeni*, atque aliorum Patrum teſtantur. Quid præterea memorem in *Codice Theodoſiano* lib. 16. Titulo 5. de *Hereticis*, hos *ſolo exilio* tanquam ſupremo ſupplicio mulctari? Quod ſi quis objiciat in Codice Juſtinani *lib.* 1. *Titulo* 5. *de Hereticis & Manichæis l.* 5. *Arriani, mentionem fieri de Manichæis ultimo ſupplicio tradendis: & l.* 8. *Quicumque* ſub finem, pariter *ſtatui ut ultimo ſupplicio coërceantur qui illicita docere tentaverint*. Reſpondebis voces illas *de Hæreticis ultimo ſupplicio tradendis*, eſſe ſuppoſititias, teſte doctiſſimo Juriſconſulto Balduino lib. 2. de *Inſtitutione hiſtoriæ univerſæ*, paulo ante medium. Et primo quidem quo ad *L. Arriani*, ejus falſitas manifeſtè colligitur ex *Lege* 6. Tituli *de Hæreticis* in Codice Theodoſiano, unde eam *Juſtinianus* excerpſit: ibi enim nulla plane fit

mentio clauſulæ quod *ultimo ſupplicio* affici debeant. Præterea *L. Quicumque* edictum eſt *Martiani* Cæſaris pro exequutione Synodi Chalcedonenſis. Quod edictum legitur inter acta Concilii Chalcedonenſis, ubi nullum omnino exſtat veſtigium de Hæreticis ultimò ſupplicio coërcendis. Verba Balduini perpendamus: *Sed neque minoris beneficii & momenti animadverſio eſt, quod cum adverſus ſanguinarias, & ſævas animadverſiones exponerem Leges & Judicia veterum Chriſtianorum de coërcendis Hæreticis, partim ex hiſtoria, partim ex Theodoſii Codice, oſtendi in Codice Juſtiniani quandam de Manichæis Legem Theodoſii, injecta ultimi ſupplicii falſa clauſula, mendosè factam eſſe capitalem cum multorum fraude capitali: neque diſſimile mendum irrepſiſſe in quandam Martiani Imperatoris conſtitutionem ejuſdem generis. At quæ magis neceſſaria eſſe poſſet emendatio*, inquit Balduinus. Lege Acta Chalcedonenſis Synodi, & obſerva ante *Innocentium* III. nullum Papam ſtatuta feciſſe de Hæreticis *temporaliter* puniendis. Vide ejus Decretales lib. 5. Titulo 7. de Hæreticis.

Hæc adverſum, ſeptem præſertim rationum momentis, *Bellarminum* & alios certare video: ac primum non minorem eſſe Pontificis in novo quam in veteri Teſtamento poteſtatem: atque *Oziam* Regem Juda lib. 2. Paralipomen. cap. 26. cum Sacerdotum officium uſurparet, & à Sacerdotibus repulſus non acquieſceret, continuo lepra divinitus percuſſum, atque judicio Sacerdotum à cœtu populi ſeparatum, & Regni gubernatione privatum fuiſſe, ejuſque filium pro eo regnaſſe. Cæterum per *Lepram* deſignari *Hæreſim*, teſte B. Auguſtino lib. 2. quæſtionum Euangelicarum quæſt. 40. ac proinde Reges propter hæreſim deponi poſſe à Romano Pontifice: maxime vero quod etiam conſtet *Jojadæ* imperio *Athaliam* non modò Regno abdicatam, ſed & occiſam fuiſſe. Secundo cauſantur Actorum 5. B. Petrum *Ananiam* cum *Sapphira* uxore ob mendacium in Spiritum Sanctum morte corporali puniviſſe: & Apoſtolum 1. Cor. 5. inceſtuoſum Corinthienſem poteſtati Sathanæ viſibiliter plectendum tradidiſſe, & Actorum 13. *Elymam Magum* excæcaſſe, idque ad coactionem externam ſpectare, & corporali pœnæ æquipollere. Tertio cap. ſexto prioris ad Corinthios doceri, Chriſtianos quandiu ſub Ethnicis Principibus vixerunt, poteſtatem habuiſſe ſibi Judices fideles deligendi, in cauſis civilibus: unde continuo inferunt, potuiſſe ſimiliter ſibi Reges Chriſtianos cooptare. Subinfert Bellarminus pari quoque jure, Apoſtolos potuiſſe mandare Laicis ut ſuis facultatibus miniſtros Euangelii alerent. Quarto ſtatutum in Synodo Lateranenſi cap. 3. ſub Innocentio Papa III. Chriſtianos Principes qui ex terris & dynaſtiis ſuis *Hæreticos* minime exterminarent à ſummo Pontifice abdicari oportere. Quem locum Bellarminus omnium primus Argumentis Barclaii patris oppoſuit: concluditque Hæreticis accenſendos qui huic decreto generalis Synodi obnituntur. Quintò, urgent S. Bernardum lib. 4. de conſideratione ad

Euge-

Eugenium cap. 4. ex cap. 22. Euangelii Lucæ de duobus gladiis, probare, *Eccleſiam utrumque habere gladium.* Sexto Bellarminus in reſponſione ad duos libros quos Theologi Veneti Anno 1606. contra cenſuras *Pauli* v. vulgarunt, pagina vigeſima quarta editionis Romanæ vulgaris linguæ, & decima ſeptima Latinæ verſionis Moguntinæ editionis, explicatè docet, *Eccleſiam materiali gladio non uti, nec reos Pœnâ mortis afficere, non ideò quod nequeat, ſed quia manſuetudini Eccleſiaſticæ conſentaneum nequaquam videtur, ideoque ejuſmodi delinquentes ad Juſtitiam ſecularem remittere:* quæ etiam fuit opinio *S. Thomæ.* Item cap. trigeſimo ſexto libri contra Barclaium Bellarminus affirmat, praxim tribunalis ſancti Officii oſtendere *Pœnam Corporalem* non in ſolius politici Magiſtratus poteſtate poſitam eſſe, cujus contrarium Praxis præſertim Sancti Officii oſtendit. At Franciſcus Suarez c. 4. l. 6. Defenſionis fidei Catholicæ num. 18. affirmatè ſcribit, *Papam poſſe alicui facere poteſtatem occidendi Reges quos abdicarit.* Quocirca in Directorio Inquiſitorum tertia parte quæſtione trigeſima prima Commentario octuageſimo, quædam concipiuntur placita *de modo ſecrete procedendi contra Reges & perſonas regales, in quas Inquiſitio publice non poteſt inſtrui: deinde eadem tertia parte, quæſtione centeſima vigeſima nona, Commentario centeſimo ſeptuageſimo octavo, inſtituuntur ſecreti* Cruceſignati, *ad ejuſmodi arcanam Inquiſitionem & exſequutionem perficiendam: qui quidem nutibus Inquiſitorum obedientes, ea exſequuntur quæ ad promotionem ſacri Officii, & fidei propagationem, & ad Hæreticæ pravitatis exſtirpationem ſpectant,* ut amplius probatum eſt Axiomate xxxvi. Septimo objicitur, Auguſtinum Epiſtola 48. ad Vincentium Rogatianum Donatiſtam, item quinquageſima ad Bonifacium Comitem & virum militarem docere, licitum Hæreticos armis cogere, ut ad Eccleſiam redeant. Hæcque ſunt argumenta Bellarmini & aliorum in quibus plus ineſt ponderis & nervorum: nihilominus ad cauſas eſſentiales Poteſtatis Eccleſiaſticæ collata, tanquam fluctus in ſcopulos impacti diſſiliunt ac diſſipantur.

Quoad primum, dato vera eſſe quæ obtendit Bellarminus de Rege Ozia, de Athalia &c. negatur tamen, ullum poſſe habere locum in Lege gratiæ, propter differentiam Legis Moſaicæ & Euangelicæ: quarum illa unius eſt tantum gentis aut nationis, & duriſſimæ ſervitutis, quæque innumeris ſervilibus Ceremoniis, oneribus, & cruentis ſacrificiis implicata, omnibus graviter peccantibus, nihil ferme aliud præter mortem minabatur: contra autem Lex gratiæ omnium eſt gentium & populorum plane regia, perfectæ libertatis, ſuaviſſima, & manſuetiſſima, maximè ſpiritualis, quæ non imperat corporibus, ſed præeſt animis hominum, quos captivare debet in obſequium Chriſti per actus tantum Hierarchicos: ideoque à ſævis & ſanguine abhorret. Quocirca S. Auguſtinus quæſt. 29. ſuper Deuteronom. ait; hanc loquendi formulam

Scriptu-

Scripturæ, *Auferte malum ex vobis, in veteri Teſtamento ſignificare: interficite & occidite: In Lege autem Euangelica* 1. Cor. 5. verſ. 13. ſeparatæ per excommunicationem. Quibus concordat pariter Gratianus 23. *quæſt.* 8. *can. Occidit*, docens, *quædam in Veteri Teſtamento licita quæ in Novo prohibentur.* Certe veritas Hiſtoriæ indicat, Bellarminum aut falli, aut fallere voluiſſe. Quam primum enim Pontifex Azarias cum reliquis Sacerdotibus lepram in fronte Oziæ ebullientem conſpexerunt, illum derepente templi aditu prohibuerunt, quod illorum erat munus peculiare, nimirum leproſos communione & conſuetudine totius populi interdicere, utque ſeorſim habitarent mandare: idque in Lege Euangelica reſpondet excommunicationi, eamque ob rem Auguſtinus memorat, *Lepram* ſignificare *Hæreſim.* At Sacerdotes Levitas quicquam aliud ſtatuere potuiſſe contra Leproſos, nullo modo convinci poteſt. Quod ſi alii Leproſi dominio ſuo atque opibus propter lepram minimè privabantur à Sacerdotibus: quid cauſæ fuiſſet, Oziam Regno patrio abdicare? Hercle Sacra Biblia eum regnaſſe narrant uſque ad extremam vitæ periodum 4. Regum 15. *Ozias ſexdecim annorum erat cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnavit in Hieruſalem.* Si regnavit, ergo non eſt privatus regia dignitate. Verum quia propter lepram cum populo verſari non poterat, *Joathan Oziæ filius gubernabat palatium, & judicabat populum terræ*, ait Scriptura, ut ſolent Regentes in Francia ſub ætate pupillari Regum. Nam Joathan non appellatur Rex vivente Patre, ſed dicitur ſolummodo *palatium & domum Regis gubernaſſe:* idque omnia effugia Bellarmini obruit.

Quod ſpectat ad Athaliæ hiſtoriam, Bellarminus meminiſſe debuerat, Deum cap. 17. Deuteronomii *vetare alienigenam regnare in populo Iſraël*, & lib. 3. Regum cap. 11. *Regnum Juda proprium eſſe domui David ex qua naſci Chriſtum oportebat.* Unde cum Athalia eſſet alienigena filia Amri regis Samariæ 2. Paralip. cap. 22. atque omnem regiam ſtirpem regnandi ambitione extinxiſſet, ſolo Joa excepto, quem Joſabet furtim crudelitati Athaliæ ſubduxerat: certo certius eſt Athaliam contra expreſſum Dei præceptum dominari voluiſſe, & meram fuiſſe uſurpatricem Regni, idque Judæos & præſertim Sacerdotes nullo modo latere poterat. Ut igitur argumento ad hominem Bellarminum expugnemus, ſi Jus eſt *Tyrannos Uſurpatores* à quibuſcumque privatis obviis mactari, ut docent *Molina, Leſſius, Becanus, Heiſſius, Mariana, Suarez*, & communiter *omnes Jeſuitæ*, quod approbare nequeo, certe cuicumque non modò Judæorum ſed & aliorum fas erat *Athaliam* interimere, juxta doctrinam Jeſuitarum. Quanto ergo magis omnibus Judæis pro Legis Divinæ vindiciis in illius tyrannidem arma diſtringere licuit?

Secundo fruſtra *mortem Ananiæ* ejuſque *conjugis, excommunicationem inceſtuoſi Corinthii* & *Elymæ Magi excæcationem* obtendunt Adverſarii: quando certum

certum est solummodo posse duci argumenta à potestate ordinaria Ecclesiæ, non à potestate patrandorum miraculorum, quæ extra ordinem Apostolis aut aliis viris Sanctis credita est: cum Petri successores ejusmodi potestatis extraordinariæ non sint hæredes, sed duntaxat unius potestatis ministerialis spiritualis, quæ *omni facultate dominandi* aut *pœnas temporales irrogandi* vel *cogendi extrinsecè*, vacua est, ut jam sæpe necdum satis frequentavimus.

Ad tertium cavillantur à non causa pro causa, quoniam Apostolus de Jure Arbitrario differit, ac consilium summæ perfectionis suadet, docens multo satius esse lites amicè definire, quam supremo Jure contendere, quia ut vulgo dicitur, *Summum jus summa injuria*, præsertim inter homines Jure Charitatis sociatos, quales sunt Christiani: & hoc ipsum in omnibus suis Epistolis Paulus inculcat, nimirum, *ut vincamus in bono malum*, Roman. 12. *& alter alterius onera portemus*, Galat. 6. *Supportantes invicem & donantes sibimetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit*, cap. 3. ad Colossenses, & cap. 3. ad Titum: *Admone illos, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines*: quæ *consilia* sunt, non *præcepta*. Annon Pastoribus incumbit populum Christianum à litibus & dissidiis arcere? Unde Patres quarti Concilii Carthaginensis Canone 26. *Studendum est Episcopis, ut dissidentes fratres sive Clericos, sive Laicos ad pacem magis quam ad judicium cohortentur*. Almainus de Potestate Ecclesiastica quæst. 1. cap. 14. section. 3. quærens, *An liceat fidelibus litigare coram Judice infideli: Neque*, inquit, *Paulus prohibuit fidelibus quod non agerent causas coram infidelibus superioribus: sed facit ut quilibet bonus Judex debet facere: primo incitavit partes ut concordarent inter se sine strepitu Judiciali, & si non possent, caperent arbitrum, ne eorum malitia cognosceretur ab infidelibus.* Profecto omnes Patres antiqui, & Glossæ cum Lyrano testantur, Apostolum loqui de arbitris, qui ex communi consensu partium deliguntur: non autem de Judicibus necessariis qui dantur à Principe: atque hæc verba, *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*, capi oportere *Ironicè* atque *hyperbolice*, non *dogmatice* aut *affirmative* & *absolutè*: quia Paulus indignatione facti vitilitigatorum, potius à minimis & quantumcumque vilibus, modò sint Christiani, lites definiri exoptat, quam *summo Jure* agi coram Judicibus infidelibus. Cui sententiæ *Cornelius à Lapide* in hunc locum concordat: *Et Mycterismus, sive Ironica imminutio* ait, *quæ tacitam quandam subsannationem & exprobrationem continet*. Legendus pariter *Gulielmus Estius*. Hercle *Gregorius* VII. omnium primus textum hunc Apostoli clarissimum quidem, nebulis asperserit, ut eum ad suum privatum commodum & dominatum adversus *Henricum* IV. Imperatorem detorqueret. Dehinc *B. Thomas* 2. 2æ quæstione 10. articulo 10. & alii qui infallibilem Papæ Monarchiam tuen-

tur, quo *Gregorii* VII. gesta velut infallibilia propugnarent, hunc locum ad mentem & propositum *Gregorii* abducere coacti sunt contra omnium antiquorum Interpretationem, veritatem ac simplicitatem legis Euangelicæ: egregia certe munimenta absolutæ infallibilis Monarchiæ, quæ ut chimærica est, ita aliis quam sophisticis argutiis & cavillationibus defendi nequit.

At verò cum hæc vox Domini, *Dignus est operarius mercede sua*, Matthæi & Lucæ 10. *sit quædam potius permissio, & Consilium æquitati naturali consentiens quam Præceptum*, teste *Augustino* cap. 6. de opere Monachorum, certe argumentum Bellarmini nullius est ponderis, contendentis Apostolos cogere potuisse Laicos ad suppeditanda illis necessaria qui Euangelium prædicabant. Nemo enim ad ea quæ sunt *Consilii*, sed tantum quæ sunt *Præcepti* cogitur. Jam superius monui, quod si esset præceptum vivere de Euangelio, Apostolus graviter culpandus veniret, quod labore assiduo manuum sibi victum compararet; ut absque ullo offendiculo & sumptu poneret Euangelium, eodem auctore *Augustino*, cui potior fides quam *Bellarmino*.

Ad quartum ex ipsa Synodo Lateranensi, qua de agitur, & ex *Matthæo Parisiensi*, qui seculo *Innocentii* III. floruit, discimus, nihil quicquam actum in illa Synodo *Conciliariter* ex more aliorum Conciliorum, nimirum communibus votis atque suffragiis Patrum sigillatim discussis, perpensis & collectis. Quandoquidem *Matthæus Paris* quem ipsemet *Severinus Binius* laudat, perhibet *sexaginta capitula fuisse in Concilio Lateranensi recitata, quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa:* genuinus est illius sermo. Platina verò in Innocentio memorat, *in Concilio Lateranensi multa venisse in consultationem, nec decerni quicquam tamen aperte potuisse, quod Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certarent: eo itaque proficiscentem tollendæ controversiæ causa Innocentium Prusii mortuum fuisse.* Cum ergo aliud sit aliqua recitare capitula in Concilio, aliud verò ea *Synodice*, & *Canonice* diligentia sufficienti adhibita examinare, & condere. Frustra quidem laborat Bellarminus, quando *Matthæus Paris* qui seculo illo florebat, nominatim perhibet, solummodo lecta & recitata fuisse; quia tum in more positum erat Pontificibus, quascumque vellent leges Ecclesiæ imperare, eas prius domi privatim pro animi sui arbitrio concipere, & conscribere, atque deinceps quando haberentur Synodi, easdem legendas *Monarchicè* proponere: ita ut vix ullus contra mussare auderet: quæ forma Conciliorum habendorum viguit à seculo *Gregorii* VII. ad tempora Synodi Constantiensis, & Basilienſis, ubi mos priscus & Apostolicus in usum revocatus est. Quod si Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auctoritate cap. 19. versus finem, ut quartam & quintam sessionem Constantiensis Concilii repudiet, *prætexit non factas* Conciliariter *more aliorum Conciliorum re diligenter examinata*, quod falsissimum esse aliàs probavi-

bavimus: quanto magis argumento ad hominem nobis licet Bellarminum ſuis magnificis verbis munerari, & veriſſime contendere, *hoc caput tertium Synodi Lateranenſis non factum fuiſſe* Conciliariter *more aliorum Conciliorum, re diligenter accuratéque examinata?* propterea quod *Innocentius* paſſim in hac Synodo tanquam abſolutus Monarcha præfatur, hiſque utitur formulis, *Nos ſacro Univerſali Concilio approbante credimus & confitemur cum Petro, quod una quædam ſumma res eſt, &c.* cap. ſecundo memorati Concilii. Item cap. 4. *Sacro ſuadente Concilio diſtrictè præcipimus.* Item cap. ſeptimo *de correctione exceſſuum, irrefragabili conſtitutione ſancimus, &c.* quoniam *ſuper his Apoſtolica ſedes auctore Domino attentiſſime vigilabit.* Item c. 8. *Nunc ſacri approbatione Concilii confirmamus, &c.* Idemque eſt de omnibus aliis capitibus judicium, in quibus videas, unum & ſolum *Innocentium III. PP.* contra omnes leges Conciliorum, & praxim Eccleſiæ Apoſtolicæ Axiomate XXIX. conſignatum, omnia de tacito & muto conſenſu Synodi, *tanquam abſolutum Monarcham* decernere. Quam formam ſtatuendi ut omnium optimam Bellarminus lib. 1. de Conciliis & Eccleſia cap. 9. & 18. ſub finem commendat, docens; *Papam debere Leges aut Canones approbante ſolum Generali Concilio præſcribere:* ſed fruſtra, quia hoc Ariſtocratico regimini Eccleſiæ, quod Juris eſt Divini, plane adverſatur, & ſupponit; *Papam eſſe infallibilem*, quod eſt *imaginarium*, Axiomate XVIII. Bene ergo *Matthæus Paris* dicit, *Capitula Synodi Lateranenſis duntaxat recitata fuiſſe, & viſa aliis placabilia, aliis oneroſa.* Denique pro certo tenendum, quoties in Conciliis *pœnæ temporales* in aliquos ſtatuuntur; hoc in eam partem & ſenſum capi oportere, quod Eccleſiaſtici ſupponant aut ſperent, ſe habituros *Imperatorem, Reges*, & alios *Principes temporales* in ea re *duces*, & *conſentientes:* quemadmodum tempore *Innocentii* III. Rex Franciæ Comitem Tholoſanum & Albigenſes bello perſequebatur: idque cauſam præbuit decreto quo de agitur, & *Innocentio* ſibi arrogandi poteſtatem pœnas temporales imponendi Chriſtianis, ut jam obſervavi.

Contra autem inſtant, dato quod caput tertium Synodi Lateranenſis non ſit *Synodice* conditum, reliqua omnia capita ejuſdem Synodi ruere: atque inter alia articulos *de Tranſubſtantiatione panis, & vini in corpus, & ſanguinem Domini*: Item *de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio:* ſimiliter *præceptum de* annuatim *peccatis confitendis, ad* digne *ſumendam Euchariſtiam ſacro die Paſchæ:* pariter condemnationem errorum Abbatis *Joachim*, & cætera ejuſmodi. Sed negata conſequentia reſpondemus, magnuum poſitum diſcrimen inter hæc capita, & tertium Lateranenſis Synodi: quoniam res temporales, quibus de agitur capite 3. non ſunt fori Eccleſiaſtici: quæ autem in aliis capitibus evolvuntur, ſpectant *eſſentialiter* ad Poteſtatem Eccleſiaſticam. Accedit caput tertium neque *Synodice* conditum neque approbatum,

ut oſtendimus, neque dehinc communi Eccleſiarum diſgregatarum conſenſu unquam receptum fuiſſe, ſicut patet de Regno Franciæ quod ejuſmodi doctrinæ ſemper obſtitit. At reliqua Capita, aut pridem ante Synodum Lateranenſem *Synodicè* & *Canonicè* ſtatuta; vel Sanctorum communione *generaliter* recepta fuerunt, idque Canoni univerſali æquipollet. Certe ab eo die quo *Berengarius* in Vercellenſi & Romana Synodo ſub *Gregorio* VII. circa annum Chriſti 1050. damnatus eſt, nomen *Tranſubſtantiationis* percrebuit, quemadmodum ex Magiſtro Sententiarum liquet lib. 4. diſtinctione 11, ubi de ſubſtantiali converſione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini, tanquam de dogmate Catholico diſputat. *Petrus* autem *Lombardus* quinquaginta circiter annos Synodum Lateranenſem, & *Innocentium* III. præceſſit. Siquidem *Innocentius* libros Sententiarum *Lombardi* audivit Lutetiæ Pariſiorum ſub Magiſtro *Petro de Corbolio*. Quocirca canon de Tranſubſtantiatione antiquam potius fidem & praxim Eccleſiæ quam aliquod novum dogma exhibet. Idemque pariter judicium de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio. Nam in Symbolo B. Athanaſii hæc legimus: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Procul dubio epiſtola ſeptuageſima *Nicolai* I. P P. ad *Hincmarum* Rhemenſem teſtatur, hanc controverſiam definitam eſſe in Eccleſia Latina adverſus Græcos, ut jam obſervavi Axiomate XXVI. Neque etiam debet in dubium revocari, quin vel omnes, vel major pars Chriſtianorum die ſancto Paſchæ ſua confiterentur peccata, & ſacram ſumerent Euchariſtiam pridem ante Synodi Lateranenſis conſtitutionem: quæ potius lata eſt, vel ad inveteratum morem Eccleſiæ poſteris commendandum ex antiquorum Canonum diſciplina, vel ad ulciſcendam nonnullorum hominum negligentiam quam ullam aliam ob cauſam. Ex quo animus, perfacile fuiſſe ejuſmodi Decretum in mores, & rem judicatam abſque ullo prævio examine Lateranenſis Synodi tranſire. Idemque de erroribus Abbatis *Joachim* tenendum. Hic enim cum Orthodoxam M. Sententiarum doctrinam de Sanctiſſima Trinitate oppugnaret, tum Magiſtri Pariſienſes, quos *Innocentius* III. docentes Pariſiis audiverat, excitі adverſus Abbatem *Joachim* aures *Innocentii* verberarunt, ex quo effectum ut *Innocentius* adverſus iſtum Abbatem decreverit, & decretum *Innocentii* ſummo omnium Eccleſiarum conſenſu reciperetur, cunctis Academiis & Scholis Europæ, quæ doctrinam Orthodoxam *Petri Lombardi* tuebantur præeuntibus. At vero reliqua omnia Synodi Lateranenſis capita, quia veterem conſuetudinem ex antiquorum Canonum diſciplinis collectam & promulgatam de integro, quaſi Jure poſtliminii inſtaurant, ſola approbatione tacita Patrum Concilii abſque ullo alio prævio examine robur habere potuerunt: quoniam hic tantum agitur de re pridem ante judicata, & Canonibus ſancita, quæ in deſuetudinem venerat.

Sed

Sed ut animos infirmorum percellant, vociferantur, si decretum *Lateranense* de abdicandis *Regibus* minus verum sit, sequi Papam qui illud statuit, non fuisse caput Ecclesiæ, & continuò Ecclesiam erravisse, ac defecisse ut docent Hæretici. At negatur illis consequentia: siquidem longè aliud est Papam, & aliud Ecclesiam errare. Putant enim homines obnoxii suum *absolutum Monarcham infallibilem*, quasi caput visibile *loco Christi*, totam constituere, & repræsentare Ecclesiam in ratione Regiminis, & Charismatum, quemadmodum Christus, dum esset in terris, constituebat, & repræsentabat: quod non modò erroneum, sed etiam impium atque Hæreticum est, Axiomate XV. & XXX. Hercle ista *absoluta Monarchia* nihil ad Ecclesiam attinet, sed *Inventum* est *planè humanum Curiæ Romanæ* quæ sponsam Christi in Regnum temporale & seculare transformare nititur: quoniam carnales homines sibi in animum inducere nequeunt, se spiritualiter examinari: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia est illi & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur* 1. Cor. 2. Quamquam enim sint ministri à Deo constituti; tamen *prætextu asserendæ Religionis* dominari ambiunt: & Anarchiam in Rempublicam Christianam important, Idque ipsum est à quo Apostolus cavendum monet Galat. 5. *Ne Legis Euangelicæ libertatem demus in occasionem carnis.* Et 1. Petri 2. *ne quasi velamen malitiæ libertatem Euangelicam habeamus: unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? concupiscitis, & non habetis; occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci, Litigatis & belligeratis &c.* Jacobi 4. Hæc autem eò redeunt, ut *homines carnales* imaginentur, *Ecclesiam Catholicam melius regi posse per inventiones humanas quam per Legem Divinam Euangelicam*, inquit Gersonius, sermone habito Tarraconæ coram Papa *Benedicto*. Heu! citius clavam ex manibus Herculis extorqueas quam nostris Curialibus persuadeas, *Regnum Christi* esse *purè putè spirituale*, & Ecclesiam nulla alia potestate quam spirituali ministeriali solummodo donatam, ad actus Hierarchicos exercendos, Axiomate XIV. XVII. & XXX.

Porrò locus de *duobus gladiis* Lucæ 22. omnino *Allegoricus* est: ex quo secundum omnes Logicæ & Theologiæ regulas, nullum dogma statui, neque insuper quicquam aliud *dogmaticè* induci potest quàm tempus imminentium persequutionum ob scandalum crucis: ita ut omnes affectas Christi sese quasi ad bellum parare & contra impendentes calamitates atque injurias animum magnis exemplis firmare oporteret. *Bellarminus* quinto de Romano Pontifice initio capitis quinti: *Respondeo ad literam nullam fieri mentionem* Lucæ 22. *de gladio spirituali vel temporali Pontificis, sed solum Dominum illis verbis admonere voluisse, discipulos tempore passionis suæ in iis angustiis & metu ipsos futuros, in quibus esse solent qui tunicam vendunt ut emant gladium.* Hæc ille congruenter

quidem ad mentem Chriſti: S. autem *Bernardus* cum opinioni quæ ſeculo *Gregorii* VII. hominum animos pervaſerat aut nollet, aut *palam* & *directè* non auderet repugnare, præſertim inter Curiales qui, ut ait, *cum profeſſi fuerint ſervitutem, potiſſimum dominari volunt*, ideo *tectè*, & *figuratè* per continuum ſchematiſmum ſic illam impugnat, ut nemo ſit vacuus partium qui prima fronte id non obſervet: illius textum ſi placet *Analyticè* expendamus. *Dracones*, inquis, *me mones paſcere*, *& ſcorpiones*, *non oves*: *propter hoc*, inquam, *magis aggredere eos*, *ſed verbo*, *non ferro*. *Quid tu denuo uſurpare gladium tentes*, *quem ſemel juſſus es ponere in vaginam*? En igitur acris reprehenſio de gladio abjiciendo, & miniſterio verbi exercendo; quam reprehenſionem his aliis lenibus verbis confeſtim mitigat: *Quem tamen gladium qui tuum negat*, *non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic*: *Converte gladium tuum in vaginam*: *tuus ergo & ipſe*. Quam clauſulam affirmativam ubi pronunciavit, continuo per addubitationem ſubnectit: *Tuo* forſitan *nutu*, *etſi non tua manu evaginandus*. Qua clauſula adverbio dubitandi temperata, clare indicat, hæc nullo modo conducere ad figendum dogma: quoniam dogmata verbis *explicitè* affirmantibus, non adverbiis *forſan*, *forſitan*, *fortaſſe &c.* enunciari ſolent. Sed cum Romano Pontifici & ejus Curiæ loqueretur, prævideretque hanc exceptionem gravate ab illis acceptum iri, eam ſtatim ita emollit: *Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret*, *& iis dicentibus Apoſtolis*; *ecce gladii duo hic*, *non reſpondiſſet Dominus*: Satis *eſt*, *ſed* Nimis *eſt*: *uterque ergo Eccleſiæ*, *& ſpiritualis ſcilicet gladius*, *& materialis*. *Sed is quidem pro Eccleſia*, *ille verò & ab Eccleſia exerendus eſt*, *ille Sacerdotis*, *is militis manu*, *ſed ad nutum Sacerdotis*. In qua periodo ſicut & in extravagante Bonifacii, *unam Sanctam* hæc verba, *uterque* ergo *Eccleſiæ*, ſunt *æquivoca*: propterea quod *Eccleſiam* pro *Republica Chriſtiana* conformiter ad XXXVII. Axioma capiunt: Ibi enim probavimus, gladium ſpiritualem proprium & nativum eſſe Eccleſiæ Sacerdotali, ſicut temporalis gladius peculiaris eſt politicis Magiſtratibus: atque hæc duo in unam Rempublicam Chriſtianam concreſcere ad mutuum ſubſidium: quo pariter ſenſu *B. Auguſtinus* diſputans adverſum Donatiſtas ſæpe docet; *Hæreticos* aliquando *cogi* poſſe ad *unitatem*, *pacem*, & *fidem*, ut ſtatim dicetur. Profectò *S. Bernardus* ſic agit cum *Eugenio* P P. ut cum Regibus, Principibus, & Magnatibus conſuetum eſt: quorum actiones *figurate* & *oblique* culpantur: ſicut factum eſt à *M. Tullio* in Orationibus quas habuit pro Republica ordinanda coram *Cæſare* Dictatore, pro *Ligario*, Rege *Deiotaro*, & M. *Marcello*: quæ mirabili Artificio contextæ ſunt, quemadmodum & opus *S. Bernardi* de conſideratione ad *Eugenium*: cum enim poſt geſta *Gregorii* VII. & ejus *Dictatus Monarchicos*, S. Bernardus nequaquam auderet *apertè* negare, gladium materialem ad Papam aut Eccleſiam ullo modo pertinere; rationem quandam ſpiritalem adinvenit, qua

qua demonſtraret, Eccleſiaſticos Jus habere innuendi, id eſt, hortandi, ſuadendi & indicandi, quanto & quatenus Principes politici gladium expedire deberent ad gloriam Dei. Unde ipſemet Epiſtola ducenteſima quinquageſima ſexta ad *Eugenium*, narrat ſe à Gallis velut ducem Belli ſacrum delectum, ad Principes & milites cohortandos *miniſterio verbi*, ut *prælia Domini* recte capeſſerent: ſicque quonam ſenſu capiendum ſit, Eccleſiam utrumque habere gladium, perſpicuè demonſtrat, hancque ipſam formulam *exſerendus eſt nunc uterque gladius*, venditat. Ex quo datur intelligi, *Bonifacium* cum univerſa natione Canoniſtarum Extravagante *unam ſanctam, de majoritate & obedientia*, longe latéque tum ab *Euangelii*, cum à *S. Bernardi* propoſito aberrare, dum ex Allegoria de duobus Luce 22. anhelant, ut vel dominum vel uſum gladii materialis & utrumque quidem Eccleſiæ adſcribant. Fateor autem, Eccleſiam Jus habere innuendi, docendi, exhortandique Chriſtianos Reges, & Principes ad bellum contra infideles & Hæreticos: atque inſuper caſus & circumſtantias quaſdam poſſe naſci, quibus forte in eum finem Cenſuris pervicaces atque reſtitantes ad normam Axiomatis XVII. ferire valeat: ſed Papam aut Eccleſiam Jure Divino quicquam aliud poſſe qui dicunt, idem faciunt ac ſi aliquis contenderet, Pædagogum verbi gratia, pueros laſcivientes ac ſibi parere detrectantes, vita, aut bonis paternis abdicare, cum ſit in comperto, illos duntaxat ad normam diſciplinæ ſcholaſticæ in ordinem cogere poſſe. Qua imagine utor lubentius, quod ſimiliter ab eodem *S. Bernardo* uſurpari ſciam lib. tertio cap. primo de Conſideratione: *Nunquid non villa villico, & parvus dominus ſubjectus eſt pædagogo? Nec tamen ille villæ, nec is ſui domini dominus eſt: Ita & tu præſis ut proſis, præſis ut fidelis ſervus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: Ad quid? ut des eſcam illi in tempore, hoc eſt, ut* DISPENSES, NON UT IMPERES: *hoc fac & dominari ne affectes homini homo, ut non dominetur tui omnis injuſtitia. Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus tibi formido quam libidinem dominandi.* Prodeant nunc jam impuri Adulatores qui *S. Bernardum* abſoluto & temporali Curiæ Romanæ dominatui ſuffragari jactitant. Nam hac ſimilitudine nulla clarior aut exactior dari poteſt ad viri Sanctiſſimi ſententiam referendam: & convincendum quonam ſenſu dixerit, *tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus gladius: & ille verò & ab Eccleſia exſerendus eſt Sacerdotis, is militis manu, ſed ad nutum Pontificis.* Siquidem vocabulo NUTUS utitur, quia Eccleſia omnis coactionis expers, & vacua eſt: quemadmodum Pædagogus aliquis erga Dominum ſuum & Regem quem erudiendum ſuſcepit, blanditiis, non abſoluto imperio aut coactione. Quocirca *Almainus* lib. de Eccleſiaſtica & Laica poteſtate cap. decimo, ſectione tertia poſt Magiſtrum *Joannem de Pariſiis* rectè docet, *Eccleſiam innuitivè ſolummodo, ſuaſivè, & directive, non autem*

tem coactive aut coërcitive per vim externam & absolutum imperium judicare de mediis & adjumentis ad beatitudinem necessariis: quia hoc potestati ministeriali Ecclesiæ penitus repugnat, quæ multo magis directiva & suasiva quam coactiva est, Axiomate XIV. XVII. & XXX.

Hæc autem qui cogitatè absque alia quam veritatis prærogativa ponderarit, nullo negotio sextum profligabit argumentum: propterea quod ante *Gregorium* VII. inventus est nemo, qui usum gladii materialis & coactionis externæ sibi vendicare auderet. Neque etiam putandum, Ecclesiam solummodo abstinere à fundendo sanguine propter indecentiam, ut placet *Bellarmino, B. Thomæ*, atque aliis Actorum *Gregorii* VII. propugnatoribus: sed ex interna atque essentiali ratione status Legis gratiæ, & potestatis ministerialis spiritualis Ecclesiæ, quæ naturam, id est politicas potestates perficit, non destruit Axiomate III. IV. & XIV. Lege *Canonem his à quibus. 23. quæst. ultima.* Quantum verò ad pœnas corporales aut temporales quas Romana Inquisitio irrogat, haud certe ab Inquisitoribus auctoritate Papæ ut Papa est, sed ut *Princeps temporalis* decernuntur. *Almainus* de auctoritate Ecclesiæ cap. 8. responsione ad quintum argumentum Cajetani: *Absit dicere*, inst, *in summo Pontifice esse formaliter potestatem ad occidendum: cum Dominus* usum gladii materialis *D. Petro prohibuerit, & dixerit, Regnum suum non esse de hoc mundo.* Quare obiter monendus Lector, primum si quando in Conciliis Generalibus videat Ecclesiam statuisse *pœnas temporales*, pro certo habendum id fecisse ratione terrarum & Dynastiarum temporalium quæ ad Ecclesiam spectant, aut etiam consensu Imperatoris atque aliorum Principum temporalium quos Ecclesia sperat rata & grata habituros ejusmodi decreta, eaque in rem judicatam missuros. Quæ causa est, ut hodie Pontifices Romani tantopere solliciti sint, quo *Synodus Tridentina* recipiatur in Galliis: quoniam hæc Synodus novas quasdam Constitutiones edixit in quibus aliqua decernit ad *res temporales* spectantia. Secundò inter legendum Decretales, Clementinas, aut Extravagantes Pontificum, si quando ibidem *pœne temporales* aut *pecuniariæ* consignentur, semper meminisse oportet, ejusmodi mulctas non posse irrogari à Papa ut *Episcopus*, sed tantummode ut *Princeps* est *temporalis*, consequenterque illas Constitutiones alios quam subditos Papæ in temporalibus nequaquam obligare, quicquid Romana Curia in contrarium obnitatur. Quæ causa fuit Gallis repudiandi ejusmodi Decretales, tanquam à *spirituali potestate Ecclesiæ* omnino alienas: idemque pariter de Bulla Cœnæ Domini tenendum, quæ *solos Papæ subditos* in temporalibus, aut ad stylum Curiæ Romanæ viventes obligat: quemadmodum etiam permultæ novæ Constitutiones Tridentini Concilii collectæ, ex Decretalibus. Quod verò spectat ad alios locos & dynastias Italiæ vel Hispaniæ, in quibus *tribunal Inquisitionis* erectum est, ibi homines convicti aut suspecti de Hæresi,

sola

ſola Principum temporalium auctoritate *pœnis corporalibus*, aut *temporalibus* afficiuntur, nequaquam verò Papæ aut Eccleſiæ imperio: quia ejuſmodi pœnæ nòn ſunt fori Eccleſiaſtici ſed Politici. Quæ cum ita ſint, omnes *Bellarmini*, atque aliorum conatus evaneſcunt, dum urgent, *eſſe Hæreſim, aſſerere Eccleſiam non habere poteſtatem fundendi ſanguinis*: quod verum eſt, ſi *Eccleſia* pro *Republica Chriſtiana* ſumatur; falſum autem, imo verò impium & hæreticum, ſi pro *ſolo Ordine hierarchico* aut *Eccleſia ſacerdotali*, quæ ſola Poteſtate miniſteriali ſpirituali donata eſt, Axiomate XIV.

Ad ſeptimum, in primis oppono, *Auguſtinum* Epiſtola 48. ad Vincentium Rogatianum fateri, ſe aliquando in ea fuiſſe ſententia, *quod Hæreticos pœnis temporalibus plectere non liceret*: hæcque *Juris* quæſtio eſt. Secundò tranſit ad quæſtionem *facti*, narratque ex eventu ſe compertum habuiſſe & exploratum, aliquando ex uſu eſſe Reipublicæ Chriſtianæ, *hæreticos pœnis temporalibus ad unitatem Eccleſiæ revocare*: ac permultos vidiſſe Hæreticos *gratias Deo agentes*, quod *hac via* coacti fuiſſent *redire ad Eccleſiam*: Unde ſtatuit, quando ſatietas hæreſeos capit Hæreticos, id utile eſſe, ſervato tamen parabolæ Zizaniorum temperamento, ita ut neque Pax publica turbetur, neque frumenta cum Zizaniis evellantur, aut eradicentur. Quare ubi ſtrages, aut magna clades æque Catholicis quam Hæreticis imminet, ceſſandum eſt. Tertiò hæc ſcripta ſunt ab *Auguſtino*, poſtquam Donatiſtæ in Collatione habita Carthagini ſufficientiſſimè auditi & convicti fuerant Hæreſeos, ſchiſmatis & pervicaciæ, quod eſſent hoſtes infeſtiſſimi publicæ tranquillitatis, cujus rei ipſemet contexuit Hiſtoriam, atque ita inſcripſit, *Breviculus Collationum cum Donatiſtis*, tomo ſeptimo Operum. Procul dubio tanta erat Donatiſtarum & Circumcellionum inſania & furor, ut Orthodoxos vulnerarent, injecta in oculos calce aceto temperata excæcarent, alios occiderent, alios ad homicidium metu mortis adigerent: nec mitiores erant in ſeipſos quàm in alios, ultro ſibi vel gladio, vel ſi gladiorum non eſſet copia, præcipitio necem accerſentes. Itaque cum nulli liceret eſſe quieto & ſecuro ab illorum dementia, nec ullus eſſet ſæviendi modus aut finis: tandem conſtitutum fuit Epiſcopis præſidium Cæſaris implorare adverſus iſtam improbitatem. Quod tamen manſuetioribus quos inter erat *Auguſtinus*, non placuit, exiſtimantibus, non oportere Epiſcopos *aliis armis* uti quam *verbo Dei*, *precibus*, & ſi malum foret inſanabile, *anathemate*, hoc eſt, *ſeparatione à communione Eccleſiæ*. Quæ cauſa eſt, ut *Auguſtinus* epiſtolis ad Marcellinum Tribunum, & Apringium judicem in gratiam Donatiſtarum & Circumcellionum ſcribat, ut miſeris parcatur, *can. Circumcelliones. 23 quæſtione 5*. His ita poſitis & perpenſis circumſtantiis, concedo fas eſſe Hæreticos ad unitatem, implorato brachio ſeculari cogere ſimili in caſu, modò abſque ullo Orthodoxorum periculo id

fieri poſſit : ſicut factum eſt in Africa ubi vix unus aut alter Orthodoxus eam ob rem in vitæ aut fortunarum ſuarum diſcrimen vocatus eſt: alia verò lege nefas eſſe contendo pœnis temporalibus cogere *Hæreticos* ad unitatem, nixus legis Euangelicæ oraculis.

Hic operæ pretium eſt, aliquot Patrum antiquorum teſtimonia in eam rem adſcribere. *Lactantius* lib. 5. cap. 20. *Defendenda Religio eſt, non occidendo, ſed monendo, non ſævitia, ſed patientia: non ſcelere, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe quidem eſt, bonum in Religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, jam non defenditur illa, ſed polluetur, & violabitur. Nihil eſt enim tam voluntarium quàm Religio: in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.*

D. Hilarius contra Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum Arrianum, qui auctoritate & armis Cæſaris propugnabatur: *Ac primum miſereri licet noſtræ ætatis laborem* ait, *& præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere: quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſeculari laboratur. Oro vos, Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt? Gentes ferè omnes ex Idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne ſibi aliquam aſſumebant è palatio dignitatem? Hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes, &c. At nunc*, proh dolor! *divinam fidem ſuffragia terrena commendant, &c. Terret exiliis, & carceribus Eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita; pendet à dignatione communicantium quæ perſequentium eſt conſecrata terrore: fugat ſacerdotes quæ fugatis eſt ſacerdotibus propagata, &c.* Superius obſervavi, Hæreticos omnium primos armis Religionem aſſerere voluiſſe, quod *S. Hilarius, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus*, & alii Patres graviter culpant. Hic prætermitto hiſtoriam *B. Martini* communionem Epiſcoporum Hiſpaniæ refugientis, propterea quod auctores fuiſſent *Maximo* Imperatori, ut Priſcilianos armis decuteret, cujus Hiſtoriæ paùlò ante memini.

B. Chryſoſtomus Homilia 8. in cap. 1. Geneſeos circa medium de Hæreticis loquens: *Simili modo affecti ſunt*, inquit, *ſicut qui morbo laborant, & corporalibus oculis cæcutiunt. Illi enim ob oculorum ſuorum infirmitatem ſolis lucem ægre ferunt & ob adverſam corporis valetudinem etiam optimos ſaluberrimoſque cibos averſantur: ita & hi anima ægrotantes, & mentalibus oculis capti ad lumen veritatis reſpicere non poſſunt. Idcirco noſtro fungentes munere manus eis porrigamus, magnaque eis manſuetudine loquamur. Nam &* B. Paulus *ita nos monuit dicens, ut in manſuetudine erudiantur adverſarii, ſi forte det eis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis, & emergant à laqueo diaboli, capti ab*

ipſo

ipso illius voluntate. Nam quod dicit, emergant, *obstendit quod in profundo aliquo mersi sint: & iterum capti*, inquit, *à diabolo:* quasi diceret, *laqueis irretiti sunt. Unde & nobis gemina opus est mansuetudine, & longanimitate, ut possimus eos eripere & educere ex laqueis diaboli. Dicamus igitur eis:* Emergite, & resipiscite paulisper, *aspicite Lumen justitiæ, &c.* Idem homilia 47. in Matthæum ex cap. 13. Vis igitur abeuntes colligamus Zizania? *Dominus autem prohibet, ne forte simul cum Zizaniis, herbas etiam tritici evellant:* quod dicebat, *ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur Hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit*, altera *quia frumentis parum nocerent:* altera, *quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare etsi punire eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua exspectanda vobis est. Quid autem est quod ait*; ne eradicetis simul cum eis & triticum? *Certe aut quia si arma capietis*, inquit, *necesse est cum Hæreticos trucidatis, multos Sanctorum simul interimere: aut quia ab ipsis Zizaniis verisimile esset multos in triticum convertendos. Si ergo prævenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis Zizaniis provenirent. Non prohibet autem conciliabula Hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere ac trucidare.*

S. Augustinus multa scripsit in hanc rem, primum libro de fide & operibus cap. 5. *Nos verò ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utriusque testimoniis vitam, sententiamque moderari, ut canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum, ubi pax Ecclesiæ tuta est, non demus.* Cum ergo *per negligentiam Præpositorum*, sive *per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica disciplina corrigere aut coërcere non possumus, tunc nec adscendat in cor nostrum impia & perniciosa præsumptio, qua existimemus, nos ab his esse separandos ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur veluti mundos sanctosque discipulos ab unitatis compage, quasi à malorum consortio segregatos, &c.* Sensus est, nunquam *specie pietatis* aut *Religionis* melius constituendæ faciendum esse Schisma.

Idem Augustinus epistola contra Parmenianum quam in tres libros divisit, explicans parabolam Zizaniorum varia in hanc rem commentatur, quorum hic aliqua adscribam ex lib. 1. cap. 14. *Noluit Dominus ante tempus eradicare Zizania & à frumentorum permixtione separare:* Sinite, *inquit*, utraque crescere *usque ad messem*, &c. *Messis* autem est *finis seculi*, *messores* autem *Angeli* sunt: *tales enim messores errare non possunt, ut vel frumenta pro Zizaniis colligant, vel pro frumentis Zizania religent*, &c.

Idem libro tertio contra Cresconium Grammaticum Donatistam cap. 50.

Nullis tamen bonis in Catholica Eccleſia hoc placet, ſi uſque ad mortem in quemquam licet Hæreticum ſæviatur &c. Nec propter Zizania ſegetem Chriſti, nec propter paleas aream Chriſti, nec propter vaſa inhonorata domum magnam Chriſti, nec propter piſces malos retia Chriſti derelinquantur.

Idem libro quæſtionum Euangelicarum ex Matthæi cap. 12. *Hinc eſt quod ſervi dicunt*, Vis imus & colligimus Zizania? *Quibus Veritas ipſa reſpondet; non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, ut certus eſſe poſſit, qualis futurus ſit poſtea, cujus in præſentia cernit errorem, vel quid etiam error ejus conferat ad profectum bonorum: non eſſe tales auferendos de hac vita, ne cum malos conantur interficere, bonos interficiant, quod forte futuri ſunt: ſed tunc opportune fieri, cum jam in fine non reſtat vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus, ſed ab Angelis fieri. Inde eſt quod reſpondet Pater familias:* Non, ne forte colligentes Zizania eradicetis ſimul & triticum, ſed in tempore meſſis dicam meſſoribus &c. *Atque hoc modo eos patientiſſimos & tranquilliſſimos reddit.* Quo pariter aggreganda *Gregorii Nazianzeni* præclara ſententia Orationead Arrianos ſub finem ubi ait: *Multos ex his qui nunc in luporum numero ſunt, à ſe tum demum inter oves recenſum iri, ac fortaſſe etiam inter Paſtores.* Conſule Lector Epiſtolam 258. & 159. Auguſtini ad Marcellinum Tribunum, & 160. ad Apringium fratrem Marcellini, ubi Auguſtinus illos flectit ad miſericordiam, ut miſeris parcant Donatiſtis. Sic enim Apringio ſcribit: *De vobis quidem dixiſſe Apoſtolum legimus, quod* non ſine cauſa *gladium* geratis, & *miniſtri Dei* ſitis, *vindices in eos qui male agunt. Sed alia cauſa eſt provinciæ, alia eſt Eccleſiæ. Illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio, hujus clementer commendanda eſt manſuetudo. Si apud Judicem non Chriſtianum mihi ſermo eſſet, aliter agerem, nec tamen etiam ſic Eccleſiæ cauſam deſererem, & quantum admittere dignaretur, inſtarem ne paſſiones ſervorum Dei Catholicorum, quæ prodeſſe debent ad exempla patientiæ, inimicorum ſuorum ſanguine fœdarentur: & ſi nollet acquieſcere, inimico animo eum reſiſtere ſuſpicarer. Nunc verò quando apud te res agitur, alia mihi ratio eſt, alia conſultatio. Rectorem te quidem præcelſæ Poteſtatis videmus, ſed etiam filium Chriſtianæ pietatis agnoſcimus. Subdatur ſublimitas tua, ſubdatur fides tua: cauſam tecum tracto communem, ſed tu in ea potes quod ego non poſſum: confer nobiſcum Conſilium, & porrige auxilium, &c.* Hæc vero indicant, quod ſi tempore Albigenſium vixiſſet Auguſtinus, potius ut eis parceretur quam ut trucidarentur, conſuluiſſet.

AXIOMA XII.

De causis essentialibus politicæ Potestatis, & Analysi capitis XIII. *Epistolæ Pauli ad Romanos, quibus manifestissimè demonstratur, Dominium atque usum gladii materialis erga omnes ambitu Reipublicæ contentos, nemine dempto, uni & soli politico Principi competere: Argumentaque Bellarmini in contrarium propulsantur.*

L. CUm Potestas civilis hominem velut animal politicum, atque terrenas opes cum territorio in subjecti & materiæ locum; deinde virtutes morales & politicas pro adjumentis, & subsidiis naturalibus; pacem denique & tranquillitatem civilem pro naturali fine habeat: certe auxiliis temporalibus ad sese conservandum necessariò indiget: Cujusmodi sunt arma, opes humanæ, forum contentiosum, atque alia ejusmodi. Nam auctore Aristotele primo Ethicorum cap. 5. confirmaturque communi experientia, divitiæ, & opes terrenæ, atque alia seculi subsidia, nescio quid violenti habent absque quo pariter nec acquiri nec conservari, vel augeri queunt. Quocirca Princeps Politicus tanquam dominus & custos ejusmodi rerum gladium à Deo *immediate* possidet, ac proinde minister est & Vicarius Dei in Politicis.

Quod ut magis pateat, causas essentiales politicæ Potestatis sigillatim explicabimus. Finalis quidem est Pax temporalis, & civilis secundum virtutes morales, & politicas, quibus docemur *honestè vivere, neminem lædere, & Jus suum cuique tribuere:* ita aut civilis societatis Leges, & repagula nemini violare aut effringere liceat, saltem *de facto & extrinsece*: propterea quod non est propositum civili potestati homines interna, & supernaturali regula conscientiæ, & charitatis gubernare, vel motus internos animi frenare: hoc enim proprium est Euangelio, Axiomate XIV. & XXXIIX. Siquidem politica Potestas solummodò corporibus & temporalibus imperat, ac vim externam & manum, id est, furiosos conatus hominum coërcet, ne cuiquam vis aut injuria inferatur. Itaque ut politicum Regimen moraliter bonum sit & laudabile, satis est moralibus regulis, saltem extrinsece congruat, ut Jus æquabile omnibus reddatur.

Causa materialis est populus, ut corpus politicum & seculare *perfectum* sibi sufficiens constituit: *perfectum* dico ad differentiam Societatum, congregationum, & Collegiorum plurimorum, quæ corpus politicum perfectum, & sibi sufficiens nequaquam efficiunt: imo verò sunt partes & membra corporis politici perfecti & politicis Potestatibus subjiciuntur: volo insuper hoc perfectum corpus esse temporale, & seculare, quia politica potestas solummodo temporalibus per merum imperium moderatur: atque Ecclesiastici ut cives &

membra Reipublicæ partem hujus Corporis politici conſtituunt. Enimverò Deus qui nunquam deeſt in neceſſariis, Axiomat III. territorium pro ſubjecto & materia civilis ſocietatis hominibus impartivit Geneſis 1. & 9. quando poſt diluvium *benedixit Noë & filiis ejus ut replerent terram*, id eſt, Reſpublicas per totum mundum conſtituerent, his verbis: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Unde Pſal. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Ex quo relinquitur, Reges & politicas Poteſtates eſſe dominos totius territorii, ut docet Auguſtinus diſtinct. 8. can. *Quo Jure defendis villas Eccleſiæ, Divino an humano? Divinum Jus in* Scripturis *habemus, humanum in* Legibus Regum: *unde quiſque poſſidet quod poſſidet, nonne Jure humano? Nam Jure Divino Domini eſt terra &c. Jure tamen humano* dicitur: *Hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt: Jura autem humana Jura Imperatorum ſunt. Quare quia ipſa Jura humana per Imperatores & Reges ſeculi Deus diſtribuit generi humano; Tolle Iura Imperatorum, & quis audet dicere: Mea eſt illa villa, aut meus ſervus &c.* Nolite dicere, *quid mihi & Regi? quid tibi ergo & poſſeſſioni? per Iura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* Cujus ſententiæ Auguſtini hic genuinus eſt ſenſus, videlicet Jure Naturali primitivo omnia eſſe communia & æqualia; Jure autem gentium & civili dominationes atque principatus, item MEUM & TUUM velut limites atque terminos poſſeſſionum eſſe conſtituta, & defixa à Regibus, & politicis Poteſtatibus. Nam poſt Adami primi parentis lapſum, Deus politicam Poteſtateum ad regendos homines ſub Lege Naturæ, pridem ante inſtituit quam lex Moſaica aut Euangelica promulgarentur: & continuo genuinum & Naturale fundamentum politicæ Poteſtatis eſt Jus Naturæ & gentium, non Euangelium aut lex Moſaica, quod eſt, apprime notandum. Siquidem poſt Adami peccatum Jus Gentium tanquam appendix & concluſio Juris Naturæ introductum eſt, unde etiam contentioſa & externa Juriſdictio manavit, quæ ſemper Territorium, ut effectus cauſam comitatur: & hinc Gallorum Proverbium: *Qui terre ha, guerre ha.* A quibus moleſtiis Dominus cum Eccleſiam ſponſam liberare, & à negotiis ſecularibus omnino avocare vellet, eam Territorio minimè donavit, ſeque non habere *ubi caput reclinaret*, pronunciavit Lucæ 9. ampliuſque Pilato reſpondit; *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Ioannis* 18. Et ita perſpicuum evadit, recte ab Optato Milevitano pronunciatum, *Eccleſiam eſſe in Republica*: quiâ territorium proprium & peculiare eſt Republicæ.

At, ſicut Territorium eſt Subjectum in quo civilis ſocietas exiſtit; ita Deus eſt cauſa efficiens politicæ Poteſtatis, quæ *formaliter* conſiderata, quædam eſt particula & irradiatio Divinæ Poteſtatis aut Majeſtatis ad dirigendos & cogendos homines in civili ſocietate viventes per merum imperium, quod vitæ & necis Poteſtatem importat: eſtque *immediate, nominatim & poſitivè* à Deo inſtituta:

non

non autem *per ſolam inductionem*, & *conſequentiam Naturalem*, ut Suares, Bellarminus, & alii perſuadere nituntur, ad Majeſtatem politicam velut contemptibilem deprimendam. Certe Geneſeos 9. ubi univerſam terram Deus Noëmo & ejus liberis habitandam permittit, ut ſocietatem civilem ac Reſpublicas ubique terrarum atque inſuper vitam privatim ad Legis Naturæ normam inſtituant; unà etiam Jus gladii, aut vitæ & necis ad hunc modum erigit: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Sane nullus alius à Deo hominibus homines occidendi poteſtatem facere valuit: quando ad imaginem Dei expreſſi ſunt. Eccui enim fas eſſet regium Characterem aut ſigillum abſque Regis permiſſu reſignare? Porrò ad hujus Præcepti divini, & politicæ Majeſtatis explicationem B. Paulus totum caput 13. Epiſtolæ ad Romanos ſic impendit, ut ſimul juncta atque inter ſe collata, omnem dubitandi occaſionem hominibus judicii acumine præditis adimant. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim Poteſtas niſi à Deo. Quæ autem exiſtunt Poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, &c.* Proculdubio Majeſtas Politica in hoc conſiſtit, ut inſtar Dei omnes judicare & cogere, à nemine autem mortalium judicari & cogi poſſit in temporalibus. Quare omnes Patres & Doctores qui Pſalmum 50. interpretantur, ad hunc verſum: *Tibi ſoli peccavi*, docent Davidem & cæteros Reges ſolius Dei judicio ſubditos: quia cum ſoli dominium atque uſum gladii & ſupremæ coactionis poſſideant, nemini in genere coërcitionis fas eſt illis dicere, *Cur ita facis?* quamquam tamen omnes, nemine dempto, eorum coactioni ſubjaceant: unde Chriſtus ad Petrum Matthæi 26. *Converte gladium tuum in locum ſuum, omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et Apoc. 13. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi:* & Jer. 48. *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, nefariorum ſcilicet. Quæ omnes *Propoſitiones* ſunt *Catholicæ, de omni* & *per ſe primo*, ut loquuntur Philoſophi, ideoque *ad ſemper* & *pro ſemper* obligant, niſi Reges & politicæ Poteſtates quibus diſpenſatio meri Imperii credita eſt à Deo, gratiam delicti fecerint. Itaque vellem cæcos adulatores qui *Extravagantem, unam ſanctam* tuentur, qua Bonifacius venditat, *Papam etiam in Temporalibus omnes judicare, & à nemine judicare poſſe*; hic ſerio adlaborare ut liquido & directe abſque fuco & fallaciis nobis demonſtrarent, S. Petrum fuiſſe à Chriſto exemptum his univerſalibus Regulis, & Legibus Politicæ Majeſtatis quod eis tam impoſſibile erit, quam ſpeciem à generis proprii ſubjectione eximere, verbi cauſa hominem ab animali, prunum aut cerasum ab arbore. Deus immortalis! quænam eſſet confuſio & Anarchia in Republica, ſi Clerici in vim & conſequentiam ſacrorum Ordinum planè immunes eſſent à Legibus & oneribus civilibus, nec Reipublicæ commodis aut incommodis

dis more aliorum civium, obſtringerentur, quaſi cives & membra Reipublicæ eſſe deſinerent. Ut ergo *Cauſa formalis politicæ Majeſtatis* omnibus pateat, ſuperiorem pericopen hac concludam definitione: *Majeſtas politica eſt facultas dirigendi & cogendi univerſos homines ambitu Reipublicæ contentos nemine dempto per merum imperium aut gladium materialem immediate à Deo inſtituta, ſibi quidem ſufficiens ad pacem & tranquillitatem publicam retinendam & conſtituendam.*

Et quoniam ſcripta Apoſtolorum ſunt declarationes atque interpretationes Legis divinæ & naturalis, hæc quæ paulò antè ſtatuimus, illorum voce & oraculis ſunt apertè confirmanda, ut Jura Politicæ Majeſtatis omnibus innoteſcant: qua de re *S. Paulum* ſi placet, audiamus cap. 13. ad Roman. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim Poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Textus Græcus legit αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν: *exiſtentes autem Poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali: vis autem non timere Poteſtatem, bonum fac, & laudem habebis ex illa. Princeps enim Dei miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum* propter iram, *ſed etiam* propter conſcientiam: *Ideo enim & tributa præſtatis: Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Quæ clauſula, quot verba tot oracula & victorias adverſus effugia, & cavillos novorum Theologorum exhibet. Ac primo dignum obſervatione, Paulum ter dicere, *Principem eſſe Dei miniſtrum in bonum.* Quod genus *Boni* quale ſit, continenter explicat, enumeratione præceptorum Decalogi hoc modo: *Nemini quicquam debeatis niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Et cap 4. prioris Petri: *Nemo autem veſtrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine,* &c. Quibus teſtimoniis Principes Apoſtolorum demonſtrant, Reges aut Politicas Poteſtates gladium habere à Deo ut ultores exiſtant omnium ſcelerum quæ contra Dei & naturæ Legem patrantur. Cum autem Eccleſiaſtici æqualiter, imo magis & ſtrictius quam Laici obligentur ad præcepta Decalogi ſervanda, inſurgit, ſi aliquid contra peccent, continuò etiam huic legi politicæ Majeſtatis eſſe obnoxios: *Quicumque humanum ſanguinem fuderit, fundetur ſanguis illius,* &c.

Gene-

Geneſis 9. & Rom. 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, &c. Niſi fortè Reges illos immunitate donarint: quoniam Majeſtas Imperii & Jus gladii, uni & ſoli credita eſt Principi à Deo, *quia Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit:* Neque Papa *formaliter* ut Papa hic quicquam juris ſibi poteſt legitime vendicare.

Porrò Apoſtolum de unica & ſola Poteſtate ſeculari, non de Eccleſiaſtica ſtatuere, omnes circumſtantiæ textus, natura utriuſque Poteſtatis, & univerſus Patrum conſenſus manifeſtè declarant, ut oſtendam omnium circumſtantiarum explicatione. Quarum potiſſima eſt, Paulum ire obviam voluiſſe criminationi Judæorum & Gentium, qui ſpargebant propoſitum eſſe Chriſtianis *Jugum obedientiæ & ſubjectionis* Poteſtatibus politicis debitæ penitus excutere atque alium Regem à Cæſare conſtituere: quæ fuit cauſa Pilato damnandi Chriſtum ſub hoc titulo, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*: & ipſis Judæis virulenter criminandi Apoſtolos, Actorum 17. verſu 7. Ex quo relinquitur, hanc textum Apoſtoli minimè opportunum fuiſſe commendandæ obedientiæ quam Chriſtiani paſtoribus Eccleſiæ debent: quoniam nullus Chriſtianorum eam vertebat in dubium. Ratio autem Pauli toto hoc capite eſt ut convincat, omnia præcepta Decalogi, atque una ſubjectionem politicis Poteſtatibus debitam, quæ Juris ſunt naturæ pridem ante legem Moſaicam & Euangelicam à Deo conſtituta, pertinere ad legem Euangelicam: propterea quod Chriſtus Legem naturalem in Legem gratiæ inſeruit, & inſtauravit, Axiomat III. IV. & VII. conſequenterque illa omnia ſtrictè accuratéque ſervari à Chriſtianis neceſſe eſt, cum pro fine habeant *Pacem*, *concordiam*, *charitatem*, & *Bonum publicum:* cujus Princeps vindex eſt atque aſſertor *tanquam miniſter Dei in bonum gladio ob eam rem armatus.* Altera circumſtantia ducitur à conceptis verbis Apoſtoli, *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus, ſupereminentibus, excellentioribus, verbum de verbo ſuperhabentibus ſubdita ſit.* Qua voce Patres antiqui, & Pererius commentariis in Epiſtolam ad Romanos aſſerunt, *ſolas politicas Poteſtates* conſignari, quia per excellentiam appellantur *Poteſtates*: quippe quæ ſuper atque amplius omnia habeant neceſſaria ad imperandum, & cogendos ac opprimendos, ſi opus ſit, reſtitantes: quod propriè eſt dominari per *Poteſtatem vitæ & necis.* Qua ſimiliter notione S. Petrus cap. 2. prioris epiſtolæ verſu 13. jubet ut *Regi ὡς ὑπερέχοντι, tanquam excellenti, & ſuperhabenti ſubjiciamur:* propterea quod gladio armatur, atque inſtar Dei omnes cogere, & à nullo cogi poteſt: unde Tertullianus & alii Patres, *Imperatores ſolo Deo minores* vocant. At poteſtas Eccleſiaſtica cum purè ſit miniſterialis ſpiritualis, multoque magis *directiva* quam *coactiva*, inſtar Poteſtatis Præceptoriæ, ideo nomen *Poteſtatis* per quandam diminutionem ſortita eſt: quia ut rectè docent Juriſconſulti, *nulla* planè eſt *Poteſtas abſque aliqua coërcitione externa*, quam

Ecclesia Jure divino non habet. Quocirca Patres antiqui eam nomine Cathedræ, ministerii, administrationis, & servitutis, non autem Jurisdictionis aut potestatis indigetant cap. 4. prioris ad Corinthios: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth. 4. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: Nos autem servos vestros per Jesum.* Quem ad locum S. Ambrosius servos pro *ministris posuit, sicut & Dominus dicit: Ego sum in medio vestrum, non ut ministrer, sed ut ministrem.* Vide Axioma XIV. & XVII. atque observa, Apostolum Prælatos Ecclesiæ *vocare ministros Christi*, quia sola facultate ministeriali vacua potestate cogendi præditi sunt: contra autem Reges & Principes, quoniam *armati* sunt *gladio* ad *dominandum* appellare *Dei ministros.* Tertia circumstantia est, quod Paulus nominatim agat de Potestatibus *gladio* armatis: *Princeps enim non sine causa gladium portat*, inquit. Quartò nullus ambigit quin tributa & vectigalia solis Potestatibus politicis dependi oporteat: de iis autem Apostolus affirmatè tractat: *Ideo enim & tributa præstatis*, ait. Summam harum rationum hoc complectemur syllogismo in prima figura.

Omnis potestas politica sublimior tanquàm *formaliter*, & *objective* à Deo *immediate* & *positive* ordinata, & constituta, sibi subditam habet omnem animam quoad *directionem* & *coactionem* per *vim externam*, & *merum imperium.*

Sed omnis Monarchicus, Aristocraticus aut Democraticus Principatus est potestas politica sublimior, *formaliter* & *objective* à Deo *immediate* & *positive* ordinata & constituta.

Igitur omnia Monarchicus, Aristocraticus aut Democraticus principatus tanquam *formaliter* & *objectivè* à Deo *immediate* & *positive* institutus sibi subditam habet omnem animam quoad *directionem* & *coactionem* per *vim externam* & *merum imperium.*

En genuina explicatio literalis sensus capitis 13. Epistolæ ad Romanos, qua nihil clarius & evidentius. Hinc verò discimus politicam Potestatem sublimiorem & excellentiorem vocari non modò ratione causæ efficientis primariæ, puta quoniam est à Deo *immediate* & *positive* instituta: Verùmetiam propter causam formalem, quia pollet auctoritate cogendi per merum imperium. Verumtamen Cardinales *Bellarminus* & *Perronius*, ut vim & pondus hujus demonstrationis declinent, obtendunt Apostolum *absolute* & *generatim* loqui de omnibus Potestatibus sublimioribus, ac proinde hunc textum Pauli, *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. proportionatim & respective capi oportere de Ecclesiæ Prælatis, & Potestatibus politicis: atque *Theophylactum*, *S. Anselmum* & *Bernardum* ita hunc locum interpretari, ut velint Clericos Romano Pontifici, & aliis Prælatis suis, laicos verò politicis Principibus subjici:

ſubjici : maximè verò quod Hebr. 13. Paulus hoc edat præceptum de obedientia reddenda Prælatis: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*, &c. Sed mera eſt argutia ac effugium, quaſi propoſitum fuiſſet Apoſtolo contra Legem divinam & naturalem Politicum imperium dividere, & in eo Anarchiam conſtituere, ut ſtatutum eſt Jeſuitis *Bullæ Cœnæ Domini exſequutoribus*. Sed ultrò hominibus litigioſis concedamus, Apoſtolum ſermonem de omni genere Poteſtatis, & non de ſola politica Majeſtate inſtituiſſe ? An propterea ſequitur, Eccleſiaſticos minus devinctos eſſe politicis Poteſtatibus? fabulæ profecto, quoniam à pari argumento ad hominem liceret inferre, Laicos nequaquam Eccleſiæ Prælatis ſubjectos eſſe, quia eis imperatur ut Regibus ſubditi ſint. Sane quando Pontifices & Clerici more aliorum mortalium corpore conſtant, & territorio indigent quod proprium eſt Reipublicæ; Certe pro curſu temporalium, oportet neceſſariò illos uti legibus Imperialibus, ut *Gelaſius* Papa ſcribit *diſtinctione* 10. *can. Quoniam*: conſequenterque Jure divino & naturali ſubjectos eſſe politicis Poteſtatibus: quemadmodum etiam Reges quia præditi ſunt anima rationali, atque Eccleſiæ ſacramentis opus habent, ideo intuitu animæ neceſſe eſt Prælatis Eccleſiæ obſequi in Spiritualibus. Quamobrem natura aut inveterata malitia cæcos eſſe oportet, qui non vident, genuinam eſſe mentem Apoſtolorum in ſuis omnibus operibus docere, *ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo reddantur*: hoc eſt, ut in civilibus & rebus temporalibus tanquam cives & membra Reipublicæ, poteſtatibus ſeculi pareamus: contra verò in rebus ſpiritualibus Prælatis Eccleſiæ ſubjiciamur. Sed inſurgit Bellarminus, Suarez, & alii Papam à jugo civilis Poteſtatis Eccleſiaſticos & Monachos exemiſſe? Deus bone exemiſſe! Ergo major eſt Domino Jeſu Chriſto qui explicate ait Matthæi 5. *Se non veniſſe ſolvere legem ſed adimplere uſque ad minimum apicem*. Ex quo etiam percrebuit inter Theologos, *Gratiam naturæ dotes non deſtruere ſed perficere*. Verum lubet & alio ſyllogiſmo etiam in prima figura hanc evaſionem Bellarmini obſtruere.

Omnis poteſtas ſublimior tanquam *formaliter* & *objectivè* à Deo *immediate* & *poſitive* ordinata, & conſtituta, ſibi *proportionatim*, & *reſpectivè*, *ſpiritualiter* & *temporaliter* ſubditam habet omnem animam quoad directionem & coactionem.

Sed omnis Poteſtas politica, quocumque modo exerceatur Monarchicè nimirum, Ariſtocraticè aut Democraticè *formaliter*, & objectivè eſt *immediatè* & *poſitivè* à Deo ordinata, & conſtituta.

Igitur omnis Poteſtas politica ſive Monarchice, Ariſtocratice, aut Democraticè exerceatur tanquam *formaliter* & *objectivè* à Deo *immediatè* & *poſitivè* ordinata & conſtituta, ſibi ſubditam habet omnem animam quoad *directionem*, & *coactionem*.

Verum ut mens & doctrina Apoſtoli magis in aperto exponatur, ejusdem textum *Analyticè* examinabimus, & ad quinque articulos revocabimus: quorum primus eſt, illum voluiſſe Chriſtianis *Legem Dei* & *Conſcientiæ*, æternam, *invariabilem*, Catholicam, *de omni* & *per ſe primo* explicare: quæ *Lex Conſcientiæ* cunctis innaſcitur hominibus tanquam ad civilem ſocietatem à Deo procreatis, ut Politicis Poteſtatibus obediant: quoniam abſque aliquo Principatu omnino impoſſibile eſt vitam in ſocietate civili degere. Ex quo fit ut univerſi homines naturæ inſtinctu & *rectæ rationis dictamine*, hoc eſt, Lege & *vinculo propriæ Conſcientiæ*, ad imperata politica ſuorum Principum ſervanda neceſſario obſtringantur, modò hæc imperata Legi Divinæ & Naturali nequaquam adverſentur. Hinc præceptum Apoſtoli, *Neceßitate ſubditi eſtote* non ſolum *propter iram*, ſed etiam *propter Conſcientiam*. Quæ Lex Conſcientiæ, ejuſque obligatio, quandiu humanum genus continuabit: neque ab ullo quam à ſolo Deo immediato naturæ & gratiæ opifice ſolvi poteſt. Cui Legi conſcientiæ qui non ſponte obtemperant ſed reſtitant, conteri debent *poteſtate coactiva*, ut ait Paulus, quoniam *ſupremæ Dei ordinationi reluctantur*: Quique dicunt, Eccleſiaſticos Jure non teneri Legibus Politicis obedire, antè probent neceſſe eſt, illos hac *Lege Conſcientiæ*, & *rectæ Rationis* abſolutos, quod impoſſibile eſt quandiu homines erunt. Quod ſi Eccleſia à nominibus civiliter contractis neminem in vim Poteſtatis Eccleſiaſticæ liberare poteſt, quanto minus ſubditos alicujus Regis aut Principis à Lege & vinculo Conſcientiæ Jure Divino & Naturali contracto & conſignato? Siquidem *Euangelium neminem Jure ſuo & dominio naturali privat*, quia *gratia naturam perficit, non deſtruit*, ut ipſemet Bellarminus dux partium docet libro quinto de Romano Pontifice cap. 3. Cum igitur Franciæ Rex Lege Divina & Naturali *Jus ſupremum directionis & coactionis* per merum imperium in *Emundum Richerium*, verbi cauſa habuerit, antequam *Richerius* eſſet Presbyter: quid cauſæ eſt cur illo Jure privetur eo ipſo quod *Richerius* factus eſt Sacerdos? Ego hic coram Deo proteſtor, me animo meo & Legi Conſcientiæ ſæpius vim atque impreſſionem facere voluiſſe, ut argumentis Bellarmini & Suaris, atque aliis quæ excogitare & comminiſci poſſem, mihi perſuaderem *propter charactérem Sacerdotalem* me uni & ſoli Romano Pontifici, nequaquam vero Principi & Magiſtratui politico ſubditum eſſe Jure Divino & Naturali: ſed Legem Conſcientiæ, de qua hic diſputat Apoſtolus, tam peſtilenti Anarchiæ & huic *Myſterio iniquitatis* jugiter reclamaſſe & obſtitiſſe: ac me ad hæc ſcribenda impuliſſe contra illos qui Veritatem in injuſtitia oppreſſam detinent. Domine Jeſu Chriſte, tantum iniquitatis & impietatis ſenſum à ſervis tuis apage, ut ſe Politicis Poteſtatibus tanquam Prædonibus, *de facto* ſolum, & non *de Jure* ſubditos eſſe glorientur. Vide Axioma XXXVI.

Secun-

Secundò Apostolus disputat de Politicis Potestatibus *formaliter & materialiter* consideratis, hoc est, *quoad essentiam, objective & subjective*, in *abstracto & concreto* sumptis: priori quidem modo hac clausula, *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim Potestas nisi à* Deo, *&c.* Qua notione nemo potest inficiari, Majestatem politicam seu Jus vitæ & necis *immediate, positive* & nominatim à Deo institutam sicut & Potestatem Ecclesiasticam, ut supra ex cap. 9. Geneseos probatum est: consequenterque utraque Potestas *objective, formaliter*, & *quoad essentiam* est plane invariabilis: sunt enim ambæ velut quidam perennis rivus & radius aut particula & communicatio ordinis æterni, ad homines *temporaliter*, & *spiritualiter* regendos. A qua Legis atque ordinis æterni participatione *fons, centrum & causa obligandi* nascitur: quoniam impossibile est quempiam vel à Principe Politico, vel à Prælatis Ecclesiæ obligari in Conscientia, nisi primum & ante omnia Lege & Voluntate Divina prius vinciantur: quoniam voluntas Divina est causa efficiens & exemplaris omnium obligationum humanarum: nexus verò & causa obligandi in Conscientia toties exsurgit, quoties Lex Civilis aut Ecclesiastica præsefert *Characterem, imaginem, & similitudinem Legis æternæ*, atque *ordinis Divini*. Consule III. & IV. Axioma cum observationibus.

At politicam Potestatem *materialiter, subjective*, & *quoad existentiam* hoc modo describit Apostolus, *Existentes autem Potestates à Deo ordinatæ sunt, &c. Nam Principes non sunt timori boni operis sed mali, &c.* Qua ex periodo evidenter & necessario colligimus, omnes justas & legitimas Reipublicæ aut politicæ gubernationis formas, sicut & Principes ipsos, atque Magistratus qui eis moderantur, suam ordinationem, institutionem, & potestatem certissime à Deo mutari, & derivare. *Quod* enim *dat formam, una* quoque *largitur ea quæ pertinent ad formam:* frustraque essent Politicæ Potestates *formaliter, & objective*, nisi quidam existerent Principes & Magistratus, qui eas *de facto* capesserent. *S. Thomas* commentariis in cap. 13. Epist. ad Rom. Lectione 1. docet, *Regiam, & quamcumque aliam Potestatem politicam legitime institutam* duobus modis *esse à Deo: 1. quoad ipsam Potestatem formaliter sumptam! 2. quantum ad modum eam legitime adipiscendi, juxta illud Heb. 5. Nemo sibi honorem assumit sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Cui sententiæ omnino concordat Bellarminus libro de Laicis cap. 6. notabili primo, & tertio: Jure quidem, nam consensus populi Regem adoptantis à Lege naturali, cujus Deus auctor est proficiscitur, Axiomate III. & IV. cum observationibus Itaque cuncti Principes, & Magistratus qui *Hæreditario* aut *Electivo Jure* assumuntur, sunt quidem à Deo. Ut enim Ecclesia per naturalem consequentiam Jus habet à Deo sibi Pastores cooptandi, qui quidem dicuntur esse à Deo propter potestatem Ecclesiasticam *immediatè* institutam à Deo, quæ per sacros Ordines, & electiones Petro, Paulo, Clementi

confertur, ut propagatur: similiter civilis societas cum *immediatè* à Deo Potestatem habeat se regendi, atque occidendi rebelles, & nefarios: certe Jure Divino secundario per quandam inductionem, & consequentiam Naturalem sibi Monarchicum, Aristocraticum, aut Democraticum deligit Principatum: qui certè Principatus *formaliter* & *objectivè quoad supremæ Potestatis institutionem immediatè*, & *positivè* est à Deo: *materialiter* autem, *subjectivè*, & *quoad existentiam* aut *exercitium* est pariter à Deo sed *per solam consequentiam naturalem*, idque sic declarat Paulus: *Princeps enim Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit: ideoque necessitate subditi estote non solum propter Iram sed etiam propter Conscientiam.* Verum quo tempore hæc à Paulo scribebantur, *Nero* sua immani tyrannide Romanum devastabat, & populabatur imperium Senatorum atque optimorum civium strage, & laniena Christianorum: urbem verò diruebat incendiis: cui nihilominus tanquam legitimo Principi à Deo ordinato parendum in politicis jubet Apostolus: sicque *Magistris æquivocationum* omnem ansam tergiversandi præripit, *sicut* & *B. Augustinus* Commentariis in Psalmum 124. *Aliquando injusti perveniunt ad honores seculi*, ait; *cum pervenerint, & facti fuerint vel Judices vel Reges, qua hoc facit Deus propter disciplinam plebis suæ, propter disciplinam populi sui, non potest fieri, nisi ut exhibeatur illis honor debitus Potestati. Ordinavit enim sic Deus Ecclesiam suam, ut omnis Potestas ordinata in seculo habeat honorem, & aliquando à melioribus, &c. Non ideo Christianus factus es, ut dedigneris servire. Cum enim Christo jubente servis homini, non illi servis, sed illi qui jussit & ait, Obaudite dominis vestris secundum carnem cum timore & tremore, & in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate. O quantum debent divites Christo, qui illis componit domum, ut si fuit ibi servus infidelis convertat illum Christus, & non ei dicat, Dimimitte dominum tuum, jam cognovisti eum qui verus est dominus. Ille forte impius est, & iniquus, tu autem fidelis & justus: indignum est ut justus & fidelis serviat iniquo, & infideli. Non hoc ei dixit, sed magis serviat, & ut corroboret servum, hoc dixit exemplo meo servi, quia ego prior servivi, &c. Quod autem dixi de Domino & servo, hoc intelligite de Potestatibus, & Regibus, & de omnibus culminibus hujus seculi. Aliquando enim Potestates bonæ sunt, & timent Deum, aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani serviebant Imperatori infideli: quando volebat ut idola colerent, & thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam Gentem, statim obtemperabant, distinguebant Dominum æternum à domino temporali.* Lege *can. Si Dominus. can. Iulianus, can. Imperatores* XI. *quæst.* 3. Idem Augustinus tractatu centesimo decimo quinto de capite 18. Joannis in hunc locum: *Regnum meum*

non

non est de hoc mundo, & Regnum meum non est hinc: hoc est, inquit, *quod bonus Magister scire nos voluit: sed prius nobis demonstranda fuerat vana hominum de Regno ejus opinio, sive Gentium sive Iudæorum, à quibus id Pilatus audierat, quasi propterea morte fuisset plectendus, quod illicitum affectaverat Regnum, vel quoniam solent regnaturis invidere regnantes: & videlicet cavendum erat, ne ejus Regnum sive Romanis sive Judæis esset adversum, &c. Audite ergo Iudæi & Gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terræ, non impedio dominationem vestram in mundo, regnum meum non est de hoc mundo. Nolite timere metu vanissimo quo Herodes major cum Christus natus nuntiaretur expavit, & tot infantes ut ad eum mors perveniret occidit: timendo magis quam irascendo crudelior, Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo, venite credendo & nolite sævire metuendo.* Quibus attentè consideratis liquet, *S. Thomam* quem omnes fermè recentiores sequuntur, maxime falli aut fallere, secunda secundæ quæst. duodecima articulo 2. ad primum, dum asserit *Christianos Imperatori* Juliano Apostatæ *paruisse, quia tum Ecclesia impar esset viribus & armis:* hoc enim falsum atque erroneum est: quia, teste *Augustino*, Christus & domos privatorum & Regna atque Imperia sic composuit, ut velit subditos fideles servire Dominis & Regibus infidelibus atque Apostatis: itaque contrarium sentire non est Imperium aut Regnum componere sed dividere & evertere. Causa autem cur primi Christiani *Imperatoribus Hæreticis, Apostatis*, & *infidelibus* servirent hæc fuit, quod Jure Divino & Naturali ita faciendum esse didicerant à Christo, qui Legem Divinam & Naturalem venerat implere, non solvere: quia ut toties diximus, *Gratia Naturam perficit, non destruit*: certumque est politicas Potestates pridem ante institutas à Deo quam Legem Mosaicam aut Euangelicam promulgaret, ad regendos homines sub Lege Naturali viventes. Unde qui ad Causas Internas & Essentiales politicæ & Ecclesiasticæ Potestatis attenderit, easque inter se ut necesse est contulerit, statim cognoscet nihil obstare quo minus Reges infideles aut Hæretici Christianis dominentur in Civilibus, & Temporalibus: quoniam auctore B. Thoma 2. 2. quæst. decima, *Distinctio fidelium & Infidelium non est ex Iure Naturali, sed ex Iure Divino: Ius autem Divinum quod ex gratia non tollit Ius humanum quod est ex naturali ratione: ideo distinctio fidelium, & infidelium secundum se considerata non tollit dominium, & prælationem infidelium supra fideles.* Hæc quidem bene & vere *S. Thomas*: quod autem ibidem subnectit, *posse tamen per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii vel Prælationis tolli: quia infideles merito suæ infidelitatis merentur Potestatem amittere supra fideles, qui transferuntur in filios Dei:* pugnantia loquitur, si hoc de politicis Potestatibus intelligi velit, quæ Jure Naturali pridem ante Euangelium constitutæ sunt. Quod si Dæmones Apostasia & rebellione sua in Deum nihil amiserunt

ſerunt de naturæ dotibus, ut docent Theologi: multo etiam minus homines ſi hæretici aut infideles evadant. Quocirca ſtrictè & dogmaticè iſta Deuteroſis *B. Thomæ* capi debet de ſola Prælatione quæ ortum ducit à lege Moſaica aut Euangelio: cujuſmodi eſt ſacerdotalis dignitas, Papatus, Epiſcopatus & Preſbyteratus: quandoquidem repugnat aliquem Papam, Epiſcopum, aut Preſbyterum eſſe infideles vel hæreticos, & nihilominus Papæ, Epiſcopi aut Preſbyteri officio defungi: Accedit *S. Thomam* ibidem hoc revocare ad terras, & dynaſtias Eccleſiæ, cujuſmodi eſt *Patrimonium S. Petri* in quo Papa ſupremus eſt dominus. Quare ſi qui eſſent ibidem Reguli, aut politici Magiſtratus infideles vel hæretici, Pontifex eos exauctorare poſſet, ne præeſſent aut Jus dicerent fidelibus. Alio igitur modo planè negatur ſitum in manu Eccleſiæ legem ferre qua hanc Juris Naturæ prærogativam à Deo inſtitutam, quocumque prætextu vel majoris boni promovendi, vel mali impediendi abroget: quia *nunquam ſunt facienda mala, ut eveniant bona: & Gratia Naturam perficit, non deſtruit*: quod idemtidem inculcare neceſſe eſt contra protervos cavillatores.

Sed revertor ad noſtram Analyſim. Tertiò enim Apoſtolus probat, politicas Poteſtates ſuprema auctoritate dirigendi & cogendi munitas à Deo his verbis: *Neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: Princeps non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram*, &c. Hicque eſt cardo totius controverſiæ, quando cauſa formalis politicæ Poteſtatis tota verſatur in facultate dirigendi & cogendi temporaliter: qua in re totius Regni, atque Imperii Majeſtas conſiſtit. Quid autem *per conſcientiam* deſignare voluerit Apoſtolus, primo notabili diſputavimus. Cæterum Poteſtatem coactivam his conſecrat verbis: *Princeps non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit: Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram*, &c. Enimverò τὸ *gladium portat*, & τὸ *vindex in iram*, demonſtrant Titulum, facultatem, & Jus abſolutè cogendi per merum imperium, atque inſuper unum & ſolum Principem politicum, dominium atque uſum *gladii materialis* poſſidere. Abſque quo Dei maximo munere hominibus poſt caſum Adami conceſſo, homines quidem in ſe invicem tanquam fluctus maris æſtuantis irruerent, atque inſtar piſcium imbecilliores prædæ & pabulo forent potentioribus, ut jam obſervavi. Quandoquidem poſt lapſum primi parentis libido & cupiditas adverſus rectam rationem ſic exacerbata eſt, ut directio abſque coactione prorſus exarmata & inutilis foret. Nullus enim hominum Laicus aut Eccleſiaſticus, ſi de generibus ſingulorum ſermo fiat, ſponte & conſtanter bonum agit: quare ad coërcendam tyrannidem legis membrorum, poteſtas vitæ & necis perneceſſa-

ut hinc omnes intelligant, quantum politicæ Majeſtati debeamus,

tum

tum propter conſcientiam, tum propter iram, ut cum Apoſtolo loquamur. Ad hæc autem qui attenderit, primo oculorum intuitu videbit, *Bellarminum* lib. priore de Clericis cap. vigeſimo octavo, ſupervacuè laborare ut perſuadeat, Eccleſiaſticos directivis tantum legibus Politicorum Principum ſola vi rectæ rationis, atque Legis conſcientiæ, abſque ulla coactione teneri, neque Poteſtati coërcitivæ Principum ullo modo obſtringi. Quaſi verò adeptione ſacerdotii Eccleſiaſtici impeccabiles efficerentur, aut ſtatum innocentiæ conſequerentur, & deſinerent eſſe cives, ſubditi Principum, & membra Reipublicæ, quod eſt impoſſibile. Accedit, ut jam dictum eſt, *directionem abſque coactione planè inutilem eſſe*, ſi de generibus ſingulorum agamus, & Majeſtatem politicam in Poteſtate cogendi per *merum imperium* ita conſiſtere, ut aliquam Rempublicam, Regem, aut Principem ſupremum eſſe omnino repugnet, & hac dirigendi atque cogendi facultate intuitu quorumdam hominum ambitu Regni aut Reipublicæ contentorum, puta Eccleſiaſticorum carere. Quod ſi omnes Reges, & Poteſtates ſeculi quotquot fuerunt, ſunt aut deinceps erunt interrogentur, an tale unquam Privilegium Eccleſiaſticis, aut quibuſcumque aliis hominibus etiam propriis liberis concedere in animo habuerint, ut ſi forte aliquando politicis Magiſtratibus parere recuſarent, in Regum capita, aut ipſam Rempublicam conſpirarent, nulla vi aut opibus Politicis in ordinem cogi quirent: certum eſt quidem daturos reſponſum, ſe nunquam tale voluiſſe aut potuiſſe largiri Privilegium, aut immunitatem contra Jus Divinum, & Naturale: quia hoc perſimile eſſet ac ſi Rex aut Reſpublica Juri Divino & Naturali quo omnes politicæ Poteſtates conſtituuntur derogaret, ac peſtilentiſſimam Anarchiam in Regno conſtitueret; profitendo, ſe nolle eſſe *Regem Eccleſiaſticorum*, aut aliorum quos à ſuprema Poteſtate dirigendi & cogendi liberaret: quod implicat contradictionem. Et quamquam Princeps aliquis *Conſtantinus Magnus* verbi gratia, cui fabuloſam affingunt Occidentalis Imperii donationem, tale privilegium Eccleſiaſticis indulſiſſet, nequaquam tamen obtineret: tum quia contra Jus Divinum & Naturale, quod lege Euangelica abrogari non poteſt, Anarchiam & diviſionem invehit: conſequenterque turbas, & factiones contra publicam Pacem, & politicum Ordinem, qui eſt à Deo; tum etiam quia *Conſtantinus*, poſito quod ejuſmodi immunitates conceſſiſſet, ſucceſſores ſuos ad eas obſervandas obligare non potuiſſet: quando *paris in parem nullum eſt imperium*: & nulla poteſt decurrere Præſcriptio contra Jus Divinum & Naturale. Quamobrem Reſponſis Prudentum invaluit, *Reges & Poteſtates ſupremas nunquam ſibi ligare manus*. Cui rei confirmandæ conducit Theologorum aſſertio, perhibentium, *Deum non poſſe obligare creaturam ad non obediendum ſibi*: quia hoc idem eſſet ac ſi Deus haberi & coli à creaturis nolle, quod implicat contradictionem. Verum ſicut dotes & facultates animæ ſen-

tientis à dotibus & potentiis animæ rationalis natura ſua ſecernuntur, & penitus diſtinctas habent operationes ita ut unæ in alias nunquam invadant: ſimiliter hoc genus directionis & coactionis per *Merum imperium*, & *abſolutam Poteſtatem* ſic eſt à cauſa formali Poteſtatis Eccleſiaſticæ, id eſt, à facultate ſpirituali miniſteriali dirigendi & cogendi legis Euangelicæ diſtinctum, ut penitus impoſſibile ſit in uno atque eodem ſubjecto *formaliter & directè* utramque Poteſtatem habitare. Nam *formaliter & dogmaticè* loquendo, Eccleſia nullam habet Poteſtatem *extrinſecè* ea cogendi quæ imperat: quoniam ejus poteſtas multo magis *ſuaſiva* & *directiva* eſt quam *coactiva*. Quæ cauſa eſt ut Almainus de Eccleſiæ auctoritate cap. 8. Reſponſione ad quintum argumentum Cajetani doceat, in terris Patrimonii S. Petri, *Judices ſeculares exercere Poteſtatem gladii non quidem auctoritate quæ* formaliter *reſideat in Pontifice ut Pontifex eſt, ſed in populo:* Quia, ut alias docuimus, populus quoad habitum, poteſtatem ſe & ſua tuendi retinet, eamque ſuo conſenſu tranſmittit in Judices, & Magiſtratus quos Papa directè eligit: vide Obſervationes ad VIII. Axioma. Itaque valde errat Bellarminus dum cauſis eſſentialibus Legis gratiæ reclamantibus, conformiter ad extravagantem Bonifacii VIII. Romano Pontifici & Dominium & uſum *gladii materialis* in ipſos Reges addicit. Lege Axioma XIV. XVI. XVII. & XXXIIX.

Quartò hæc clauſula Apoſtoli, *Non eſt enim Poteſtas niſi à Deo*, &c. convincit ſupremam Poteſtatem dirigendi & cogendi omnium Regnorum & Dynaſtiarum, puta Monarchiæ, Ariſtocratiæ, & Democratiæ eſſe *immediate* à Deo: conſequenterque non modo *humana certitudine*, aut *fide hiſtorica*, ut Cardinalis *Perronius* cavillatur, verum etiam Jure Divino tenendum, verbi cauſa, & Regnum & Regem Franciæ nullum ſupra ſe ſuperiorem agnoſcere in temporalibus. Etſi enim non ſit *de fide* Henricum, Ludovicum, aut Carolum eſſe Reges, ſicut nec Paulum, Clementem, Leonem eſſe Pontifices: tamen eſt *de fide* Eccleſiaſticam & politicam Poteſtatem *immediatè* & *poſitive* inſtitutas eſſe à Deo, quoquo modo exiſtant aut exerceantur in Papa, Epiſcopo, aut Presbytero: vel in ſtatu politico Monarchico, Optimatum, & Populari. Quandoquidem ſicut Dominus regenerando Eccleſiam ſponſam in vitam æternam, illi Poteſtatem ad id neceſſariam *immediate* largitus eſt, Axiomate XIV. pariter Deus creando hominem ut in civili ſocietate vitam degeret, unà quoque Majeſtatem Principatus atque Imperii politici ad id neceſſariam hominibus conceſſit, de qua re paulò ante diſputatum eſt.

Quintò hæc periodus, *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, &c.* apprime notanda videtur, quia non de nuda & ſimplici obedientia, verumetiam de ſubjectione præcipit, ut *ſola lectione* dignoſcimus, & obſervatum eſt à Patribus. Chryſoſtomus homilia decima quarta in Epiſtolam ad Ro-

Romanos, *Omnis anima Potestatibus supereminentibus subdita, &c.* hujus rei plurimum & in aliis Epistolis meminit, quemadmodum *famulos heris suis*, ita & *subditos Principibus* subjiciens. Facit autem hoc ideò ut ostendat, *Christum Leges suas non ad hoc induxisse ut Politias evertat.* Et aliquanto post: *Ostendit quod ista imperentur omnibus Sacerdotibus, & Monachis non solum secularibus:* id quod statim in ipso exordio declarat cum dicit; *Omnis anima Potestatibus supereminentibus subdita sit*, etiamsi *Apostolus* sis, si *Euangelista*, si *Propheta*, sive *quisquis* tandem fueris. Neque *pietatem* subvertit ista *subjectio.* Et non simpliciter dicit *obediat*, sed *subjecta sit, &c.* Hujus autem subjectionis politicis Potestatibus debitæ, *etiam à Sacerdotibus*, causam reddit Augustinus in explicatione quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos: nimirum *quia universi homines constent corpore*, & *corporis ratione rebus* indigeant *temporalibus*, quemadmodum *intuitu animæ* opus habent *Sacramentis Ecclesiæ*: Ex quo inimus, homines partim ad temporalem, partim ad supernaturalem vitam procreatos esse à Deo, qui in eum finem *utramque Potestatem* ad regendos homines *in hac vita* instituit. Sed verba Augustini exploremus. *Cum enim*, ait, *constemus ex anima & corpore*, quamdiu *in hac vita temporali* sumus, etiam *rebus temporalibus* ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur: oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, *subditos* esse *Potestatibus*, id est, *hominibus* res humanas *cum aliquo honore administrantibus.* Ex illa verò parte *qua credimus Deo*, & *in regnum ejus* vocamur, nos non oportet esse subditos cuiquam homini *idipsum* in nobis *evertere* cupienti quod Deus *ad vitam æternam* donare dignatus est. Si quis ergo putet, quoniam *Christianus* est non sibi esse exhibendum *honorem debitum eis* qui hæc curant *Potestatibus*, in magno errore versatur. Item si quis putat, se esse subdendum, ut etiam *in sua fide* habere *Potestatem* arbitretur, eum qui *temporalibus administrandis aliqua sublimitate* præcellit, in majorem errorem labitur. Sed *modus iste* servandus est quem Dominus ipse præscribit, *ut reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt.*

Quamquam enim ad illud Regnum vocemur, ubi nulla erit Potestas hujusmodi: in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad *illud seculum* ubi sit *evacuatio omnis Principatus* & *Potestatis*, conditionem nostram *rerum humanarum ordine* toleremus, nihil simulatè facientes, & in eo ipso non tam *hominibus* quam *Deo qui hæc jubet obtemperantes.* Deinde post pauca: Quod autem ait; *Ideoque necessitate subditi estote*, ad hoc valet ut intelligamus, quia necesse est *propter hanc vitam* subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quo sibi *Potestas* data est de *temporalibus rebus:* quæ quoniam transeunt, ideo & ista subjectio non *in bonis quasi permansuris* sed *in necessariis huic tempori* constituenda est: Tamen quoniam dixit, *necessitate subditi estote*, ne quis non *integro animo* & *pura dilectione* subditus fieret hujus-

modi Potestatibus addidit dicens, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam:* id est, non solum ad iram evadendam, quod potest *etiam simulatè* fieri, sed ut *in tua conscientia* certus sis, *illius dilectione* te facere, cui subditus fueris *jussu Domini tui qui omnes vult salvos fieri.* Quibus ex testimoniis conspicuum redditur, Paulum *divino* quidem *afflatu* non *de simplici* tantum *obedientia*, sed *de ipsamet subjectione* præcipere: quoniam *obedientia* plerumque *simulate, extrinsece, ad oculum*, & *de facto* tantum *per æquivocationes*, aliasque ejusmodi *fabricas* & *mundanas illusiones* ac *versutias* peragitur: sicut dum aliquis metu pœnæ & coactionis Principi, & Legibus Politicis obtemperat. Contra autem subjectio *ab interno principio*, hoc est, *ab ipso Iure*, atque *habitu animi*, id est, *à Lege conscientiæ*, de qua superius profluit. Quare semper comites & socias habet *dilectionem, reverentiam*, atque *honorem naturaliter debitum, exque animo sincero atque integro* redditum. Quapropter idem Apostolus aliàs præcipit, ut ὑποτασσεσθαι vitemus c. 6. ad Ephes. & 3. ad Colos. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Et S. Petrus *jubet ut Regem honorificemus*, capite 2. prioris Epistolæ. Hæc autem qui ut æquum est, accuratè perpenderit, statim cognoscet, non modò falsum, sed etiam impium, & erroneum esse, quod *Emmanuel Sà* docet in prima editione Aphorismorum verbo *Clericus*, nimirum, *Clerici rebellionem in Regem non esse Crimen Læsæ Majestatis, quia non est subditus Regi.* Quam impietatem similiter tuetur *Bellarminus* in librorum suorum recognitione, & libro contra Barclaium cap. 3. & 21. sub finem, scribens; *Apostolos & Ecclesiasticos non de Iure, sed de facto tantum fuisse subditos Imperatoribus Ethnicis, & politicis Potestatibus.* Qua assertione Imperia & Regna, ut jam observavi, non componuntur, sed scinduntur atque everturtur: *Reges* autem, *Principes*, & *Magistratus politici* supra quam dici potest efficiuntur *Contemptibiles*, ac similes *prædonibus* & *Tyrannis usurpatoribus* intuitu omnium Ecclesiasticorum. Quam ob causam Leges atque imperata Magistratuum palam aspernantur & conculcant, ac rebus novis studet: de multis loquor, qui Anno 1615. in Conventibus trium Ordinum Regni Parisiis animi sui motus sub infirma Regis ætate, & de hinc renudaruut, *Carolo Mironio* Andegavensi Episcopo duce. Porro ut hanc rebellionem adversus politicas Potestates Jesuitæ foverent & juvarent, *artem æquivocandi*, eludendis, ac elevandis Judicum, & Magistratuum politicorum interrogatis erga Ecclesiasticos adinvenerunt: quos dictitant non teneri respondere coram Laicis Judicibus, neque ad eorum mentem propterea quod non sunt Judices Clericorum, ut perhibent: inque unum est ex capitibus Bullæ Cœnæ Domini, quæ alterum statum temporalem in statu politico contra Euanngelium defigit, ut Axiomate XXXVI. probavimus.

Superest de *causa efficiente politicæ Potestatis* disseramus, quæ gemina est, *pri-*

primaria nimirum & *immediata* Deus ipse immediatus Naturæ & Gratiæ architectus, ut claret ex antecedentibus, nec non III. IV. & VII. Axiomatibus. *Causa* vero *mediata* & *secundaria efficiens*, est politicus Principatus *legitimè* institutus, sive ab uno & solo Principe ut in Monarchia, sive ab Optimatibus ut in Aristocratia, sive à populo *absolutè* exerceatur, quemadmodum in Democratia: quatenus scilicet naturalis populorum inductio & propensio, eis animum inducit, ut aliquam harum trium fomarum justi Regiminis politici cooptent & in eo vitam peragant. Quocirca si causas essentiales politicæ Potestatis expendamus, certissimum est has tres formas perfecti Regiminis policiti, Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam, suis omnino numeris cumulatè perfectas, & absolutas in Lege Naturæ pridem ante Legem Mosaicam & Euangelicam promulgatas: quia ut demonstratum est, Deus politicam Potestatem instituit ad regendos homines sub Lege Naturæ. Quapropter tres illæ species justi Regiminis politici nullo modo pendent ab Euangelio ut administrentur appositè. Certumque est ante Christi incarnationem legitimas & perfectissimas politici Regiminis formas apud diversas Nationes, & populos, nimirum Assyrios, Persas, Lacedæmonios, Macedonas, Romanos &c. extitisse, auctore *B. Augustino* lib. 5. de civitate Dei, *Joanne de Parisiis* de Potestate Regia & Papali, *Gersonio* de Potestate Ecclesiastica, consideratione 12. & *Jacobo Almaino* de Potestate Ecclesiastica & Laica, quæstione secunda cap. duodecimo sub finem. Quæ cum ita sint, qui ad *internas* & *essentiales causas* politici Dominii & institutionis Euangelii attenderit, easque, ut jam superius monui, inter sese contulerit, quamprimum animadvertet, nihil obstare quo minus Reges infideles aut Hæretici Christianis dominentur in civilibus. Profectò *Dominus* Jesus Christus *dominari debet in medio inimicorum suorum*, Psal. 109. Et Matthæ 10. nominatim declarat, se Apostolos atque discipulos qui Ecclesiam referebant, *mittere in mundum absque baculo, & pera tanquam oves in medio luporum:* hoc est, in medio infidelium, Hæreticorum, Tyrannorum, & persequutorum; quia quamdiu Ecclesia est in terris, *militare*, non *triumphum agere* debet: & idcirco ejus virtus in infirmitate, & persequutionibus perficitur, ac *sanguine Martyrum* propagatur: sic enim Christus quasi ventilabro frumenta à Zizaniis expurgat *ut disciplinæ memores* simus. Quæ occasio fuit Paulo præcipiendi ad Hebr. 12. *ut aspiceremus in auctorem fidei & consummatorem* Jesum *qui sustinuit crucem, confusionem, contemtum*: & recogitare *eum* qui *talem* sustinuit *à peccatoribus* adversus semet ipsum *contradictionem*, ut non *fatigemur* animis *deficientes &c. Quod si extra disciplinam est is cujus participes facti sunt omnes, ergo nothi & non filii estis*, inquit. Quare 1 Corinth. 11. ait; *oportere Hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant.* Quam enunciationem propheticam æque ad Reges quam ad privatos homines spectare, nemo ibit inficias ut opinor.

Itaque magnam Christo & Euangelio infligunt injuriam qui Hæreticos atque infideles Principes Dominii politici in Christianos incapaces esse vociferantur. Sic enim *Religionem* ad paucas redigunt Nationes contra expressum Dei præceptum qui *Filio dilectissimo* gentes & Nationes universas *pro Hæreditate* addixit Psal. 2. *Dabo tibi gentes Hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Certe Principes Ethnici & Hæretici ubi compertum habebunt, Christianos suæ tantum Religioni operam navare, neque rebus novis, deque mutandis Regibus, aut de alio statu in politico Statu ædificando, more turbonum istius infelicissimi seculi esse solicitos: facile quidem illos *Christianam Religionem* in suis Dynastiis colere & exercere patientur: idque tandem Principes & Reges *ad osculandum Christum Dei filium*, seu ut communis versio Bibliorum habet, *ad disciplinam Euangelii apprehendendam*, invitabit Psal. 2. ut quondam Ecclesiæ primitivæ temporibus usuevenit. Hic omitto dicere, solos exiguos atque angustos Principatus & Regna posse Hæreticos vel Infideles ex regni finibus exterminare: id autem tanto difficilius posse fieri quò Regna & Principatus sunt ampliores & profusiores: atque olim id omnino impossibile fuisse præstare in Romano Imperio, sicut & hodie in Principatibus Orientis.

Restat dicere de adversariorum argumentis. Primò Bellarminus lib. priore de Clericis cap. 28. contendit, nihil concludi ratiocinatione ducta à testimonio Apostoli Roman. 13. *Quamvis enim*, ait, *Jure Divino omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, ac per hoc etiam Regibus, dum sublimiores Potestates sunt: tamen fieri potest ut qui nunc est sublimior Potestas, paulò post non sit: ut si ipse subjiciat alteri partem sui Regni, vel Jure belli aut alio justo titulo Regnum, vel Regni partem amittat. Quoniam ergo Clericos omnes Pontifex exmit à subjectione Principum secularium, sequitur ut respectu Clericorum non sint Principes superiores Potestates: ac proinde non teneantur Clerici Principibus parere, neque Jure humano, neque Jure Divino, nisi quantum ad Leges quasdam directivas.* Pergit, *non eandem esse rationem Pontificatus & Regnorum: quia Regna non sunt immediatè à Deo instituta, sed ab hominibus: & ideo ab hominibus mutari possunt in alias Regiminis formas. Pontificatus autem à Deo immediate institutus est: & ideo non potest ab hominibus immutari.*

Hucusque Bellarminus, cujus collectio planè sophistica & non modo docto, sed etiam probo vir quia nunquam errori fidem præstare debet, indigna est, ut responsione ad singula patebit. In primis quod obtendit nihil concludi demonstratione Pauli, temerarium quidem est responsum, ne quid asperius dicam: & si potest Bellarminus aut alius pro eo *categoricè* ad singulas partes Syllogismi indissolubilis Apostoli respondeat. Secundò vel Pauli ratio fugit Bellarminum, vel eam non percipere simulat: convincit autem subjectionem & obsequium Principibus politicis debitum nasci à *causa primaria efficiente*, & *materiali* politici

tici Regiminis: quæ *causæ* omnino *essentiales* sunt atque *invariabiles*, sibique ipsis *sufficientes*: quamquam causa secundaria efficiens, nempe status Monarchicus, Aristocraticus & Democraticus sint inter se variabiles & commutabiles: sicut etiam compertum est hunc aut illum Regem verbi causa *Carolum*, *Henricum*, *Ludovicum* desinere posse esse Reges. Cæterum causa ob quam Ecclesiastici *immutabiliter* politicis Potestatibus subditi sunt, non est quia *Carolus* aut *Ludovicus* imperat, vel quoniam status est Monarchicus, Aristocraticus, aut Democraticus: sed primum quia Clerici *more aliorum hominum* corpore constant, & ratione corporis *rebus temporalibus* indigent: propter quas Deus *immediatè* supremam Potestatem dirigendi & cogendi *per merum imperium* instituit: à qua Potestate totus Ordo politicus, & Majestas regiminis *invariabiliter* atque *immutabiliter* scaturit. Unde *qui Potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit*: Ideoque *necessitate* subditi sumus non solum *propter iram*, sed etiam *propter conscientiam*, ait Apostolus. Itaque nos ludificat Bellarminus à non causa pro causa. Tertiò petitio est principii, & mera Quæstio facti, obtendere Papam omnes Clericos exemisse à Principum secularium subjectione: & quamquam *Bulla Cœnæ Domini* hoc detonet, tamen plane imaginarium & Chimæricum est, quia nullum hujus rei vestigium extat in Scriptura, quæ Ecclesiasticos *sola Potestate ministeriali spirituali* instruxit: & continuò Legem Divinam & Naturalem strictissimè servare tenentur: certumque est *Legi Divinæ* & *Naturali* Ecclesiasticos æqualiter subjici politicis Potestatibus cum Laicis nisi eos Principes immunitate & privilegiis ornarint: neque Pontifex Romanus aut ipsamet Ecclesia quemquam ab *æterna* & *invariabili Lege Conscientiæ* absolvere valet. Quartò petitio quoque est principii narrare, Ecclesiasticos non obstringi ad parendum politicis Principibus nisi *quantum ad Leges directivas*, *&c.* Ut enim paulò antè dixi, post primi parentis lapsum atque Legis membrorum & concupiscentiæ tyrannidem, *directio* absque *coactione* nuda & inermis foret: estque certissimum, Ecclesiasticos non immunes effici hujus corruptionis *per sacrorum Ordinum characterem* quod experientia, eheu! plus satis comprobat. Quintò multiplici æquivocatione nos frustratur afferens, non eandem esse rationem *Pontificatus* & *Regnorum*, quia Regna non sunt *immediatè* instituta à Deo sicut *Pontificatus* sed ab hominibus, &c. Nam si per Regna *Monarchicum*, *Aristocraticum* vel *Democraticum Principatum*, id est, *causam efficientem secundariam Regiminis politici* designat: fateor non esse *Juris Divini positivi*, sed tantum *secundarii* per *inductionem* & *Consequentiam Naturalem*: si verò nomine *Regnorum* velit significare *supremum Jus* dirigendi & cogendi *per merum Imperium*, à quo Ordo politicus & Majestas Reipublicæ *essentialiter* & *indivisibiliter* manat: falsum atque erroneum est dicere, *Regna* & *Principatus* non esse *immediatè à Deo* sicut *Pontificatum*: quoniam Deus *Naturæ* & *Gratiæ*

Gratiæ immediatus est *auctor*: consequenterque etiam Politici atque Ecclesiastici Regiminis si *formaliter* quoad essentiam, & institutionem consideretur: quamquam modus, existentia, & exercitium utriusque per quandam *inductionem* & *consequentiam naturalem* ex lege divina per hominum institutionem, & consensum eliciatur, & propagetur. Enimverò Reges & Magistratus politici sicut Papa & Episcopi hominum consensu assumuntur & cooptantur, ut probatum est superius. Sextò quod obtendit, *Reges Jure belli posse Regnum amittere*, &c. idem quoque est judicium de Papa, quoniam quarta & quinta sessione Constantiensis Synodi statutum est, *Papam*, si *notorie* & *incorrigibiliter* Ecclesiam *scandalizet*, abdicari posse *ab Ecclesia*, Axiomate II. & XVI.

Secundum argumentum ab eodem libro Bellarmini de clericis cap. 28. petitur: ubi urget Christum cap. 17. Matthæi petere à Sancto Petro, *utrum Reges terræ à filiis suis, an ab alienis tributum vel censum exigere soleant*, &c. Ex quo efficere vult, Christum indicare, se cum tota familia sua cui B. Petrum præficiebat, *ab omni tributorum persolutione* liberum ac immunem esse. Rependo Christum Dei filium *ratione Potestatis*, *auctoritatis* & *excellentiæ*, de qua Axiomate XIV. nullo modo fuisse vectigalem: cum autem non venerit in mundum ut hoc genus Potestatis, *nisi obiter tantum* exerceret sed quæ puri erant hominis, humilitatis, & ministerii obiret: ideo more aliorum hominum vectigal & tributum debuisse ac persolvisse: *quia nobiscum per omnia tentatus est pro similitudine absque peccato*, *ad Hebræos* 4. continuoque etiam omnes Ecclesiasticos *vectigales* esse voluit, nisi à Principibus politicis immunitate donarentur. Lege *S. Thomam* Commentariis in cap. 13. ad Roman. & Axioma XXXVI.

Tertium argumentum ducitur à cap. 30. lib. memorati de Clericis, in quo *Bellarminus* hoc præceptum Apostoli iterato rocoquit: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. Respondeo, inquit *Bellarminus*, sententias Apostolorum *generales* esse: quamvis enim nominatim in eis fiat *mentio Regum*, quoniam eo tempore valde necessarium erat diligenter monere Christianos *ut Regibus obedirent*, ne *fidei prædicatio* impediretur: tamen *absolutè* verba illa tam *B. Petri* quam *B. Pauli* nihil aliud significant, nisi *debere omnes homines* suis legitimis Superioribus *subditos esse*, eisque *debitam obedientiam exhibere*. Quare non potest ex his Testimoniis probari, *Clericos* Principibus seculi, *vel* ipsorum Legibus *obtemperare debere*, nisi prius probetur, *Reges seculi* esse *Legitimos Superiores* & *Judices Clericorum*: quod certe probari non poterit, nisi probetur, *oves pastoribus*, *filios parentibus*, & *temporalia spiritualibus præeminere*. Nec tamen *Chrysostomo* contradicimus: quamvis enim *Judicem proprium* Clericorum, & Monachorum *solum Pontificem esse* dicamus, tamen fatemur; *Reges* non solum *Laicorum*, sed etiam *Clericorum*, & *Monacho-*

nacherorum Reges esse. Unde etiam non sine causa *in publicis precibus oramus pro Rege, vel Imperatore nostro.* Quæ velitatio Bellarmini parieti inclinato, & maceriæ depulsæ incumbit. Quandoquidem supra ostendi, ex omnibus circumstantiis textus Apostoli colligi, *Paulum* de solis *Potestatibus seculi* sermonem instituere: deinde gratis concessi *Bellarmino*, hic *generatim* agi de *omnibus Potestatibus* tum *Ecclesiasticis* cum *Laicis*, hocque nihil demonstrationi Apostoli incommodare probavimus: quoniam *manifestè* docet, *omnem animam*, nemine dempto, *politicis Potestatibus* tanquam *immediatè* à Deo *constitutis* subditam: consequenterque *Ecclesiasticos* illis *subjectos esse* tum *propter conscientiam* tum *propter iram:* utque amplius argumento ad hominem Adversarium debellemus; Quando, ut ait, *verba Apostolorum Petri & Pauli* nihil aliud significant quam *omnes homines* suis legitimis Superioribus *subditos esse*, *eisque* debitam obedientiam *debere:* relinquitur *Ecclesiasticos* non solum *propter iram* id est, non tantum *de facto*, ut *Bellarminus* allucinatur, sed *propter legem Conscientiæ* politicis Potestatibus *esse subditos:* quando certissimum est, *illos* his generalibus Propositionibus *æqualiter cum laicis* comprehendi; *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, Gen. 9. & Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram sed etiam propter conscientiam.* Quocirca obtendere, *Ecclesiasticos* provisorie & ad tempus tantum *subditos esse* politicis Potestatibus, *quoad lex Euangelica sufficienter promulgaretur*; idem plane est ac si quispiam diceret, *Legem Divinam & Naturalem* esse *provisorias*, & *temporarias*, non *æternas* atque *immutabiles*, quod erroneum atque impium esse, supra ostendi. Sed instat *Bellarminus*, ex testimoniis Apostolorum probari non posse, *Reges seculi* esse *legitimos Superiores & Judices Clericorum*, nisi antea probetur, *oves pastoribus, filios parentibus, & temporalia spiritualibus præeminere*, &c. Oppono, illum æquivocando illudere veritati: si enim de rerum spiritualium & purè Ecclesiasticarum judicio agatur, cujusmodi sunt quæ à Patribus vocantur *Regularia*, fateor vera esse quæ dicit Bellarminus. Si autem de *rebus civilibus & secularibus*, absolutè nego, *Reges & Magistratus politicos* non esse *Legitimos Judices Clericorum. Quæ enim sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo reddenda:* ac spiritualia & Regularia *Solis Ecclesiasticis*, Temporalia autem *Judicibus seculi* relinquenda, non autem conturbanda & confundenda sunt, quemadmodum à *Bellarmino* sophisticis cavillis conturbantur. Tertiò argumenta parabolica ab ovium similitudine & comparatione prorsus imbellia & invalida sunt: nemoque ignorat, longe disparem esse rationem ovium brutarum & Regum, aut politicæ societatis & gregis pecudum: quoniam oves nullius rei alterius quam subjectionis, & obsequii sunt capaces: Reges autem & civilis societas habent à Deo & à natura *Potestatem dirigendi & cogendi* universos cives ambitu Regni aut Reipublicæ contentos, nemine dempto. Quartò

quotuſquiſque ignorat; ſæpe filium parenti ſuo præeſſe in Politicis, ut quondam Romæ neſcio quis Conſul aut Dictator parentem ſuum per viatorem cedere via, atque populi Romani Majeſtatem tueri juſſit? Et ne tam longinqua & obſoleta quæramus, ſæpe in Parlamento Pariſienſi videmus filios Procuratorum effici conſiliarios, & in Senatum cooptari, atque eorumdem parentes coram propriis filiis capite aperto & genu flexo poſtulare. Quinto *ſpiritualia* quidem *corporalibus*, & *cæleſtia terrenis*, ſed *dignitate tantum*, atque *eminentia*, non *cauſalitate*, aut *efficientia* antecellunt. Nam cœlum nequaquam produxit terram, ſed duntaxat *motu intermedio* in hæc inferiora influxit, eamque tepefacit, quemadmodum Eccleſia Principes Chriſtianos *actibus hierarchicis ſpiritualibus* illuminat, regit *ſpiritualiter*, & perficit. Quare ſicut terra ſuum Eſſe, & quandam virtutem habet independentem à cœlo, quemadmodum etiam Luna à Sole: pari modo civilis ſocietas & politici Principes *ratione temporalium*, & *rerum ſecularium* nullo modo pendent ab Eccleſia, præſertim ut *cogi* poſſint *extrinſece* & *temporaliter*. Unde ſupra notavi, veram & perfectam formam politicæ gubernationis & virtutum moralium & politicarum apud multas Gentes *ſaltem diſtributivè* extitiſſe ante Euangelium. Quoniam autem ſupra notavi Axiomate XXXVII. ex anima vegetante, ſentiente & rationali *unum hominem* conſtitui: certè quamquam anima rationalis *eminenter* & *virtualiter* animam vegetantem & ſentientem contineat; nihilominus in confeſſo eſt apud omnes Theologos, utramque animam diſtinctas & independentes operationes à ſe invicem habere, ut liquet ex ſomno & vigilia; ex quinque ſenſibus, facultate generandi, atque aliis operationibus quæ ab anima rationali non manant. Et ita perſpectum ac exploratum redditur, nihil ſubeſſe periculi aut contradictionis aſſerere, *Reges* in *civilibus* & *temporalibus* dominari *Eccleſiaſticis* tanquam *ſubditis naturalibus*: & viciſſim *Eccleſiaſticos* Regibus velut patres *filiis*, pædagogos *diſcipulis*, & *paſtores* ovibus *ratione præditis*, ut ait *Chryſoſtomus*, ſuaviter *præeſſe* & *moderari* in ſpiritualibus *per actus hierarchicos*: quo mutuo vinculo Chriſtus Regnum & Sacerdotium inter ſeſe colligare voluit, ut antea monuimus. Sexto *Bellarminus* Reges & regiam auctoritatem manifeſto habet ludibrio, & Anarchiam conſtruit, aſſerens illos eſſe Reges Clericorum, & nihilominus *poteſtatem cogendi in ordinem Eccleſiaſticos* non habere: hoc enim eſt tantum æquivocè Regem eſſe: quoniam regia Majeſtas quanta quanta à facultate cogendi per merum imperium proficiſcitur. Quod vero memorat; *Eccleſiaſticos* in publicis orationibus *preces fundere pro Regibus*, & *Imperatoribus*: ei rependo, non ſolum in hac re honorem Regibus & Imperatoribus debitum verſari: & perinde eſſe ac ſi quiſpiam diceret, ſe præcepto de honorandis parentibus abundè ſatisfacere orando pro patre & matre, nec eis opitularetur in rebus ad vitam neceſſariis. Itaque ſicut honorare

parentes

parentes est illis omnia officia atque subsidia Jure Divino & Naturali debita rependere: similiter Reges honorare est eorum Legibus politicis, quæ Legi Divinæ & Naturali minime repugnant, neque pietatem evertunt, ut ait Chrysostomus, ex animo, & Lege conscientiæ, & non tantum de facto, ut ait Bellarminus, obtemperare. Profecto S. Hieronymus commentariis in cap. 15. Matthæi scribit, *Honorem in Scripturis non tantum in salutationibus, & officiis deferendis, quantum in oblationibus, & eleëmosynis consistere.*

Quartum argumentum est, *Constantinum Magnum* noluisse cognoscere de causis Episcoporum, hancque vocem pronunciasse, *Vos Dii estis à summo Deo constituti, æquum non est ut homo judicet Deos:* idque Bellarminus lib. priore de Clericis cap 28. refert ex lib. 10. Historiæ Ruffini cap. 2. Verum etiam atque etiam Adversarios qui tam ambitiosè hoc *Constantini* responsum venditant rogo, ut ingenuè & bona fide dicant, utrum ejusmodi controversiæ quæ ad Constantinum ab Episcopis deferebantur, essent fori merè Ecclesiastici, an mixti? Si erant primi generis, oportet Episcopos qui eas ad Constantinum deferebant, dignitatis atque officii Episcopalis prorsus ignaros fuisse, & totum Nicænum Concilium, quoniam eas deferri passum est, graviter peccasse. Quod si contendant fori mixti fuisse: ergo Episcopi qui eas detulerant ad Constantinum, totumque Nicænum Concilium optime noverant, Principis esse politici de ejusmodi negotiis & litibus cognoscere, & statuere, ut Pax Ecclesiis daretur: continuoque Imperatorem in hac parte legitimum esse Judicem Ecclesiasticorum. Sed vociferantur, Constantinum earumdem cognitionem repudiasse: Contra oppono, hoc ad *Quæstionem facti* spectare, utque ait *Joannes Major* post *Joannem de Parisiis*; *facta Principum erga Ecclesiam quæ à singulari devotione, non à debito jure manant, frustra & sophisticè obtrudi aut trahi in exemplum dogmaticum ad fidem faciendam.*

Certè sicut Apostolus cap. 6. prioris ad Corinthios, cum vellet Christianos à litibus arcere, eis persuadet, *quod aliquando judicaturi sint Angelos*, multaque alia ibidem oratoriè *per excessum* & *hyperbolen* disputat statuens; CONTEMPTIBILES QUOSCUMQUE, modò *Christianos* potius eligi oportere, quam Infideles, tametsi necessarios & legitimos Judices: pari modo Constantinus hoc in loco *Episcopos* nuncupat *Deos*: quæ vox eximia quamquam in speciem Episcopos laudare videatur, attamen multum habet diasyrtici, & reprehensionis, magnoque est affinis vituperio: quasi illis diceret, Quando Deus vos *lumen mundi* & *sal terræ* constituit, ut *instar Dei* essetis *impeccabiles*, ac *lumine morum* & *vitæ melioris exemplo* omnibus aliis mortalibus *præiretis:* quid *inter vos* altercamini, meque *ad dissidia vestra placanda* interpellatis, vosque *homines* plane ostenditis? Quod si ratio Bellarmini vincat, scilicet *Ecclesiasticos à nemine judicari oportere*, quia Constantinus illos appellavit *Deos*, atque iniquum sit,

Deum ab homine judicari: sequitur à pari & fortiori, *politicos Magistratus* quos scriptura *Deos* nuncupat Ps. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum*, &c. à nullo *judicari posse*. Profectò me quidem tempus in ejusmodi paralogismis & minutiis confutandis collocare piget, quoniam à Theologia dogmatica penitus abhorrent, quæ tantummodò præceptis fidei constituendis usui esse potest.

At verò tenendum pro certissima regula; Principes Christianos quoties eis aliquid negotii aut dissidii cum Romanis Pontificibus intercessit, sæpe aut *solo pietatis intuitu*, aut etiam *pacis* atque *unitatis* Ecclesiæ *retinendæ causa*, multa indulsisse, & de Jure suo recessisse: quod deinceps *Curia Romana* ad suum *Dominatum absolutum* stabiliendum avidissime rapuit: quæ ratio est ut hodie triumphum agat de politicis Potestatibus.

Ut autem summam mearum rationum defigam, atque unica collectione his XII. Axiomatibus extremam manum imponam, peroro: Quicquid *directè, evidenter, & necessitate consequentiæ*, ex Lege Divina, Naturali, & Praxi Ecclesiæ Catholicæ deducitur, id quidem fide Catholica credi oportet: tantum ergo abest ut aliqua Hæreseos, Schismatis, aut erroris nota compungi, aut ulla censura justè inuri possit.

Sed omnia hæc Axiomata quibus orthodoxa doctrina *Gersonii* & scholæ Parisiensis de limitibus ac terminis utriusque Potestatis continetur, & explicatur, *directe, evidenter, & necessitate consequentiæ* ex Lege Divina, Naturali, & praxi Ecclesiæ Catholicæ deducuntur.

Igitur Fide Catholica credi & teneri debent: continuoque ulla Hæreseos, Schismatis, aut erroris nota compungi, aut aliqua Censura juste inuri nequeunt. Hic à majori & nobiliori parte denominationem capi volo: ne quis Sophista in nonnullis apicibus, & particulis horum proloquiorum hæreat, easque forsan hoc Syllogismo non posse comprehendi cavilletur.

Cæterum quando hæc doctrina, de regendis finibus utriusque Potestatis Catholica est: quispiam forte contendet, eam uni *Gersonio*, & antiquæ scholæ Sorbonicæ adscribi non posse absque aliarum Nationum Catholicarum injuria. Sed contra reponam, revera esse Catholicam, & nihilominus absque cujusquam injuria facultati Parisiensi & Ecclesiæ Gallicanæ privatim attribui posse: atque ejus rei causam inde repeti oportere, quod post abrogatam *veterem & Apostolicam disciplinam*, atque *infallibilem Papæ Monarchiam* contra Jus Divinum & Naturale invectam, & *Imperium Romanum* dilapidatum, cunctæ aliæ provinciæ Europæ, *Galliarum regno dempto*, divisæ & partitæ fuerint in multos imbelles Principatus, & Dynastias: eamque ob rem omnes alias Nationes, *Gallicana excepta*, partim imperii imbecillitate & defectu potentiæ, partim etiam Zelo imprudenti, quoniam Academiæ Parisiensis lumine

mine & sale destituebantur, coactas fuisse *jugum Curiæ Romanæ* subire: & continuo etiam Universitates quæ deinceps in Italia, Germania, Anglia, Hispaniis, &c. institutæ fuerunt, cum *sub* atque *in illa servitute* & natæ & conditæ essent, nihil mirum esse quod *istam servitutem* his temporibus perferre, & ad *solam normam placitorum Curiæ Romanæ*, & *Bullæ Cœnæ Domini* sapere, vivere, & scribere cogantur: Contra quam Academiæ Parisienſi, & Ecclesiæ Gallicanæ accidit: quæ potentissimi atque florentissimi Regni opibus, nec non Parlamenti auctoritate obvallatæ, *absoluta* Curiæ Romanæ *imperia & servile jugum Bullæ Cœnæ Domini* in hunc diem detrectarunt, atque *Apostolicam disciplinam*, & *libertatem Aristocratici Regimins Ecclesiæ* collectim, palam, & publice semper propugnarunt: quod aliis Nationibus minime contigit quas Romæ vocant *Pays d'obeissance*, quia omnia Curiæ Romanæ imperata in rem judicatam sponte mittunt.

Epilogus superiorum Axiomatum, innumera Absurda, & corruptelas summatim complectens, quas Romana Curia *per suum absolutum & despoticum dominatum in Ecclesiam effudit.*

LI. PRo hujus operis coronide, octo proponam intoleranda Absurda atque abusus Juri Divino & Naturali, nec non Praxi Ecclesiæ Catholicæ omnino infesta, & contraria: quæ quidem ex opinione Curialium *directè*, & *necessariò* consequuntur, bonosque mores, & Disciplinam Ecclesiasticam funditus corrumpunt: & plurimos ab Euangelio amplexando avertunt. Primum dato quod absoluta infallibilis Monarchia Juris sit Divini: insurgit, Ecclesiam alia donatam Potestate quam purè ministeriali spirituali, vacua omni dominatu, & Potestate cogendi extrinsece: atque Romanum Pontificem non esse ministrum sed dominum absolutum Ecclesiæ sponsæ Christi: contra quam Dominus ipse pronunciat, dum testatur, *se venisse in mundum ut ministraret, non ut sibi ministraretur*: quare suos dominari vetat Lucæ 22. *Reges Gentum dominantur, Vos autem non sic.* Et Apostolus 2. Corinth. 4. se *ministrum & servum Ecclesiæ* venditat: *Nos autem servos vestros per Jesum.* Et cap. 1. ad Colossenses: *Cujus Ecclesiæ factus sum minister*: Consule Axiomata IX. X I. X I V. X V. & X V I.

Secundò infertur, Christum *uni & soli Petro* donum Consilii, & gratiam Spiritus Sancti contulisse, sicque *afflatus Divinos*, penes unum Papam ita residere ut, quandocumque velit, *inspiret*, aut *non inspiret Ecclesiam*, teste Cardinali *Cusano* lib. 2. de Concordantia Catholica cap 21. post medium. Quam opinionem, ut Bellarminus roboret lib. 1. de Conciliorum auctoritate cap. 18. sub finem, memorat *Papam instar Regis alicujus posse totum judicium Concilii*

Generalis irritare, & ad hoc habere assistentiam Spiritus Sancti. Quocirca lib. 2. cap. 2. cap. 11. asserit, *quando Legati Papæ mittuntur ad Concilium sine sufficienti instructione*, ut factum est *Tridenti*, tum *Patres congregatos* in Synodum, ubi de *singulis rebus* inter sese *deliberarunt*, debere mittere *Romam* ad impetrandum *infallibilem definitionem*, & *Conclusionem Papæ*, alia autem Lege *Concilium congregatum* non *posse infallibiliter statuere.* Quæ multo luculentius confirmantur à *M. Andræa Vallio*, lib. *de suprema potestate Papæ in Ecclesiam*, parte quarta, initio sextæ quæstionis, ubi disputat, utrum Concilia Generalia à Pontifice Romano non confirmata sint infallibilia: *Legati Pontificis aliquando* mittuntur ad Concilium absque ulla instructione propter varias & multiplices quæstiones à Patribus discutiendas, *ait*, neque enim tunc Pontifici in promtu est suam instructionem legatis tradere, ut nuper in Concilio Tridentino, in quo variæ contra hæreticos quæstiones erant agitandæ, factum fuit: & hæc causa est, cur cum aliquid in eo Concilio esset definiendum, de eo prius certior Pontifex à legatis fieret ut ab eo instruerentur, ne quid necessarium ad rite definiendum omitterent. Hæc illi quæ Hæreticis ansam cavillandi, & decreta Ecclesiæ irridendi præbent: quoniam hic modus procedendi nunquam antea cognitus est, atque Oraculo Domini, & praxi Ecclesiæ Catholicæ sub octo primis generalibus Conciliis usitatæ manifesto repugnat: siquidem Matthæi 18. Christus pronunciat, *Quod si duo ex discipulis suis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre suo qui in cœlis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, inquit.* Quo effato suam præsentiam atque divinos afflatus non uni singulari Monarchæ, sed pluribus inter se consentientibus ac Communionem ineuntibus, si modò in nomine suo congregentur, certò pollicetur Dominus: Lege XVIII. XXII. XXVI. & XXIX. Axiomata, ubi Ecclesiæ Catholicæ praxim sub octo primis generalibus Conciliis servatum luculenter exhibuimus. Certè quandiu Ecclesia floruit in Oriente, Romani Pontifices hoc sibi non ausi sunt arrogare, sed dunt axat ab eo tempore quo Ecclesia ad paucas Nationes Europæ redacta est: dehinc enim omnia negotia & controversiæ ad Romanam Curiam ut definirentur delatæ sunt, & solus Papa cuncta pro animi sui arbitrio statuit: quod idem est ac si primus Præses Parlamenti solus absque Senatorum consensione & conventu Senatus consulta conderet. Si autem quæ comminiscuntur vera essent, oporteret Ecclesiam non immediatè à Christo capite essentiali, sed tantum intermedia Pontificis Romani capitis ministerialis opera dirigi, atque informari: continuóque sede vacante Ecclesia à suo statu corrueret, neque hic articulus fidei *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, &c.* Papa mortuo frequentari posset à Christianis. Denique dato quod Papa in diuturnum & gravem morbum incidisset, toto tempore quo *Synodus Tridentina* continuavit, profecto absque

abſque ullo effectu diſſolvenda fuiſſet: quaſi Eccleſia *ſibiipſi non* eſſet *ſufficiens*, & eam Dominus deſeruiſſet *in neceſſariis* contra IIX. XIV. XV. & XVI. Axiomata. Accurrit & praxis Eccleſiæ in *Conſtantienſi Concilio* ubi Patres de rebus fidei ſtatuerunt ante *Martini* V. electionem, & poſtquam creatus eſt Pontifex, Bullam edidit conſentiente & approbante Concilio pro exſequutione articulorum ad fidem ſpectantium, ne quis hîc tergiverſetur: qui *uſus* fuit *Eccleſiæ primitivæ*, quoniam Patres Orientalis Eccleſiæ *S. Baſilius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Nicænus*, alii de rebus pariter fidei ſtatuerunt in prima Synodo Conſtantinopolitana Oecumenica, abſente *Damaſo* P P. ejuſque legatis qui ad memoratum Concilium invitati & evocati fuerant: item in quinta Synodo Generali idem pariter factum eſt.

Tertio ſi hodie celebrentur Concilia, Epiſcopi non ſunt Judices controverſiarum, & Eccleſiæ principes, ſed tantummodo Papæ conſiliarii, & ſuaſores, non auctores & conditores Legum aut Canonum. Item liberam ſententiæ dictionem non habent in Synodis: quoniam Poteſtas infallibilis, & voluntas abſoluta Papæ, pro omni Synodo, deliberatione, conſenſu, Lege, Canone, & Communione Sanctorum coli, ſervarique debet: ex quo etiam relinquitur Eccleſiam *eſſe ſervam natam Papæ*, quemadmodum Cajetanus impiè & adulatorie perhibet prima parte ſuæ Apologiæ cap. 1. de auctoritate Papæ, & Concilii. Vide Axiomata IX. XV. XVI. XVIII. XXII. & XXVI.

Quarto frequentiam Synodorum non eſſe *ſimpliciter*, & *abſolutè* neceſſariam ad melius, & ſanctius gubernandam Eccleſiam, ad Schiſmata, atque Hæreſes debellandas: contra quam ipſemet *Bellarminus* manifeſta veritate convictus lib. 1. de Conciliorum auctorirate cap. II. aſſerit, & probatum eſt Axiomate XX. Deinde oporteret Chriſtum Eccleſiam ſponſam, ſi forſan in membris illuſtrioribus laboraret, ut his ſeculis eam graviter laborare videmus, ſanari, atque emendari noluiſſe? Quid ergo ſcelerum quæ corrigi nollet, ſe tam acerrimum ultorem ac Judicem fore pronunciat? Qui etiam *B. Petrum* fraternæ, ſed multo magis Eccleſiæ Catholicæ correctioni ſubjecit? Axiomate XV I. ac neminem in ſua cauſa teſtem, aut judicem ſedere vult? Axiomatibus IX. & X.

Quinto poſita Monarchia Papali tanquam divinitus conſtituta, inducitur octo prima Concilia Generalia, quæ octingentorum circiter annorum decurſu celebrata ſunt, eſſe omnino Schiſmatica atque erronea: quippe quæ Jus commune & Regimen Ariſtocraticum, quo iſta Monarchia penitus evertitur, ſtrictiſſimè perhibeant & conſecrent, Axiomate XXIX. Quam verò impium ſit hoc non dicam publicè profiteri, ſed apud ſe cogitare, adverſariis ipſis æſtimandum relinquo: quoniam Eccleſia Catholica non modò illas Synodos Generales primas poſt Euangelium ipſum perpetuo ſuſpexit, *can. Sicut ſancti Euangelii. diſt.* 15. *& can. Sancta octo. diſt.* 16. verumetiam tenuit quicquid

unquam

unquam purioris & ſanctioris vitæ ac Regiminis in Eccleſia excelluit, ſub illis octo primis Generalibus Conciliis potiſſimum floruiſſe: cujus rei teſtes ſunt Martyres, ſanctique Patres ac innumeri Doctores, qui non aliam ob cauſam in *dypticha Eccleſiæ*, hoc eſt, in *Canonem Sanctorum* relati ſunt, quam quod in Lege Euangelica ſecundum Regulas, & Decreta illorum Conciliorum rigidiſſimè vixiſſent, atque Eccleſias ſibi creditas gubernaſſent.

Sexto ex Juris communis, & Ariſtocratici Regiminis abrogatione, uberrima ſeges & ſylva omnium malorum, & calamitatum in Eccleſia luxuriavit: qua de re inter plurimos alios *S. Bernardus*, *Durandus Speculator* quondam auditor Rotæ & Mimatenſis Epiſcopus, *Gerſonius*, permultique alii auctores nullo modo ſuſpecti lamentantur. Procul dubio Curia Romana, iſto abſoluto Dominatu nixa omnium hominum ſtatus, conditiones, atque Ordines mirabili artificio, & velut quadam fatali & fortunata catena ſibi devinxit, atque potentiſſimè ad tutelam omnium abuſuum, quos largiſſimè effundit & propagat, armavit. Quem etiam in finem legatos, & Nuncios ſuos ſedulò quocumque terrarum *obtentu fidei* & *religionis tuendæ* ablegat. Ex quo uſuevenit, ut hodie Chriſtiani Principes Regimen ſui ſtatus atque imperii ſæpe ad privatum commodum & utilitatem Papæ temperare, & moderari cogantur. At verò opera diſpenſationum atque exemptionum Presbyteros Epiſcopis, Epiſcopos Metropolitis, Metropolitas Primatibus, Monachos ſuis Abbatibus, Abbates & Monachos ſive Regulares Epiſcopis ſuis ſubduxit, atque abſtraxit, ut idem queritur *Bernardus* lib. 3. de Conſideratione cap x. juxta *Gerardi Voſſii* recenſionem Romæ editam, & Clementi VIII. nuncupatam. Præterea cum olim Monachi ſive Regulares ſtudio vacandi contemplationi in ſeceſſu & ſolitudine procul ab urbium amœnitate & illecebris habitarent: tandem Curia Romana ut multa hominum exemptorum ſodalitia haberet ad manum, qui inſtituta & commoda ejuſdem ſedulò propagarent & defenderent, ſtatum atque diſciplinam Monaſticæ & Regularis diſciplinæ cum Eccleſiaſtica Hierarchia funditus evertit, inſtitutione Privilegiatorum qui in hominum luce & frequentia habitant, Secreta omnium familiarum perrimantur, ſuntque negotioſiores ipſis hominibus ſecularibus. Hercle magnum eſt *abſoluti Imperii* Arcanum, habere in omnibus diœceſibus & provinciis, innumeros homines fiduciarios ab Epiſcoporum atque Magiſtratuum politicorum Juriſdictione exemptos, qui *tanquam aures, oculi, & manus Curiæ Romanæ*, ejuſdem imperata ubique terrarum exſequutioni demandent. Quid dicere opus, Simoniacas Reſignationes in favorem cum ſuo maximo quæſtu adinveniſſe, atque in Jus ordinarium hodie transformatas, quibus eluendis Reſignationibus, *abſoluta Poteſtate Papæ* opus neceſſariò fuit: quoniam ſacris Canonibus nominatim cautum eſt, ne quis ſibi ſucceſſorem deligat, Axiomate XXXIII. Qua ex putri ſcaturigine manarunt etiam *Gratiæ exſpe-*

exſpectativæ, *Mandata Pontificia*, *Reſervationes*, *Regreſſus beneficiorum* poſt *reſignationem*, *Commendæ*, *fiduciæ*, *permutationes*, *penſiones* præſenti quoque pecunia *redimibiles*, *Annatæ*, Clericorum defunctorum *ſpolia*, ac reliquæ beneficiorum incompatibilium in una atque eadem perſona innumeræ *diſpenſationes*, cæterique *abuſus*, & *peſtes* ex corrupto hominum, & præſertim Adulatorum & Ambitioſorum judicio promanantes, Axiomate XII. quos abuſus Patres Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis magna ex parte antiquare decreverant, & hinc motus & convitia Curialium adverſus hæc duo ſanctiſſima Concilia. Porrò ex perſuaſione, quod *Papa* ſit *Ordinarius Ordinariorum*, *Epiſcopus Epiſcoporum*, *Dominus* & *Monarcha abſolutus infallibilis*, atque eadem polleat Poteſtate *cum Chriſto* in Eccleſiæ gubernatione, omnibus ambitioſis & delicatulis propoſitum eſt, non quidem *ad normam Euangelii*, & *Canonum* ſubducta vitæ ratione ſeveriſſime vivere, atque uno mediocri contentum eſſe beneficio, in eoque reſidere: ſed in capturam plurimorum Sacerdotiorum opimorum venire, magnamque meſſem Privilegiorum atque immunitatum emetere quod *Mare magnum* vocitant: quibus incœptis Poteſtas Epiſcopalis, *Hierarchicus Ordo*, Jus commune, *Ariſtocraticum Regimen*, omniaque Divina & humana Jura *eo prætextu* everturtur, *quod Papa errare non poſſit*, atque homines iſtis imaginariis diſpenſationibus ſecuros coram Chriſto judice efficiat: quaſi idem ſit *Papæ* & *Chriſti tribunal*, ut impie prædicant: cum hoc intelligi tantum debeat, *clave non errante*, ſicut omnes docent Theologi. Accedit inſuper *Chriſtum* judicare *de occultis*, *Papam* vero & *Eccleſiam* de *externis*, & *notis duntaxat*. Et hæ ſunt artes & fabricæ quibus Curia Romana *ſpiritualem miniſterialem Statum Eccleſiæ* in *Regnum Temporale* tranſmutavit: proque charitate & dilectione *Dominatum Tyrannicum*, atque *odium* venditavit, unde tot Schiſmata, & Hæreſes emerſerunt. Quid amplius memorem, illam ſic Cardinales ſupra omnes Epiſcopos evexiſſe, ut *humana Privilegia* multo pluris hodie fiunt præſertim Romæ, quam *Jura immobilia Epiſcoporum* quæ Lege Euangelica conſecrantur. Unde evenit ut jàm nullus *Rex* aut *Princeps* exiſtat, qui non in maxima parte beneficii reponat, ſi modo pro aliquo homine cui impenſius gratificari velit, *galerum Cardinalitium* à Papa emereri valeat: ſed quamprimum id conſequutus eſt, illi ipſi pro quibus *Cardinalatum* impetrarunt (ô prodigioſa & inaudita Metamorphoſis!) ejus ſubditi eſſe deſinunt, fiuntque *homines ligei* Curiæ Romanæ cujus omnes uſurpationes & ſtatum temporalem contra Regem benefactorem, & patriæ ſuæ Jura mordicus tuentur, totumque Clerum ad has factiones ſuas conantur pertrahere, ut obſervatum eſt Pariſiis in Comitiis trium Ordinum Franciæ Anno 1615. ſub infirma Regis ætate. Equidem Cardinales non modò omnibus primis officiariis Regni, & Coronæ, verumetiam regii ſanguinis Principibus ſeſe ante ponere ſolent,

eamque ob causam anno 1610. quo *Ludovicus* XIII. Rhemis inauguratus est, Cardinalis *Joyeusa* anteire & sedere voluit supra primum regii sanguinis Principem: Attamen certum est, illos in Politicis Conventibus Regni nullum aliud Jus, aut sedis vel loci prærogativam habere, quàm quod eis à Rege aut Principe, velut civibus, & membris Reipublicæ ultro & gratuitò indulgetur, *quamvis sua regnent in aula.* Quæ à me nullo odio, sed ad regendos fines utriusque Potestatis commemorantur, Deus mihi testis est. Cæterum Curiæ Romanæ mos est sub fortibus atque strenuis Principibus, validoque regimine simulare & dissimulare: deinde verò in ætate infirma & pupillari Principum, quando Regimen propter diversa partium studia titubat, factiones conserere ad magnos progressus faciendos, eamque ob rem homines Religione injecta atque interminationibus Censurarum territare, sicut monimentis Historiarum, ipsoque usu quotidiano compertum habemus. Porrò ex hac Cardinalium institutione, & luxus & fastus mundanæ sapientiæ in Ecclesiam altissimè effusus est. Nam eo ipso quod Romæ æquantur Regibus, nullis quantumvis opibus immensis habentur impares aut incapaces, & hinc illæ omnium Ecclesiarum lacrymæ, & populationes illis ornandis atque saturandis. Quid præterea referam, Episcopos, quamquam sint divinæ institutionis, & legitimi Apostolorum successores ita præ his Curiæ Romanæ Principibus vilescere, præsertim Romæ, ut nihil pene fiant: quia, ut ait *Bartolomæus Carranza* Dominicanus Hispanus, sunt velut *Anteambulones*, & *viatores Cardinalium.* Cum ergo hæc absoluta Monarchia, *mutando quadrata rotundis, & rotunda quadratis*, ut ait *Joannes Major*, tantam hominum multitudinem, quasi vinculo strictissimo sibi devinciat, quid mirabile, innumeros homines partim ex fallaci judicio, partim rerum suarum privatarum faciendarum desiderio, *quia nemo aliter vivit Romæ*, istum *absolutum Dominatum Papæ* supra Jus Divinum & Naturale efferre, atque illos qui contra sentiunt, aut *de emendandæ Ecclesiæ necessitate* hiscere audent, velut *Hæreticos*, *Schismaticos*, & *Perduelles* incessere, atque omni ope & conatu Reges, & politicas Potestates in eos incendere? quod *expertus* loquor.

Septimò *Durandus Speculator*, lib. de modo habendi Concilii Generalis, prima parte, *Rubrica de Excessu Cardinalium*, *& Curialium contra Prælatos*, juxta editionem Lugdunensem Joannis Crispini anno 1531. Item *Gersonius* Tractatu de Auferibilitate, consideratione octava, scribunt, istam *absolutam Monarchiam* Græcis præbuisse occasionem desciscendi ab Ecclesia Romana: Proverbium, ait *Durandus*, est vulgare, *Qui totum vult*, *totum perdit*: Ecclesia Romana sibi vendicat Universa, 93. dist. can. Diaconi sunt: Unde timendum est ne Universa perdat. Nam sicut Salomon ait Proverbior. 30. *Qui multum emungit*, *sanguinem elicit.* 4. dist. can. Denique: Sicut habetur exemplum

plum de *Ecclesia Græcorum*, quæ ex hoc *ab Ecclesiæ Romanæ obedientia dicitur recessisse*. Equidem iste Potentatus & corruptissimi mores Ecclesiasticorum sunt in causa, horresco referens, ut permulti *tacitè* Christianam religionem *abjurent*, omniaque hodie plena sint *Deistarum*, ut vocant: & his annis quidam *Cæsar Vaninus Neapolitanus*, cum decem aut undecim aliis sodalibus sese in Gallias, Germaniam, Angliam, & Hispanias contulerunt, ut istam impietatem disseminarent, tumque demum ille meritas suæ impietati pœnas debitas exsolvit, quia anno 1618. Arresto Curiæ Parlamenti Tholosani vivus Tholosæ est ustulatus, neque unquam errorem suum abjurare voluit. Omitto eundem dominatum causam præbuisse *Luthero* Schismatis faciendi, ac permultos eandem ob causam hodie in suo Schismate obdurescere: palamque circumferri maximam partem hominum *colorem* & *prætextum Religionis* hodiè obtendere ut expeditius res suas faciant, & dominentur in mundo. *Oportet quidem hæreses esse.* 1. Cor. 11. *Sed væ per quem scandalum venit*, Matthæi 18. ubi de scandalo dato, & activo, deque illis sermo est qui oves errantes simplicitate, & mansuetudine Christiana per *actus hierarchicos* ad ovile Christi non reducunt, sed *nimium austerè imperando fugant ab Ecclesia*, Ezechiel. 34. Et quoniam in mentionem Schismatis incidimus, obiter notandum, nemini unquam ulla de causa licitum *ab Ecclesiæ sinu & unitate* discedere: atque *nævos Ecclesiæ* tanquam *optimæ parentis* animo filiali à nobis patienter ferri oportere: ita ut charitate, pace, & unione servata, *emendationem* desiderare, & quantum in nobis situm est procurare, ac potius mortem millies oppetere, quam *Matrem optimam* deserere, aut inhonestius tractare debeamus. Enimvero more Prophetarum Veteris Testamenti humillimè à Deo petere debemus, ut *rorem* suum *de cælo* effundat, nubes *gratiam emendationis* pluant, & terra *sanctissimam disciplinam* germinet ac fructicetur. Hoc si Lutherus, Calvinus, & alii fecissent, Curiamque Romanam ab Ecclesia secrevissent, jam, ut opinor, Ecclesiam integram, & melius emendatam, non fœdis Schismatibus, atque erroribus laceram, & cruentatam haberemus, & lugeremus. Certe ut aliàs observavimus, *Schisma multo* est *periculosius* ipsa *hæresi*, Axiomate XIV. Octavo *absoluta temporalis Monarchia Gregorii* VII. quam *Eugubinus*, *Steuchus*, *Baronius*, *Bazzius*, *Carrerius*, *Bellarminus*, *Becanus*, *Suarez*, aliique innumeri tam animose propugnant, funditus adversatur *Charitati*, *Paci*, & *unitati Ecclesiæ*, quæ tamen *finis* est *omnium Præceptorum*, *Legum*, & *actionum humanarum*, Axiomate IX. Cunctos enim Reges atque Principes Christianos tacite in ipsam Ecclesiam, atque odium Ecclesiasticorum, necnon ad Schisma faciendum invitat: utque *Joannes de Parisiis* docet initio libri *de potestate Regia & Papali*, obstaculo esse potest infidelibus quominus Christianam religionem amplectantur. Certè Rex Angliæ quem *Joannem sine terra* vocant, cum

Stephanum Langetunum Cardinalem, natione Anglum recipere nollet in Cantuarienſem Epiſcopum, quia contra Canones Romæ *Innocentio* III. imperante electus eſſet, tandem Cenſuris verberatus eſt ab *Innocentio* III. qui præterea *Philippum Auguſtum* Franciæ regem contra regem Angliæ excivit: hicque ut iſtam tempeſtatem à ſuo capite propulſaret, *Rex Apoſtolicus* evaſit, quia regnum Angliæ in feudum *Innocentio*, & Eccleſiæ Romanæ oppigneravit: cumque nihilominus gravibus cladibus poſtea affectus fuiſſet, pœnitentia ductus quod Regnum ſuum ita mancipaſſet Curiæ Romanæ, Chriſtianam religionem ejurare voluit, ut *Matthæus Pariſienſis* docet in hiſtoria Anglicana. Heu! quotuſquiſque Principum audiens, *Papam Jura ſimul terreni & cæleſtis habere imperii, atque dominium gladii materialis, omneſque Reges, & populos Chriſtianos ad illius nutum debere arma expedire & recondere, diſt. 22. can. omnes, & Extravagante: unam ſanctam, de majoritate & obedientia*, & ſigillatim docetur à *Bellarmino* cap. 19. adverſus *Barclaium*, quotuſquiſque, *inquam*, velit ea lege in Eccleſiæ caſtris militare, ut ex Domino fiat Vaſallus & Miniſter Papæ: & niſi eidem ad nutum obtemperet, de regio Throno detrudatur, aut ſi detrudi nequeat, furori ſicariorum & percuſſorum mactandus exponatur? Hoc enim ex eodem libro *Bellarmini* contra *Barclaium* clariſſimè inducitur; item ex *Becano* quæſtione 3. Controverſiæ Anglicanæ, *Suare* contra Regem Angliæ lib. 6. defenſionis cap. 4. numero 18. Directorio Inquiſitorum 3. parte, quæſtione 31. Commentario 80, de quibus actum eſt Axiomate XXXVI. & XXXIX. Deus immortalis! quotuſquiſque Gallorum, niſi omnem humanitatis ſenſum cum facultate loquendi forſan exuerit, ſibi à voce & lacrymis temperarit poſt duos Galliæ Reges hac exſecranda doctrina interemptos, *falſo prætextu*, quod fautores eſſent Hæreticorum? Item poſt plurimas Aſſaſſinorum petitiones adverſus innocentiſſimam ætatem *Ludovici* XIII. eò quod Edicta & fœdera parentis ſui ſervaret? poſt incredibiles factiones, & motus ad regiam auctoritatem etiam in Conventu trium Ordinum regni Pariſiis opprimendam? Procul dubio, ſi ſolus *Papa* eſt *abſolutus infallibilis Monarcha Eccleſiæ*, & ſupra *Generale Concilium*, ut Curiales vociferantur, & forte fortuna contingat, Romanum Pontificem Cenſuras in aliquem Regem diſtringere, ut olim Bonifacius VIII. in Philippum Pulchrum, Julius II. in Ludovicum XII. Sixtus V. in Henricum III. & IV. Certè Principes Cenſuris appetiti nulla ratione aut via ſeſe ab ejuſmodi Cenſuris per appellationem, aut oppoſitionem tueri, aut expedire poterunt: ſed eis continuò mandatis Papæ erit parendum, vel Schiſma faciendum: propterea quod *viam Appellationis* ad *Concilium Generale*, Bulla Cœnæ Domini penitus intercludit: *Interceſſionis* autem *remedium* planè ſupervacaneum aut impoſſibile foret inter tantas novorum Ordinum miſſiones, & factiones, quæ univerſum populum à ſuis Parœciis

rœciis atque ordinariis Paſtoribus abducunt, & abſolutam Papæ potentiam cui ſoli obtemperant per exſequutionem Bullæ Cœnæ Domini exemplo Jeſuitarum certatim ſtabiliunt: hocque ut proclivius abſque ullo impedimento conſequantur, ſcholæ Sorbonicæ famam & exiſtimationem magno conatu falſis rumoribus contaminant & lacerant: adeò hominibus *quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti*, quærentibus hodie exoſa eſt Veritas! Cæterum ſublato naturali *Appellationis* aut *Oppoſitionis* remedio, ac munimento Reges, & Principes Chriſtianos Schiſma potius facturos quam *abſolutum* Curiæ Romanæ *imperium* laturos, nemo rerum humanarum adeò expers eſt, quis non apprime videat, atque ex *Henrici* VIII. regis Angliæ Schiſmate evidenter colligat, doctrinam de *abſoluta* Papæ *Monarchia* Euangelii *ſale*, hoc eſt, *moderatione* & *manſuetudine Legis gratiæ* & *Poteſtatis miniſterialis ſpiritualis* Eccleſiæ condiri ac temperari oportere. Annon jam multo magis ex uſu Chriſtianæ religionis foret, poſt tot, tantaſque lethales plagas Chriſtianæ religioni inflictas, poſt Orientalis Eccleſiæ, Germanicæ, Sueticæ, Danicæ, Anglicanæ, Scoticæ, Polonicæ, Hungaricæ, Bohemicæ, Tranſſylvanicæ, atque aliarum provinciarum ab Romana Eccleſia *deceſſionem*, & mundum ad *indifferentiam* quandam *Religionum* præcipitatum, iſtam *immanem Tyrannidem abſoluti*, & *penè* temporalis *Regiminis* mitigare, & immutare, quam ſic mentes hominum exacerbare, irritare, & ab Eccleſiæ Catholicæ & Religionis Chriſtianæ ſinu longius fugare, irritumque & inanem *Chriſti triumphum* de Diabolo & Inferno prorſus efficere? Dicant amabo, num multo magis fidei Catholicæ expediret hodierna die Papam libere & ſuaviter juxta *regulas Ariſtocratici Regiminis*, & *Poteſtatis miniſterialis ſpiritualis* octo primis generalibus Conciliis conſecratas omnibus Chriſtianis Nationibus præſidere: atque etiam cæteras gentes infideles, moderatione ſuaviſſimi Regiminis ad nomen dandum Euangelio invitare & allicere, quàm uni aut alteri duntaxat provinciæ Europæ abſolute dominari? Cum certiſſimum ſit, Dominum voluiſſe *Chriſtianam Religionem doceri* & *ſuaderi*, non *abſolutè imperari* & *cogi*? Saltem libellus Plutarchi *de* Utilitate capienda *ex Inimicis*, nos de ſemita in viam rectam debet reducere. O bono Jeſu! qui pretioſo ſanguine tuo non-corruptibilibus auro & argento humanum genus redemiſti, te etiam atque etiam per viſcera miſericordiæ tuæ obſecro, ut nobis in ſole meridiano turpiter cæcutientibus ac *Dominatum temporalem* loco *ſpiritualis* MINISTERII affectantibus, ſic gratiæ tuæ collyrio mentis oculos linire, & ſanare digneris, ut tandem aliquando reſipiſcamus, & quæ ſunt tuæ Voluntatis ac Inſtituti verè, & ex animo recognoſcamus, amplectamur, exequamur, dignoſque fructus pœnitentiæ faciamus.

Cæterum mea oratione ad Chriſtianæ Reipublicæ Principes converſa, hanc

Apologiam pro *Gerſonii* & ſcholæ Pariſienſis doctrina, & placitis, ejuſdem *Gerſonii* eximia clauſula finire operæ pretium eſt ſecunda parte libri *de Examinatione doctrinarum*, quinta Conſideratione: *Providendum eſt ſedulò per Rectores univerſitatis*, ait, *ne ſtudium Theologicæ veritatis depereat, ſed alicubi reſideat velut in fonte, alioquin timendum eſt, ne ſuperſeminentur Hæreſium Zizania, propter varietatem tot capitum, tot inſuper paſſionum diverſarum unde multiplicatio ſequitur judiciorum: ubi ſi deſit recurſus ad Theologos non depravatos & in unum collectos, quis oro providebit? Si dixerit aliquis, fiet recurſus ad ſedem & Curiam ſummi Pontificis, non negabimus hoc, ſi Theologia illic habuerit duos doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non quæſtuoſos, aut invidos; non Poteſtati ſeculari, non ſpirituali pluſquam Veritati faventes: alioquin tolerabilius eſſet nullos habere, quam tales pati.* Hæc ille vir optimus & ſanctiſſimus ſalutaria Concilia Chriſtianis Principibus parabat. Certè niſi Reſpublica Veneta doctos habuiſſet Theologos, permagnum erat detrimentum acceptura *Interdicto Pauli* V. Anno 1605. Itaque tam ſapientis Reipublicæ exemplo cæteri Principes Chriſtiani ſapere diſcant. Quod autem dolet *Gerſonio*, in Curia Romana *vix duos reperiri poſſe doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non quæſtuoſos, aut invidos, non ſeculari, non ſpirituali Poteſtati Papæ pluſquam Veritati faventes*: certiſſimum eſt, imo verò ab illo tempore Theologia tota penè abſorpta & captiva in ſcholas Jeſuitarum, ſic conjecta eſt, ut prorſus impoſſibile ſit, inde unum aliquem *radium Veritatis* & *auxilium* haurire, præſertim in ſigendis, & conſtituendis finibus utriuſque Poteſtatis, & debellandis Curiæ Romanæ uſurpationibus, & corruptelis: quod maxime neceſſarium eſt ad Regimen Chriſtianæ Reipublicæ optime conſtituendum, utque *Pax æterna* inter *Sacerdotium* & *Regnum* aſſeratur, atque horrida bella, quæ poſtremis Mundi temporibus ex confuſione utriuſque Poteſtatis bacchari debent, ſaltem retardentur, ſi modò in totum propter hominum iniquitatem & malitiam, nequeunt impediri.

Quod ſi hæc Axiomata ex ſcholæ Pariſienſis & *Joannis Gerſonii* firmamentis deprompta, *ad veritatem*, non *ad ſpeciem* & ad famam popularem; *dogmaticè*, non *Rhetoricè*; *Analyticè*, non *Sophiſticè*; ſigillatim, non *paſſim* & *collectim* aggeſtis cavillationum & convitiorum plauſtris impugnentur ab Adverſariis, valde quidem ſudabunt, hoc certò ſcimus: quoniam illos antea *Legem Divinam* & *Naturalem* cum univerſalis Eccleſiæ praxi labefactare oportet, quam in hanc indiſſolubilem proloquiorum catenam invadere & perrumpere queant. Ut autem eo ſe referat, unde initio progreſſa eſt noſtra oratio, ego hîc iterato Proteſtationem editam à me ſub finem Præfationis hujus Apologiæ impendo atque inculco.

Domine,

Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa, Pal. 119.

Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſivi.

Redime me, Domine, à calumniis hominum ut cuſtodiam mandata tua, Pſal. 118.

FINIS.

Analyſis

Analyſis Tractatus GERSONII de Vita ſpirituali Animæ.

ARGUMENTUM.

1. CAuſa hujus ſcribendæ Analyſeos, *& de ejuſdem affinitate cum* Apologia *mea pro Eccleſiæ & Concilii auctoritate.*
2. *Diviſio totius Operis, & de lectionibus, quas olim Doctores Pariſienſes ante inventam Typographiam facere ſolebant ad diem S. Euphemiæ.*
3. *Omnem veritatem, bonitatem, pulchritudinem, potentiam, ſcientiam, juſtitiam, & obligationem creatam, pendere à conformitate cum prima veritate, bonitate, pulchritudine, potentia, ſcientia, juſtitia, & obligatione increata.*
4. *Lectione ſecunda queritur* Gerſonius, *ex ſuaviſſimo jugo Chriſti & Lege gratiæ, ac perfectæ libertatis, Jugum duriſſimæ ſervitutis effici.*
5. *Quænam Lex* purè *&* appropriatè *ſit Divina, & quæ Leges cenſendæ ſint Divinæ, & quæ Humanæ.*
6. *Quo ſenſu omnia principia Legis Naturalis dici poſſint ad Legem Euangelicam pertinere, atque Juris eſſe Divini poſitivi.*
7. *Quidnam ſit Lex pertinens aut non pertinens ad Legem Divinam & Naturalem.*
8. *Solum Deum poſſe obligare* ad mortale peccatum: *& de Peccati definitione ex* Auguſtino.
9. *De Scripturæ teſtimoniis quibus Poteſtas Superiorum in ſubditos innititur, & quantam vim habeant, & obligent* in foro Conſcientiæ *&* Politico.
10. *De juſta Paſtorum authoritate in ferendis Legibus, ut obligent ad Mortale.*
11. *Papam, Epiſcopos, Reges, & Principes Chriſtianos, quanquam ſint* Juris Dini *&* Naturalis præcones *atque* interpretes; *nihilominus* veros *eſſe* Legiſlatores: *& revera Leges & Canones condere in Synodis, tametſi Jus Divinum & Naturale explicent.*
12. Gerſonius *calumnias contra Doctrinam ſuam paratas præſagivit, & propulſavit.*
13. *Qua ratione Leges humanæ dici poſſint* Indifferentes, *quando* neceſſariam *habent* connexionem *cum* Lege Divina.
14. *Dilutio argumentorum contrariorum, & primum* Almaini *exiſtimantis,* Papam *quatuor in Caſibus poſſe obligare in* Conſcientia.
15. *Argumenta* Dominici à Soto *Dominicani adverſus principia* Gerſonii *confutantur.*
16. *Doctrina* Gerſonii *ab argumentis* Bellarmini *&* Franciſci Suaris *vindicatur.*
17. *Quænam inter Theologos habenda ſit* communis *Opinio, quæ* probabilis, *quæ* temeraria *&* ſcandaloſa.

APO-

APOLOGIA
PRO
JOANNE GERSONIO.

ANALYSIS TRACTATUS
DE
VITA SPIRITUALI ANIMÆ.

I. Uando in ſtudium defenſionis *Cancellarii Pariſienſis* contra illius obtrectatores incumbimus: etiam pretium eſt, videamus, quo Jure, quave Injuria nonnulli eum criminentur, *quaſi Eccleſiæ Prælatis & politicis Principibus*, quæ omnium eſt calumniarum maxima, *Juſtam Legum ferendarum Poteſtatem eriperet*. Hoc enim *Gerſonio* viro quidem Sanctiſſimo, & uni veritati indagandæ addictiſſimo vertunt opprobrio: & illum ejuſque ſcripta proclivius in invidiam rapiant, ſicque ab lectione *Operum Cancellarii* homines pios avertant. Verùm quàm hæc falſa ſint, ut pateat, conſtitui *Analyſin* aliquot capitum & corollariorum *Tractatus Gerſonii* de *Vita Spirituali Animæ*, quibus ſuæ ſententiæ fundamenta explicat, & *de Poteſtate Legum ferendarum* differit, enodare: atque ejuſdem principia & rationes cum firmamentis & reſponſionibus Adverſariorum ſincere & candide, ut Theologum decet, componere, quo Veritas eluceſcat; præſertim verò quòd hic Tractatus magnam habeat affinitatem cum mea *Apologia* in ea parte qua ego diſputo, Quouſque & quantum *Leges, Cenſuræ, Bullæ, Decretales*, atque alia *humana Inſtituta* obligent in Conſcientia, Axiomatibus III. IV. IX. & X. cum Obſervationibus: cujus rei cognitio his temporibus quo *de Regum & Principum Chriſtianorum abdicatione* tam periculosè differitur, eſt Theologis perneceſſaria.

II. Porrò hic eruditiſſimus *Tractatus* de *Vita Spirituali Animæ* diſtribuitur in ſex Lectiones, quod nomen *Lectionis* à Scholæ Pariſienſis more ortum habuit, quoniam olim Doctores Theologi die S. Euphemiæ ſolebant quoſdam Tractatus ſacræ Scripturæ explicandos ſuſcipere: eamque ob cauſam, & no-

men & Privilegia Doctoris *Regentis*, ut appellant, emerebam, *Baccalaurei* autem libros Magistri sententiarum publicè interpretabantur, quibus quadriennio explicatis *gradu Licentiarum* donabantur. Quæ consuetudo interpretandi sacræ Scripturæ Tractatus, ab eo tempore à Doctoribus nostris est intermissa, quo usus artis Typographicæ cœpit increbrescere: cujus beneficio libri Patrum atque Doctorum qui antè à paucis, idque magno cum sumptu & labore patebant, communes omnibus effecti sunt. Cæterùm *Gersonius* hoc *Opusculum* Cardinali *Alliaceno* præceptori suo propterea nuncupavit, quòd *Alliacenus* ejusmodi lectionibus *Gersonii* dum eas haberet, sedulo interfuisset; eumque rogat Cancellarius, ut meminerit, *aliam esse rationem eorum* quæ *inter docendum* dictantur *Scholasticis*, *& Tractatuum* qui *in secessu* operosè *atque* politè *lucubrantur*. Prima lectio constat Proœmio, & 12. Corollariis. In Præfatione hoc Thema toto Opere enodandum ex capite 17. Actorum proponit: *In Deo vivimus, movemur & sumus*; conformiterque ad hunc solemnem versum de *Quadruplici Vita animæ rationalis* velitatur: nimirum de *Vita naturali* quæ est *fundamentum gratiæ*, de *Vita actionis meritoriæ* & *confirmationis* stabilitæ *in gratia*. Et hinc captat occasionem disputandi de iis quibus homines *Vita gratiæ*, & *æterna felicitate* privantur: & continuò etiam demonstrandi, *Quando* & *quatenus* Leges *vim* habeant *obligandi* ad *mortale*; idque est, quod solùm hac Analysi tractandum institui cæteris omissis, quæ ad illam rem nihil faciunt.

III. Undecimo corollario primæ lectionis primum principium suæ sententiæ ita defigit: *Omnis*, inquit, *rectitudo moralis* resultat *ex conformitate & convenientia voluntatis humanæ & actuum ejusdem cum Lege & Voluntate Divina*, quemadmodum *Actus humani exteriores* non dicuntur *boni*, nisi *per conformitatem* ad *actus interiores elicitos*. Ex quo infert, *nihil esse verum, sanctum, justum, potens, pulchrum, honestum &c.* nisi quatenus *primæ Veritati, sanctitati, justitiæ, potentiæ, pulchritudini* & *honestati convenit*: hocque ipsum antiquos docuisse asserentes, *nihil* esse *verum*, nisi *à prima Veritate*. Quod argumentum fusè tractatur à Cardinali *Alliaceno* præceptore *Gersonii* Lectione prima lib. 1. sententiarum, ubi docet, *omnem Veritatem, bonitatem, pulchritudinem, potentiam, scientiam, justitiam*, & *obligationem creatam*, nasci *ex conformitate* quam habet *cum prima veritate, bonitate, pulchritudine, potentia, scientia*, & *obligatione increata*. Et hæc de prima lectione.

IV. Secunda constat Exordio, & septem Corollariis: in Exordio differit, *qualis* sit *illa Lex*, cujus transgressio *Vitam spiritualem* adimit (quam *Baptismus Spiritus Sancti* confert) atque *Mortis æternæ reum* facit: hancque *Disputationem omnium* esse *utilissimam* docet: eamque ob rem Deum dixisse Judæis Deut. 4. *Hæc est enim Sapientia vestra & Intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc dicant, En populus sapiens & intelligens, gens sancta, nec*

est

eſt alia natio tam grandis &c. Itaque concludit *Gerſonius*, ex Ignorantia Legis Divinæ *multas* ſuboriri *turbationes* in *Politiis* tam *Eccleſiaſticis*, quam *temporalibus*, atque *in hominum Conſcientiis* ſcrupulos *haud contemnendos*, & *contemptus temerarios naſci.* Fit inſuper, quoniam ignoratur *Virtus Legis Divinæ*, ut frequenter irritum *mandatum Dei* reddatur *propter Traditiones hominum*: & de *levi jugo Chriſti*, & *Lege libertatis* jugum ferreum & onus grave *premens cervices Chriſtianorum* efficiatur: dum ſcilicet aliqui *ſuas* omnes *Leges*, *ſuas Inſtitutiones*, *ſuas Regulas & ſtatuta* volunt accipi, *ſicut præcepta Legis Dei* ad *æternæ mortis interitum*, ſi prætereantur. Has verò *Traditiones hominum*, quis cunctas dinumeret in *Canonibus Summorum Pontificum*, in *Conſtitutionibus Synodalibus Provinciarum* aut *Diœceſium*: in *Regulis religionum*, in *Univerſitatum*, *Collegiorum*, & *Eccleſiarum ſtatutis*: in *edictis Imperatorum* & *Principum*; in *plebiſcitis Communitatum*: Quarum plures ſunt excommunicatione latæ ſententiæ; aliæ ſub interminatione Divinæ indignationis, aliæ *ſub voto*, aliæ & ferè omnes *ſub Juramenti* aut *fidelitatis debito* ſtringunt, & obligant. Quòd ſi *Adam* vir talis & tantus *unicum diſciplinæ præceptum* habere in illo corruit: nos inter innumerabilia poſiti qualiter evademus? vix poteſt imbecillitas noſtra Divinas Leges ad numerum parvum gratuita ſua benignitate reductas implere: Viam igitur obſitam *tot ſpinis Conſtitutionum* ſemet involventium, & obumbrantium, quis inoffenſo pede tranſiliet? Scimus quid dixerit *Petrus* Apoſtolus Actuum. 15. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum*, *quod neque nos*, *neque Patres noſtri portare potuimus*? Hoc animadvertens & pia compaſſione deplorans egregius Doctor *Auguſtinus* ad inquiſitionem Januarii, *Ipſam*, inquit, *religionem noſtram quàm manifeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationum Sacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam*: *ſervilibus premunt oneribus*, *ut tolerabilior ſit conditio Judæorum*, *qui legalibus Sacramentis*, *non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.* Si tuo tempore ſic dolebas, ô Sapiens Auguſtine, quid noſtra tempeſtate dixiſſes, ubi pro varietate & motu capitum incredibilis eſt varietas, & diſſona multiplicitas onerum ejuſmodi ſervilium, & humanarum, prout loqueris præſumptionum: inter quas velut inter laqueos animarum & ligantia retia, vix quiſpiam ſecurus & indeprehenſus inceſſerit. Hæc eſt querela quam olim apud devotum *Bernardus* tulerunt quidam ex Monachis, & propter quam compeſcendam, ſicut modò nitimur agere, ſcripſit Volumen pulcerrimum de *Præcepto* & *diſpenſatione*: qui liber huic Operi noſtro pro fundamento ſupponatur. Denique quicquid dixero, accipiatur non *determinativè*, ſed *inquiſitivè* poſitum, præſertim ubi determinationem præcedentium Sanctorum & Doctorum expreſſam non invenero &c.

V. Quarto Corollario ſecundæ Lectionis contendit, *Legem aliquam* non

ideò *appropriatè* dici *Divinam*, quia ex *Juris Divini principiis* deducitur: alioqui, cum nulla sit Lex quæ non his *communibus Principiis Divinis* innitatur, *Deo jubenti obediendum est: auctorizatis à Deo parendum est*, *Superioribus suis* in eo quod Superiores sunt, *obediendum est*, &c. sequeretur *nullam* esse *Legem* purè *humanam*, sed *omnia Superiorum legitimorum præcepta spectare ad Legem Divinam*: quod est contra usum communem &c. Ut ergo Lex aliqua *appropriatè* dicatur *Divina*, ait: *oportere*, quod lata sit pro *consequutione vitæ æternæ*: quod ipsum pluribus explicat Corollario septimo, ostendens, *omnem Veritatem Divinam*, cujusmodi est *Tobiam habuisse canem*, & *S. Paulum* penulam, non pertinere ad *Legem Divinam*, quia hæc non lata sunt pro *consequutione vitæ æternæ*, *&c.*

VI. Corollario sexto monet, *non absurdè concedi posse*, *omnia Principia* Juris Naturalis esse de Lege Divina *propriè* dicta, licet diversa ratione. Causam hujus assertionis reddit, quia *Lex Mosaica* Exodi. 20. & Euangelica cap. 5. Matthæi, & Roman. 13. *omnia Principia Juris Naturalis* revelavit, atque *in Legem Divinam* inseruit *pro consecutione vitæ æternæ*: subnectit, *notionem principiorum Legis Naturalis* inditam esse hominibus *per immediatam Divinæ lucis irradiationem*, teste Augustino & aliis Doctoribus: Legendus *Hieronymus* quæstione octava ad Algasiam. Hinc *S. Bonaventura* ait, in mentis itinerario in Deum: *Nullum esse dictamen rectæ rationis solidum & obligatorium*, *nisi stabiliatur in prima Lege & Luce*; juxta ea quæ superius Corollario undecimo primæ Lectionis disputavit: Accedit & canon, *sana quippe ratione* dist. 9. §. *Cum ergo in Naturali Jure*, *nihil aliud præcipiatur*, *quàm quod Deus vult fieri*, *nihilque vetetur*, *quàm quod Deus prohibet fieri*, *&c.*

VII. Corollario septimo secundæ Lectionis explicat, *quidnam* sit *Lex pertinens* aut *impertinens* ad *Legem Divinam*: statuitque; *illam duntaxat pertinere*, *quæ licet non possit deduci à solis veritatibus Legis Divinæ*, *elicitur tamen ex iisdem*, *modò coassumantur quædam aliæ veritates probabiles*, *quæ piè & rationabiliter negari non possunt*: aitque, *certum esse* juxta regulam Philosophorum, *conclusionem semper sequi debiliorem partem præmissarum*, ita ut ex Majore *de fide* & *Lege Divina*, & Minore *de Lege* non *Divina*, sequatur Conclusio *deficiens à Lege Divina*. At *Legem* non pertinentem *ad Legem purè Divinam* vocat *quæ* nihilo magis *ex Lege Divina*, quàm *oppositum deduci potest*, &c. Lectio tertia nihil planè facit ad propositum nostrum, quare eam prætermittemus.

VIII. Lectio quarta constat Proœmio & quatuordecim Corollariis: in Proœmio concludit; *unum & solum Deum* posse dare *Præcepta affirmativa* aut *negativa* sub *pœna mortis æternæ*, quam *solus potest infligere*. Ex quo efficit, *nullum* posse *in reatum damnationis æternæ incurrere*, aut *gratiam amittere*, nisi *transgrediatur Legem Divinam præceptivam*, & eam ob causam S. Augustinum

guſtinum cap. 22. contra Fauſtum ſic definire Peccatum actuale commiſſionis: *Peccatum eſt dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam.* Quod fundamentum Cancellarii tam certum, notum & validum eſt, ut nulla ratione convelli poſſit ab Adverſariis Si enim, auctore Auguſtino, peccatum eſt duntaxat contra legem Dei: inſurgit neceſſariò, *Leges humanas* quæ *nullam* planè habent *neceſſariam connexionem* cum *Lege Divina* & *Naturali*, juxta principia ſuperius poſita, *nullo modo poſſe obligare ad peccatum mortale*, ſed *duntaxat pœnam aliquam Eccleſiaſticam*, aut *Politicam irrogare*; quod ſatis eſt ad homines cogendos in ordinem. Quibus benè perceptis liquet, *quatenus* & *quouſque Leges Civiles* & *Eccleſiaſticæ* obligent in *Conſcientia*, quod ampliùs ex dicendis aperietur infra.

IX. Corollario decimo docet omnes Propoſitiones univerſales Sacræ Scripturæ, quibus fundatur *Poteſtas omnium Superiorum, Præpoſitorum,* & *Legiſlatorum*, tam *Eccleſiaſticorum*, quàm *Politicorum:* cujuſmodi hæc ſunt; *Omnis poteſtas eſt à Deo, qui poteſtate reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit* Rom. 13. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, &c. Lucæ 10. *Per me Reges regnant, & Legum conditores Juſta decernunt* Proverb. 8. & ſimilia; non eam dare Poteſtatem Legiſlatoribus & Præpoſitis, ut *quæcumque eis ſtatuere libuerit*, obligent ad mortale, *niſi benè utantur ſua poteſtate* conformiter *ad Voluntatem* & *Legem divinam*, quæ eſt *prima Lex obligandi*; ut prima lectione dictum eſt. Quare concludit, *Omnia teſtimonia* ſcripturæ, Patrum, & Doctorum, atque Pontificum, quibus præcipitur *obediendum eſſe* ſuis Præpoſitis, *ad hanc eſſe normam examinanda & intelligenda:* putà *non obligare in foro Conſcientiæ*, niſi juſtam & neceſſariam habeant affinitatem cum lege divina & naturali; tenendumque pro certiſſima Regula, *tantundem* de Legum humanarum robore, & vi obligatoria poſſe dubitari, *quantùm* & de poteſtate Legiſlatoris, ita ut ſi *Legiſlator* aut *Præpoſitus* non ſit *legitimè* electus aut aſſumptus, & *ſua abutatur poteſtate*, ejuſdem pariter *Leges* non obligent *in Conſcientia*. Addit quanquam aliqua *Lex* & *Traditio*, vel *Regula humana* aut *determinatio hominis*, ut præciſe talis, non obliget ſubditos ad credendum, & capiendum ejuſmodi regulam & determinationem *tanquam Veritatem fidei*, aut *Legem divinam:* Nihilominus vim poſſe habere *ad obligandum* ſub *pœna politica*, quatenus *exterius* recipiatur, & non impugnetur. Et hinc patet, inquit, via ad inveſtigandum *particulariter*, quid operentur Leges & determinationes Summorum Pontificum: quid etiam definitiones Articulorum Pariſiis vel alibi factæ. Poterit ſiquidem fieri, ut *abſque peccato mortali*, imò *cum merito magno* ſit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui diſſentiat *corde* ab humanis determinationibus, aut Traditionibus: qui tamen obligabitur *propter evitationem ſcandali*, vel aliter non repugnare exterius: nam poteſt *aliquarum veritatum publicatio* prohiberi, & *aliquarum falſitatum*

dogmatizatio permitti. Volumus tamen ut notetur vigilanter modus noſter loquendi de Traditionibus hominum ut talium præcisè ſunt: qui fallere in illis & falli poſſunt: quoniam *determinationes Eccleſiæ Univerſalis* in eis quæ *fidei* ſunt, ab hoc numero ſecluduntur, in quibus nec fallere poteſt, nec falli: fieri quoque poteſt, ut determinationes aut Leges humanæ *participent* cum divinis, & hac ratione eas eſſe pro divinis ſuſcipiendas nemo neſcit: Sequitur deinceps, quòd ſicut ad *fidem*; ita ad *Legem divinam præceptivam* non poſſet aliquis Prælatus quicquam adjicere quod non eſſet prius de *fide* vel *lege divina*. Ratio eſt, quoniam declaratio Prælati non efficit rem eſſe *de fide*, ſed eam *naturâ ſuâ* ſic eſſe & habere demonſtrat. Porrò valdè notabile eſt quod ait, *quarundam veritatum publicationem prohiberi, & quarundam falſitatum dogmatizationem permitti poſſe*; ut intelligamus hîc oportere diſtingui inter veritatem & veritatem: quoniam *veritas fidei Catholicæ* nunquam poteſt prohiberi, neque aliqua Propoſitio illi contraria permitti, & ſi permittatur, *ſatius eſt* ſcandalum *evenire*, quàm *veritatem deſeri* cap. qui ſcandalizaverit. de regulis juris, in Decretalibus.

Lectione quinta oſtendit tot modis *Legem divinam* ſumi poſſe, quot modis *Voluntas divina* capitur: huncque verſum laudat, *Præcipit & prohibet, permittit, conſulit, implet*: de quibus plura non dico.

X. In ſextam Lectionem hoc duntaxat notandum habeo, quòd verſus finem ejuſdem Lectionis occurrit objectionibus, quas in ſe excitatum iri proſpiciebat; quaſi hoc *Opere* auctoritatem *Superiorum* erga ſubditos enervaret, atque feneſtram patentem ad Inobedientiam aperiret. Reſpondet autem, *Paſtores* meminiſſe debere, ſe *conſtitutos*, non *ut dominentur in clero*, ſed *ut forma & exemplum facti gregis præſint*: Atque *Ezechielem* illos acriter reprehendere, qui *cum auſteritate & potentia* imperant, *Chriſtum* verò prohibere *ne imponant onera gravia atque importabilia humeris ſubditorum*: & Paſtoribus præcipi, ſi audiri velint, & *legi divinæ* obtemperent, & eidem *nihil addant* aut *diminuant*: eamque ob cauſam illos in primis teneri *Deum audire in Lege ſua*, & id *quod audierint* tanquam præcones atque interpretes Voluntatis divinæ *denunciare* & *explicare aliis* qui *minus verſati* ſunt *in Lege divina*; Idque non *ſua*, ſed *Dei auctoritate* facere, qui eos ad eum finem conſtituit. Hoc autem ſi ità fecerint, certum eſſe illos qui *eorum monita* ſpreverint, *Deum ipſum ſpreturos*, ſeque *æternæ morti mancipaturos*. Porrò in cæteris quæ lege Dei nequaquam continentur, aut confirmantur, quæque *magis* ad hujus vitæ decorum, & civilitatem, *quàm* ad vitam æternam *conducunt*, *Gerſonius* perhibet, Prælatos poſſe quidem *quæcumque eis viſum fuerit* ſtatuere: Ità tamen ut illa *ſtatuta* habeantur *quaſi Monita*, *Conſilia*, & *cumulus* aut *complementum muneris* atque *officii Chriſtiani*: Quæ quidem vim obligatoriam non habere ad mortale.

mortale. Cæterum maxime paralogizant, inquit Cancellarius, qui hoc modo argumentantur: *Omnis poteſtas eſt à Deo, qui Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*; ergo *quicquid jubemus & præcipimus in terris, vice Dei præcipimus: continuoque approbatur in cælis, ac proinde omnia præcepta noſtra ſunt divina, & paris auctoritatis cum Euangelio.* Nam hoc etiam modo Princeps paganus inferret, ſe habere authoritatem obligandi ad mortale: atque omnis Doctor & Licentiatus in Theologia & Decretis, contenderet ſe non tantum *doctrinaliter*, ſed & *auctoritativè* poteſtatem habere interpretandi Scripturas. Pari quoque ratione omnes libri approbati ab Eccleſia eſſent Articuli fidei, ſicut Sacra Biblia.

XI. Fatemur (ait Cancellarius) datam Prælatis & Principibus politicis *Poteſtatem à Deo:* ſed refert ſcire *Qualem:* hoc explicat ſimilitudine, quæ tamen ut omnes aliæ ſimilitudines plurimum habet diſſimilitudinis: datur (inquit) à Papa Doctoribus & Licentiatis in Theologia & Decretis *facultas explicandi & declarandi* Sacras Scripturas & Canones: non tamen, ut expoſitio illa ſit *auctoritas Apoſtolica*, ſed *declaratio* quædam *Magiſtralis & Scholaſtica*, quæ tantum obtinet roboris, quantum Sacræ Scripturæ, & intentioni Eccleſiæ concordat. Item *Libros Sanctorum* approbat Eccleſia, non tamen ut *robur & parem* habeant *auctoritatem* cum Eccleſia, ſed ut omnes cognoſcant, *ejuſmodi* libros *in multis* eſſe *utiles* ad *ædificationem Eccleſiæ*. Nam ſecus eſt in propoſito, Prælati & Principes habent auctoritatem *à Deo* regendi populum, ita ut præter Legem divinam & naturalem, quam ſtrictè ſervare tenentur, poſſint etiam Leges & Canones figere, qui obligent quidem *in Conſcientia* cum *reatu pœnæ æternæ*, ſi modo ejuſmodi Leges & Canones *neceſſariam* habeant *connexionem* cum *Lege divina præceptiva*. Sic enim plena, ſufficiens, & adæquata eſt obligatio ad mortale. Contra autem ſi leges humanæ nulla neceſſitudine cum Lege divina connectantur, *obligant* quidem, ſed tantum *civiliter* atque *temporaliter*, non in *Conſcientia*, niſi forte ex pervicacia inobedientiæ aliquis *ſcandalum* crearet. Ex quo efficit Gerſonius, in rebus quibus Prælati Eccleſiæ, & Principes Chriſtiani ſunt ſolum *velut præcones*, *Internuncii*, atque *Interpretes Legis divinæ & naturalis*, multo majorem deberi obedientiam, quam in illis quæ *purè & ſimpliciter* relicta ſunt *eorum arbitrio*. Exemplum manifeſtum eſt in præconibus qui legem Regis populo denunciant: At *Prælatos* eſſe *Dei præcones*, docet Iſaiæ cap. 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam*, & Ezechiel. 33. verſu 7. Porrò cum ex ſimilitudine *argumentum* duntaxat *Analogicum & ſimilitudinarium* poſſit efformari; valde iniqui ſunt contra Gerſonium, qui ex comparatione Præconis & Licentiatorum calumnioſè inferunt, illum docere & Prælatos Eccleſiæ, & Principes politicos non præditos eſſe poteſtate Legum ferendarum, quæ vim habeant obligandi. Hoc enim non dicit,

neque

neque illi unquam in mentem venit : ſed duntaxat his comparationibus demonſtrat , *Leges Principum* & *Prælatorum* eatenus obligare *in foro Conſcientiæ*, quatenus *Divinæ Legi conſentiunt*, juxta principia ſuperiùs poſita. Quantum attinet ad alias Leges humanas quæ nullam habent cum Lege Divina affinitatem, fatetur quidem obligare, ſed duntaxat *civiliter* & *temporaliter*, non *in foro Conſcientiæ*. Quæ Doctrina Gerſoni & clariſſima & certiſſima eſt : confirmaturque *Vincentii Lirinenſis* auctoritate : in ſuo Commonitorio, ubi paſſim inculcat ; *Eccleſiam non docere* nova, *ſed* novè : *hoc eſt*, omnia *conformiter ad Legem Divinam* explicare, declarare, & conſtituere, *Quid* inquit, *unquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt Eccleſia, niſi quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentius crederetur ? quod anteà lentius prædicabatur, hoc idem poſteà inſtantius prædicaretur? quod anteà ſecurius colebatur, hoc idem poſteà ſolicitius excoleretur ? hoc*, inquam, *ſemper, neque quicquam prætereà Hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum decretis Catholica perfecit Eccleſia ; niſi quod prius à Majoribus ſola Traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per Scripturæ Chirographum conſignaret, magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei ſenſum, novæ appellationis proprietate ſignando.* Quo ex teſtimonio Lirinenſis diſcimus in omnibus Conciliis Oecumenicis, quibus decreta fidei contra Arrium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychem, & alios Hæreſiarchas condita ſunt, Patres Eccleſiæ fuiſſe Præcones, & interpretes Juris Divini, atque illa ipſa *clarè* & *explicatè* credenda propoſuiſſe, quæ anteà *implicitè*, *involutè*, atque *obſcure* credebantur à Chriſtianis. Verùm quis eò dementiæ venerit, ut dicere audeat, Patres ſanctiſſimos, quia in ejuſmodi Conciliis Legem Divinam *tanquam Præcones & interpretes Divinæ voluntatis* evolverunt, non *Legem novam* condidiſſe, aut *Poteſtatem* eam condendi habuiſſe, ſed duntaxat *Legem Divinam* tanquam *Dei Præcones* publicaſſe : nemo certè niſi Hæreticus hoc aſſeruerit. Idem prorſus judicium de Regibus & Prælatis Eccleſiæ, qui quidem omnes veri atque legitimi ſunt Legiſlatores, veraſque Leges condunt: quarum aliæ *in foro Conſcientiæ* ; aliæ autem *in foro* tantùm *civili* vim obligandi ſortiuntur.

XII. Profectò bonus Gerſonius bene hanc ſuam ſalutarem doctrinam criminatum iri præſagvit : quare pro extrema libri clauſula hæc ſcripſit : *At nobis crimini vertunt, quaſi improbis viam inobedientiæ dilatemus*, & nihil edoceamus, quod mirum videri non debet, inquit. Quid enim vel dici vel ſcribi vel fieri poteſt à calumniis alienum ? Scimus quòd *reprobis* omnia *etiam* cooperantur *in malum*, quod *omnibus abuntur*. An Solem & pluvias aliquis dicet inutiles, quia ex eorum operationibus quædam maleficæ & peſtiferæ plantæ pullulant, nulla habita ratione plantarum utilium, qua ſol & pluviæ procreant

creant & fovent? Concludit autem hac ſua doctrina, neque bonos à propoſito benè agendi abductum, neque etiam malos deteriores factum iri : quoniam hos tam laxa, quàm ſtricta præcepta in moribus nihil juvant. Quod ad alios qui Cancellarium nihil docere publicant, reſpondet, ſe *materiæ gravitate & profunditate* excuſari, & dicto cujuſdam Iſmenii apud Hieronymum conſolari : *Mihi* inquit, *cecini & Muſis : etſi nemo alius audierit* : quanquam de nonnullis aliter ſpero : hos alios quorum *oculos mentis & corporis* obvolvit *craſſa nubes deſideriorum & fantaſiarum carnalium*, quibus non *Schola*, ſed *dyſcola*, *vanitas*, non *veritas* placet : quos *curæ juges vitioſæque* confundunt : nunquam exſpecto ut aliquid *tenue*, aliquid *elevatum & reſolutum* accipiant : non ſi *ipſum etiam ſolem digito*, ut ajunt, prodiderimus. Neque tamen uſurpo mihi tale aliquid tradidiſſe, quod ab aliis dictum non ſit priùs : hoc ego potiùs in laudem mihi deputo quòd dicta Sanctorum & doctrinam, quæ communis eſt in ore & cordibus hominum meis verbis explicui, & veritatis lucidam ſententiam quaſi de quodam involucro fumoſo diſcordium verborum feci ſplendeſcere : dicam modeſtius, facere conatus ſum. Quod an perfecerim, illorum ſit judicium, qui perſpicaciores viſus habent : tui præcipuè, Inclyte Præceptor, cui ſicut præfatiunculæ initium, ità finem hujus operis dedicamus : Cardinalem *Alliacenum* alloquitur.

XIII. Cæterùm eo ipſo quod *Gerſonius* perhibet, Leges humanas non obligare in Conſcientia, niſi neceſſariam habeant cum Lege Divina ſocietatem : contra poſſe objici video, humanas Leges ut plurimum eſſe *de rebus indifferentibus*, & continuò non poſſe neceſſariam habere conjunctionem cum Lege Divina, quæ natura ſua eſt abſolutè immutabilis, non indifferens. Reſpondeo hîc agi de Jure Divino, ut *in rebus moralibus* mutationi *obnoxiis* verſatur ; atque Leges humanas & Eccleſiaſticas quæ neceſſariam habent affinitatem cum Lege Divina, poſſe duobus modis conſiderari ; primùm *formaliter*, *objectivè* & *quoad eſſentiam:* deinde *materialiter*, *ſubjectivè*, *quoad modum*, *exiſtentiam & circumſtantias:* atque priori modo Leges humanas propter affinitatem quam habent cum Lege Divina, eſſe quidem invariabiles, immutabiles, & ad unum determinatas : contra poſteriori mode eſſe indifferentes atque mutabiles. *Bellarminus* initio capitis undecimi libri de Laicis, notandum ait, *quòd ſicut res cæteræ quoad exiſtentiam pendent ab agente*, non *quoad eſſentiam* ; Eſſentiæ enim rerum ſunt æternæ, quia ſunt quædam participationes poſſibiles divinæ eſſentiæ : ità etiam Leges quoad exiſtentiam pendent à Legiſlatore. Non enim erit Lex niſi dictetur ab eo qui habet authoritatem : at quoad eſſentiam non pendet. Quod enim Lex obliget, eſt quid æternum & immutabile, & participatio quædam *Legis æternæ Dei*, quæ eſt *prima & ſumma Regula* : & hoc videtur dicere *Auguſtinus* libro vigeſimo ſecundo contra Fauſtum cap. vigeſimo ſeptimo, cum

ait: *Peccatum est dictum, vel factum; vel concupitum contra æternam Legem Dei.* Exemplo nobis sit *præceptum confitendi peccata* ad dignè sumendam *Eucharistiam:* quod quidem *formaliter* & *objectivè* est penitus immutabile: at *subjectivè*, quoad *modum* & *existentiam* est indifferens & mutabile juxta Ecclesiæ beneplacitum, cui relicta est à Christo dispensatio atque definitio ejusmodi præcepti: quocirca Ecclesia diem sanctum Paschæ ad dignè sumendam Eucharistiam præscripsit, & quotquot præceptum hoc Ecclesiæ non servant, *mortaliter* peccant, non quidem tam ratione præcepti Ecclesiæ, quàm propter connexionem necessariam, quam habet cum præcepto Divino de confitendis peccatis, & dignè sumenda Eucharistia. Hoc enim distertè docet *Gersonius* lectione quarta, Corollario primo & sexto. Hæc igitur sunt illius notissima & indubitata Principia ac firmamenta.

XIV. Jam transeamus ad rationes Doctorum qui *Gersonii* sententiam quasi minùs orthodoxam oppugnant: sciendumque inter illos quosdam esse qui doctrinam Cancellarii amplectuntur, *quantum ad Reges & Potestates politicas*: respuunt verò *quantum ad Ecclesiæ Prælatos*: quos inter numerandus *Almainus* de Potestate Ecclesiastica & Laica, quæstione 1. cap. 11. Item *Philippus Decius* in cap. non Concupiscentiam. de Constitutionibus, circa finem lectionis; *Joannes de Immola* cap. 2. de majoritate & obedientia, & in cap. cùm contingat, de Jurejurando: item *Ludovicus Romanus* in l. Isqui bonus. ff. de Verborum significatione; sicut à *Francisco Suare* referuntur lib. 4. de Legibus cap. 21. ubi narrat *Mencham* lib. 1. Illustrium Quæstionum cap. 19. numero 1. docere, *Sotum, Alphonsum Castrensem*, & alios non censere: Ità certum, *Leges civiles* obligare *in Conscientia*, sicut *Ecclesiasticas*. Almainus loco jam citato asserit; *Durandum* planè ejusdem esse sententiæ cum *Gersonio*: & ipsemet non multum à *Gersonii* placitis abludit: illius argumenta, si placet, expendamus. Illius argumenta, si placet, expendamus. Primò ait, *Summum Pontificem in foro publico & exteriori* ratione clavis & Potestatis *sibi creditæ* à Domino *posse aliquem ligare* sub *pœna peccati mortalis*. Nam (inquit) *in Sacramento Matrimonii* Papa *potest aliquem obligare ad mortale*; ut si verbi gratia prohibeat Sortem & Bertham consanguineos contrahere in quarto gradu: quare si contrahant, peccabunt *mortaliter*, & non erit Matrimonium. Ad hoc autem non obligantur *virtute præcepti Divini*, sed solum *ratione præcepti Pontificis*. En omnium argumentorum, quæ contra *Gersonium* militare videntur, fortissimum.

Secundum, potest *Summus Pontifex* ratione delicti priùs commissi in foro exteriori ab aliquo, eundem *in pœnam* atque *expiationem delicti* detrudere in Monasterium, eumque ita ligare, ut *perpetuam* servare *Castitatem* teneatur; ita ut si tentet contrahere matrimonium, peccet *mortaliter*, quod tamen *seclusso præcepto Papæ* non accideret. Tertiò,

Tertiò, antè præceptum. *de non participando* cum *excommunicato* nullus peccat communicando cum illo: ergo *in vim Præcepti Ecclesiæ* illi qui cum excommunicatis consuescunt, obligantur.

Quartò quanquam *Jure Divino* Christiani teneantur confiteri peccata, & suscipere Eucharistiam, tamen *non Jure Divino* tempus certum definitur, quo id fieri oporteat: sed determinatio ejus rei prudentiæ Summi Pontificis & Ecclesiæ relinquitur, adeò ut *mortaliter* peccent, qui Ecclesiæ præcepto non obtemperant.

Quintò, quoniam Cancellarius objicit, nullum Legislatorem posse Legem scisscere cum impositione pœnæ quam non potest in suo foro infligere, & de ea judicare: ut si Magistratus civilis aliquid sub pœna Excommunicationis præciperet: & Episcopus sub pœna capitali, puta suspendii, &c. Ad hæc Almainus facta distinctione respondet; hoc Argumentum verum esse, posito, quòd Legislator non habeat auctoritatem ab aliquo Superiori, qui possit ejusmodi pœnam irrogare in suo foro: certumque esse *Papam*, qui est *Vicarius Christi*, donatum à Christo *Potestate*, ut aliquid sub obligatione *ad pœnam æternam* præciperet. Et hæ sunt rationes Almaini: Quotquot autem post illum *Gersonii* sententiam impugnarunt, nihil novi proposuerunt, sed duntaxat *Almaini* rationes ampliarunt, inque suum usum immutarunt, quo sibi proprias efficerent, ut infrà clarescet. Verùm ad singula respondeamus.

Primùm fallit à suppositione principii, quasi *ex solo Papæ præcepto* nullam habente *affinitatem* cum Lege Divina & Naturali *obligatio* aliqua nasceretur ad *mortale*, quod pernegamus. Etsi autem in Lege Mosaica quæ unius tantum erat gentis & populi, Israëlitæ possent *in quarto gradu* absque ulla *religione* aut *scrupulo* contrahere: propterea quod illis minimè liceret cum aliis nationibus agitare connubia: tamen diversa est ratio *Legis Evangelicæ*, quæ omnium est gentium & populorum: ac proinde strictiorem debuit habere Legem contrahendi in gradibus consanguinitatis, ut hac de causa honesta amicitia & Charitas Christiana iniretur: & consequenter ipsum Euangelium ubique faciliùs propagaretur inter homines, atque etiam tutior & securior esset parentum inter sese conversatio. Nam cùm auctore *B. Thoma* in supplemento quæstione. 54. articulo. 3. secundarius finis Matrimonii sit *concupiscentiæ repressio* juxta hoc præceptum Dei, *Non concupisces* Exodi 20. & Levitici 18. *Omnis homo ad proximam Sanguinis sui non accedet.* Profectò Ecclesia quæ pollet Auctoritate interpretandi Jus Divinum & Naturale, meritò illud præceptum ad *quartum gradum cognationis* extendit, tum ut *honestas conjugiorum* servaretur, tum ut concupiscentia inter personas affines, quas ob consanguinitatem frequenter unà versari & habitare, ac de mutua pudicitia servanda solicitas esse oportebat, expeditius vitaretur: tum etiam, ut jam dixi, *Amicitia* & *Charitas* inter diversas

familias expeditius diffunderetur, & Religio Christiana magis propagaretur. Quæ omnia ex principiis *Gersonii* clarissimè ità confirmantur. Siquidem data hac lege purè divina: *Omnis homo non accedat ad proximam sanguinis sui, ejusque turpitudinem non revelet*, Levitici 18. & coassumpta hac alia propositione, quæ etiam est Juris purè Divini: *Finis omnium præceptorum* est *Pax, dilectio* & *charitas* Rom. 13. sequitur *Euangelium* quod *Lex* est *Spiritus, amoris* & *charitatis*, debuisse quantùm fieri potuit, charitatem & amicitiam inter homines nulla sibi affinitate conjunctos propagare: & consequenter per æquam & convenientem interpretationem conjugia inter consanguineos usque ad quartum gradum prohibere. Vide *B. Thomam* in supplemento Thomæ quæst. 55. Articulo 4. Neque verò cuiquam mirum videri debet, quod sæpè ob aliquam *necessitatem moralem* & *civilem* Ecclesia in tertio & quarto gradu dispensset, quia hæc etsi ad Jus Divinum pertineant, tamen non sunt Juris Divini immutabilis, quia versantur *in rebus moralibus* mutationi & dispensationi *obnoxiis* propter Bonum publicum.

Secundum frustratur quoque à petitione principii. Nam Lex Divina *quoad rem* & *substantiam* jubet hominum scelera puniri, *modum* verò, *rationem* & *declarationem extensionis pœnarum* relinquit Magistratibus & Prælatis Ecclesiæ, prout prudens definierit. Quare eodem teste *Almanio* ibidem, aliquis justè condemnatus ad mortem non potest absque mortali peccato fugere, dato etiam quòd ei locus oportunus fugæ pateret, idque probat ex B. Thoma.

Tertium pariter ludificat à suppositione principii, quasi aliquis consuescens cum excommunicato solummodò peccaret propter *Ecclesiæ*, & non propter *Christi* præceptum de excommunicatis tanquam Ethnicis & publicanis vitandis Mathæi 18. Profectò peccatum quod ex *usu* & *consuetudine vitæ* cum excommunicatis in rebus Ecclesiasticis contrahitur, ex hac tantum Domini prohibitione nascitur: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Quartum ut præcedentia, impingit in petitionem principii, quoniam auctore *Gersonio* Lectione 4. Corollario 1. præceptum Ecclesiæ de confitendis peccatis tempore Paschali *Divino* incumbit *præcepto* de remittendis & retinendis peccatis, atque etiam de dignè sumenda Eucharistia: unde Apostolus 11. prioris ad Corinthios pronunciat; *Quicumque manducaverit panem hunc, & calicem Domini biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini &c.*

Quintò frustra est *Almainus* in nodo Gordiano Gersonii solvendo: quasi Papa ut Christi Vicarius *absolutè* donatus esset Potestate aliquid præcipiendi *sub pœna peccati mortalis*: Herclè non probat quod asserit. Fateor quidem, Papam & omnes alios Legislatores pollere auctoritate obligandi *in foro Conscientiæ*, modò illorum Imperata necessariam habeant connexionem cum Lege & volun-

voluntate Divina, quæ ſola tribunal & forum conſcientiæ poteſt inſtituere, & ejuſmodi pœnas irrogare, eſtque *prima ratio* & *regula obligandi*, ut ſupra oſtendit Gerſonius lectione prima.

XV. *Dominicus à Soto* Dominicanus lib. priore de Juſtitia & Jure quæſt. 6. Articulo 4. Primùm cauſatur *Lutherum* & alios Hæreticos hujus ſeculi hac in parte *Gerſonium*, quanquam alias egregiæ notæ virum, æmulari & patronum aſſumere. Reſpondeo hoc argumentum laborare fallacia accidentis, & ſimili collectione poſſe inferri, ſacra Biblia & libros S. Auguſtini, quia uſui ſunt Hæreticis ad ſua dogmata propugnanda, eſſe omninò abjiciendos. Certè, ut ait *Gerſonius* poſt Apoſtolum, *Deus mendacio noſtro non indiget, ut veritas Catholica conſtituatur:* quæ non eſt deſerenda propter Hæreticos: neque aliquid etiam docendum ex anticipatis opinionibus, vel ad placitum hominum Itaque ſi quid hinc oriatur ſcandali, ut prætexunt, non datum, ſed ab infirmis ultrò acceptum, aut potiùs à malevolis confictum eſt. Cæterum infirmos & docere & ducere, non ſequi debemus.

Secundò idem Dominicus contendit, temerè & abſque ulla probatione dici à Cancellario Pariſienſi, præceptum Jejunii quadrageſimalis, aut confitendi peccata tempore Paſchæ non obligare *ratione præcepti Eccleſiæ*, ſed *ratione præcepti Divini*: quia inquit *Sotus*, etſi *præceptum* de confeſſione & Jejunio *divinitus* inſtitutum ſit: tamen *determinatio* & *præſcriptio temporis* commiſſa eſt *prudentiæ Eccleſiæ*. Solutio hujus argumenti petenda eſt à dilutione quarti Argumenti *Almaini*, & ab iis quæ paulò antè diſſeruimus de Legis Divinæ *immutabilitate*, & Legum Eccleſiaſticarum *indifferentia* & *mutabilitate*, Articulo XIII. Quod attinet ad præceptum Jejunii quadrageſimalis, obligat in vim præcepti Divini de temperantia ſervanda, & carne caſtiganda, & ità neceſſariam habet connexionem cum Lege Divina & Naturali.

Tertiò cum Eccleſia hoc aut illud præcipit *ſub pœna Excommunicationis*, utpote ſiſtere in judicio & ſimilia, quis dicere audeat illud fuiſſe Juris Divini, niſi quia data eſt *poteſtas* Pontifici & Epiſcopis *cogendi homines*, Joannis 20. & 21. Deinde qua ratione *Papa* eſſet *Vicarius Chriſti*, niſi Leges Chriſtianis familiam Chriſti conſtituentibus dare poſſet? Hoc Argumentum duabus conſtat partibus, quarum prior jam explicata eſt in depulſione tertii Argumenti Almaini: eſtque mirabile, *Sotum* virum doctum caligare in luce meridiana, quaſi neſciret Præceptum eſſe Divinum, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus* Matth. 18. Ex quo fit ut Juſtè *gladio Excommunicationis* ille feriatur ab Eccleſia, qui detrectat ſiſtere ſe coram Judice Eccleſiaſtico, ut ſe purget de crimine ſibi objecto. Poſterior pars Argumenti ſoluta eſt ſuprà num. X. ubi oſtendimus, quomodo *Leges Prælatorum* & *Magiſtratuum Politicorum* obligent *in Conſcientia*, illoſque veros eſſe Legiſlatores.

Quartò ſicut Arbores & Creaturæ, quanquam habeant à Deo Virtutem & Potentiam generandi, tamen propria & peculiari virtute generant atque operantur; *Quod* enim *dat Eſſe*, *dat* etiam *conſequentia ad Eſſe*: ſimiliter *homines* Poteſtate ſibi *à Deo* conceſſa, & non tantùm *ratione Divini Præcepti* Leges *condunt*: neque ſunt tantùm *Legis Divinæ Interpretes*, ſed *veri Legiſlatores*, inquit Dominicus. Cui quidem ut annuo, Reges atque Prælatos *veros* eſſe *Legiſlatores*, ità urgeo illorum *Leges* nequaquam obligare *ad Mortale*, niſi neceſſariam habeant *affinitatem* cum *Lege Divina*: quæ ſola *Præmium* & *Pœnam æternam* poteſt inferre. Præterea dato, quòd ejuſmodi Leges nulla affinitate cum Lege Divina devinciantur; concedo etiam obligare, ſed *duntaxat* ad aliquam *Pœnam Civilem*, aut *Eccleſiaſticam* foro Civili & Eccleſiaſtico congruentem, minimè verò *in foro Conſcientiæ*. Procul dubio dolendum eſt valde, homines quoſdam non modò *contra Charitatem*, verum etiam *contra Veritatem* objicere Doctori Chriſtianiſſimo, quod Prælatis atque Principibus Chriſtianis Poteſtatem auferat Leges condendi, ut ſua dogmata facilius ſtabiliant. Vide ſuprà Numerum x.

Quintò pugnat, *Jus Naturæ* per ſe & intrinſerè obligare *ad Mortale*: At hoc etiam *Gerſonius* poſt *Durandum* aſſeruit, quoniam Jus Naturale inſertum eſt à Deo in Legem Divinam, ut ſupra docuimus ex Cancellarii Corollario ſexto ſecundæ Lectionis. Et hinc liquet *Franciſcum à Victoria* Magiſtrum *Dominici à Soto* non attendiſſe ad mentem *Gerſonii*, dum prima relectione de Poteſtate Eccleſiæ ſectione ſexta ad calcem perhibet, Cancellarium docere, Papam poſſe duntaxat *ſententia Excommunicationis* punire peccata, quæ ſunt *directè* contra Euangelium, non autem quæ ſunt contra Legem Naturæ. Sanè cum hæc Baccalaureus Theologiæ apud *Franciſcum à Victoria* legerem, exoſum habebam *Gerſonium*, quaſi tam abſurda teneret dogmata: ſed factus Doctor Theologiæ volui veritatem accurate reſcire, eamque ob cauſam quinquies legi & relegi Tractatum Cancellarii *de Vita Spirituali Animæ*, & ne quid mihi excideret, illum *propria manu* integrum exſcripſi, tandemque me ad hanc Analyſim lucubrandam adjunxi, ut oſtenderem, illos qui Chriſtianiſſimum Doctorem criminantur, nunquam ejus fundamenta intellexiſſe, aut voluiſſe intelligere.

Sexto *Dominicus* objicit, *Almainum* de Poteſtate Eccleſiaſtica & Laica quæſtione prima cap. XI. fateri, *Poteſtatem Eccleſiaſticam* & *Papam* poſſe obligare *ad Mortale*. Reſpondeo, ſupra in Analyſi ſententiæ Almaini abunde ſatisfactum huic Argumento.

Septimò conatur Fundamenta Cancellarii convellere. Ait enim, *Quanquam* ſolus Deus *Gratiam conferat*, non *tamen eam auferre*, ſed *nos per ſcelera noſtra*: Ideóque nihil obſtare, quominus homines *ex ſua ipſorum Inſtitutione*, Leges conſtituant, quarum transgreſſores *gratia Dei* propterea priventur, quod *miniſterio*

nisterio Dei non obediant. Quæ Dominici responsio fallit Elencho à suppositione Principii, & à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, quasi Leges hominum *præcisè*, ut *tales*, sine ulla connexione cum Lege Divina obligarent ad Mortale, quod pernegat Gersonius.

Octavò ad Testimonium *Augustini*, Peccatum est *dictum*, *factum* vel *concupitum* contra Legem Dei: *Soto* contendit hoc intelligi de *Lege æterna*, à qua *omnes* etiam *Leges humanæ* tanquam *à Fonte* derivantur, eamque ob causam Augustinum uno latissimo *nomine* Legis Divinæ *Leges humanas* illa definitione comprehendisse, sicut effectus in sua causa continentur. Quæ responsio supponit certò quod est probandum: puta *Augustinum* hac clausula, *& contra Legem Dei*, etiam complexum *omnes humanas Leges* tanquam à Lege Divina manantes: hoc autem negat *Gersonius*, nisi Leges humanæ peculiarem affinitatem habeant cum *Voluntate* & *Lege Divina* quæ *prima* est *causa obligandi*. Præterea dum ait Dominicus, *à Lege Divina* omnes Leges humanas *scaturire*, manus dat Veritati, atque ostendit non vim habere obligandi *in Conscientia nisi à Lege Divina* deriventur, quæ genuina est sententia *Gersonii*.

XVI. Cardinalis *Bellarminus* libro de Laicis, undecimo præsertim capite, & *Franciscus Suares* Theologus Jesuita ut hanc Controversiam magis speciosо prætextu exciret libro 3. de Legibus cap. 21. quærit, *utrum Lex Civilis* possit *subditos* obligare *in conscientia*: & ita quidem statuit, ut uno atque eodem molimine, quasi à Minore ad Majus probet *Leges* & *Decretales Papæ*, atque *aliorum Prælatorum Constitutiones*, & *Regulas* sui Sodalitii obligare *ad mortale*: & continuò etiam Bullas in gratiam Jesuitarum conditas à nemine posse in dubium revocari, neque etiam *colore Veritatis inquirendæ* à quoquam examinari, sicut cavetur Bullis Gregorii XIII. Anno 1584. octavo Calendarum Junii datis. Sed utinam *Suares* cum aliis Collegis suis ea politicis Potestatibus concederent, quæ illis Jure Divino positivo & Naturali competunt in temporalibus, non autem eis quædam in speciem adscriberent, quæ nec desiderant, nec habere possunt. Quæ dum considero, mihi videor intueri homines aciculis, acubus, aut aliis vilibus & minutis crepundiis Indiæ populos allicientes, ut iis aurum, gemmas, atque alia pretiosa quæque subducant. Dato enim quod omnes Leges Papæ obligent ad mortale, Christiani *Principes* (quos Suares *abdicari*, imò & *capite puniri posse* à Romano Pontifice dictitat) hominibus Plebiis quos Papa, nec Fortunis nec Vita privare potest, longe deteriores sunt. Sed de his aliàs: nunc verò Suaris Argumenta ordinatim & fideliter expendamus: quibus patebit, sicut fluctus Maris quo vehementius in scopulos insurgunt, eo & velocius ac facilius alliduntur & dissipantur; ita & Adversariorum rationes Firmamentis *Gersonii* collatas nullo negotio depelli & conculcari. Primum autem *Suaris* Argumentum ab hoc Apostoli Oraculo ducitur:

tur: *Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, Roman. 13. Hujus autem damnationis causam ita reddit Apostolus, *quia Princeps Dei Minister est*, eique propterea obediendum, non tantùm *propter Iram*, sed etiam *propter Conscientiam:* & 1 Petr. 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum sive Regi &c. quia sic est voluntas Dei:* Item Proverbiorum 8. *Per me Reges regnant*; & 1 Regum cap. 8. *Non Te abjecerunt, sed Me:* Ergo, ait *Suares*, in transgressione talis Legis intercedit *Dei offensio* & *Injuria* qua *Conscientia* læditur & *damnatio* acquiritur. En primum & præcipuum Argumentorum *Suaris*. Cui quoque *Cornelius à Lapide* Commentariis in cap. 13. Epistolæ ad Romanos patrocinatur: Siquidem hanc explicans Clausulam, *non solum propter Iram, sed & propter Conscientiam:* Nota ex hoc loco contra *Gersonem* (inquit) *Leges Ecclesiasticas*, & contra *Almainum*, Leges Civiles *etiam gentilium Impiorum & Infidelium Principum* secluso quoque *scandalo* obligare in Conscientia *sub peccato mortali*, si res gravis gravi *Obligatione*, vel *Interminatione* præcipiatur ab eis. Apostolus enim loquitur de Legibus Imperatorum Romanorum qui tum erant infideles. Quod argumentum fallit à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ac si *omnes Leges* Principum Politicorum *absolutè* obligarent *ad mortale*, & non *conditionaliter*, quatenus *Legi Divinæ* & *Naturali* concordant. Ratio est, quoniam *prima Lex obligandi* in Conscientia est *voluntas Divina*, cui *omnes humanæ Leges* debent *concordare:* siquidem *Potestas omnis* data est *in ædificationem*, non *in destructionem*, & *pro Veritate*, non *contra Veritatem.* 2 Corinth. 13. & ad hunc sensum hæc verba Apostoli capienda sunt, *qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt.* Quare ibidem ostendi, *Legem Naturalem* insitam esse *in Legem Euangelicam*, ut Axiomate XLIV. Apologiæ docuimus. Quocirca si *Leges Principum* nullam habeant *connexionem* cum *Lege Divina* & *Naturali*, non obligant *in Conscientia*, sed duntaxat *Obligationem Civilem* aut *Temporalem* invehunt. Quæ confirmari & illustrari possunt Can. *Julianus* Imperator, qui quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cùm dicebat, *producite aciem pro defensione Reipublicæ*, obediebant ei, cùm autem diceret eis, *producite arma in Christianos*, tunc cognoscebant Imperatorem cœli XI. quæst. 3. Hîc fingamus *Julianum* aut *Diocletianum* edictum fecisse, quo omnes Cives Romani tenerentur certam pecuniam dare, ut templum Jovi Capitolino instauraretur, aut ædificaretur, nemo sanus dixerit unquam *Christianos hac Lege teneri sub pœna peccati mortalis*, cum potius mori, quàm pecuniam in hanc rem impendere deberent: & ita etiam fit satis Argumento *Cornelii à Lapide.* Verùm *Suares* hoc Scripturæ Testimonio turpiter abutitur, *Non Te abjecerunt sed Me*, quoniam nullo modo facit ad propositum. Enimverò cum Deus *propter Oeconomiam Incarnationis Christi* privatam curam gubernandi populi Israeli-

tici

tici susceptisset, meritò quidem graviter ferebat, illos *quasi divini Regiminis fastidio* Regem sibi exposcere, qui eis humanitus more aliarum gentium moderaretur: quandoquidem hoc in manifestum Dei contemptum vertebatur: quare Dominus eorum *Ingratitudinem* accusans dicit Samueli: *Non te abjecerunt, sed me.*

Secundò *Suares* certat, *Jus Divinum* & *Naturale* dictare servandas *Justas leges* positas *à legitimis Principibus:* ac proinde eos qui illas non servant facere *contra divinam voluntatem* & *mortaliter* peccare: hæc est enim *voluntas Dei*, ut *benefacientes obmutescere faciatis Imprudentium hominum Ignorantiam* 1. Petri 2. & Matthæi 23. *Quæcumque dixerint vobis, facite:* subnectit *S. Thomam* docere, *legem humanam* obligare *in Conscientia*, quatenus *participat Legem æternam*, & *naturalem:* id est, *quatenus Dei voluntate & dictamine rectæ rationis naturalis nititur.* Hoc enim principium, *Obediendum est justis præceptis Principum, naturale est*, inquit Suares, cujus hæc integra collectio militat pro *Gersonio*, quoniam ostendit, *Leges humanas* nequaquam obligare in Conscientia, *nisi* justa & sufficienti necessitudine *colligentur* cum *Lege divina* & *naturali:* Idque ipsemet *B. Thomas* clarè firmat, docens *Legem humanam* obligare *in conscientia*, quatenus participat *legem æternam*: & Suares mentem S. Thomæ ita explicat: id est, *quatenus Dei voluntate, & dictamine rectæ rationis naturalis nititur, quia hoc Principium, Obediendum est justis præceptis Principum, naturale est.* Verum si *Suares* putat, ideò leges esse participes divinæ legis & voluntatis atque in conscientia obligare, propterea quod à *legitimis Principibus* ferantur, illudit æquivocatione vocis, quatenus leges humanæ participant legem æternam: & quatenus dictamine rectæ rationis naturalis nituntur. Nam verbi causa *Diocletianus* & *Julianus* Cæsares legitimi quidem erant Principes, & tamen quas Leges in Christianos pro instaurandis templis Idolorum ferebant, non erant *divinæ legi* & *voluntati* conformes, imo eis repugnabant. Sed valde miror quid causæ habuerit Suares, ut hunc textum Matthæi 13. *Quæcumque dixerint vobis, facite*, ad propositum obligationis legum Civilium detorqueret: cum ibi agatur de Mosis Cathedra, & per Analogiam de Prælatis Ecclesiæ, quare glossa ad hunc locum, *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite, ad Cathedram pertinentia*, inquit, & Deuteronomii 17. in hæc verba; *Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: Nota*, inquit, *non dicitur tibi ut obedias, nisi juxta legem docuerint, unde supra Cathedram Mosis sederunt scribæ & Pharisæi*; quæ glossæ doctrina magnam lucem adfert placitis *Gersonii*, demonstratque *Leges* tum *Ecclesiasticas* cum *politicas* tantum obligare *in Conscientia*, quantum sunt *voluntati* & *legi divinæ conformes.* Profecto Maldonatus cap. 23. in Matthæum hic instar omnium

nobis esse debet, quia explicans hæc verba; *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate*, &c. Ergo inquit, *cum jubet servare ac facere, quæ Scribæ & Pharisæi, dum in cathedra Mosis sedent, dicunt, non de ipsorum, sed de Legis ac Mosis doctrina loquitur: perinde enim est, ac si dicat, Omnia quæ Lex & Moses vobis dixerint, Scribis & Pharisæis recitantibus, servate & facite:* Accedit *Bellarminum* nominatim docere, *Legem Civilem justam semper esse, vel conclusionem, vel determinationem Legis divinæ moralis*, lib. de Laicis cap. undecimo ante medium. Tertiò si in inferioribus & imperfectis communitatibus est necessaria vis præcipiendi, obligando *in Conscientia*, quantò magis *in Republica*? Unde sicut pater potest filium obligare, adeo ut Deuteron. 21. *filius dignus morte judicetur, si non obediat præcepto patris:* & similiter *uxor teneatur* in Conscientia *obedire marito* cap. 5. ad Ephes. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, & reddit rationem, quoniam vir caput est mulieris:* & cap. 3. ad Coloss. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino:* consurgit, *Regem* qui est *caput* totius Reipublicæ *temporalis*, multo magis subditos obligare *in Conscientia:* Ad hæc rependo, *Patres* quidem *liberos*, & *viros* suas *uxores*, Dominos *familiam* suam, & *Reges* proprios *obligare* subditos *in Conscientia*, si modò congruenter *ad Legis Divinæ & Naturalis principia* imperent: ita ut eorundem Leges *connexionem* necessariam *cum Lege Divina & Naturali* habeant: alioqui *obligationem* duntaxat *œconomicam, civilem*, & *temporalem* congruentem *foro* Patris familiæ, & *Regis tribunali* important. Neque rationes *Suaris* quicquam aliud probant. Quotusquisque audeat affirmare, scholæ Magistrum interdicentem scholasticis *usum linguæ vulgaris* obligare discipulos *ad mortale*, si *vernacule* loquantur eo ipso quod hoc *præceptum* Gymnasiarchæ *rectæ rationi* congruit, annon satis est *obligatio* ad *disciplinam* & *pœnas scholasticas*, dato quod scholastici *legibus scholæ* minime obtemperent? Profecto homines *maximo sanguinis* Christi *pretio* redempti non levi de causa sunt *in infernum* præcipitandi, neque eorundem conscientiæ *jugo tyrannico* opprimendæ, *quoniam Pœlati potius debent rationem Deo reddere misericordiæ, quam crudelitatis:* ut ait glossa cap. *omnis utriusque sexus.* §. *diversis experimentis.*

Quarto frustra *Suares* canit *Epinicium*, dum memorat, ex tribus fundamentis à se positis facile videri, quidnam sit tenendum de *Gersonii* opinione: ac primum si *Gersonius* intellexit, *nihil posse* imperari *per Legem Divinam* aut *Naturalem*, quod non sit *præceptum* saltem *per discursum* & *deductionem* necessariam *ex naturalibus principiis*, hæc ejus assertio erronea & bonis moribus valde contraria est: ut constat ex rationibus adductis, & communi sensu & praxi fidelium: cujus suæ assertionis *Suares* hanc causam reddit eodem lib. 3. de Legibus cap. 22. nimirum quod Superior qui Legem ferre vult, vult quoque necessario præcipere & imperare: qua in re primus actus Legis versatur, unde

unde neceſſario etiam ſequitur *obligatio in Conſcientia* ex vi Legis divinæ: *Obedite Præpoſitis veſtris*, &c. Ergo repugnat talem Legem non obligare *in Conſcientia*, quando fertur ab habente poteſtatem, & voluntatem obligandi. Secundo ſi *Gerſonius* ſolum intellexit Leges humanas non obligare *in Conſcientia*, niſi in virtute horum principiorum naturalium, Obediendum eſt Principibus humanis in licitis & honeſtis juxta illud: *Obedite Præpoſitis veſtris*, &c. Sic fortaſſe de nomine diſputat: verum tamen non ſine ſcandalo à communi modo loquendi Theologorum diſcedit, introducendo Modum loquendi ambiguum, qui poteſt ſenſum erroneum, & bonis moribus contrarium inducere.

Hucuſque exquiſita criminatio *Suaris*, qua *Gerſonio* invidiam creare molitur: duabus autem conſtat partibus, quarum prior quatuor notatu digna complectitur, quæ ſigillatim evolvemus. Et primum quod petit, an Cancellarius Pariſienſis intellexerit, *nihil poſſe imperari per Legem humanam* ſeu *Civilem*, *quod per Legem divinam* aut *naturalem non ſit præceptum*, &c. Reſpondeo, *Suarem* hic cavillari, & cum *Gerſonius* ſecundum quid de ſola obligatione ad mortale quam Regum & Prælatorum imperata invehunt, diſputet; adverſarium hoc trahere ad abſolutum Imperium Regis, quaſi nihil quicquam poſſet Rex aut Magiſtratus Politicus imperare, quod non conforme eſſet Legi Divinæ, & Naturali; aut ſaltem quod per *diſcurſum* & *conſequentiam* neceſſariam inde elici non poſſet. Contra autem docet *Gerſonius*, omnes Legiſlatores tum Eccleſiaſticos cum Politicos, poſſe imperare & præcipere quicquid è re ſui regiminis eſſe viderint: *ſed cum hoc diſcrimine*, ita ut ſi eorum Leges & imperata Juri Divino & Naturali concordent, obligent quidem *in Conſcientia*; ſi vero non conſentiant, obligent *tantum in foro Civili* & *Eccleſiaſtico*. Secundum notabile eſt quod infert *Suares*, aſſertionem *Gerſonii* eſſe erroneam, & bonis moribus valde contrariam. Imo vero veriſſima & maxime Orthodoxa eſt, ut liquet ex Principiis ſupra explicatis. *Tertio* ad provocationem praxis & uſus communis quam adverſarius venditat, impendo ea quæ aſſeruit *Gerſonius* in Proœmio ſecundæ, & in Epilogo ſextæ Lectionis ſuperius propoſito: atque amplius ex Theologorum ſententia contendo, non eam *ſemper* meliorem & probabiliorem *opinionem* cenſeri, quam *plures Doctores* defendunt, præſertim ubi de *abſoluta Papæ poteſtate* agitur: de qua re infra Num. 17. ex *Navarro*, *Melchiore Caro*, *Vaſqueſio*, &c.

Quarto quod perhibet, omnes Superiores & Propoſitos qui legem ferre volunt, unà etiam velle neceſſario præcipere, atque obligare in conſcientia, fruſtratur à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter: quoniam Papa, Epiſcopi, Reges & Magiſtratus Politici *aliquid imperantes*, eo ſolum modo *volunt*, aut *velle debent obligare*, quo *natura* & *ratio ſui officii*, atque *Imperii patitur*:

At si aliter volunt, *se fraustrantur*, neque *obligatio* quam intendunt, *ullo modo stringit*, & hæc de prima parte Criminationis Suaris.

Altera expedite depellitur notitia veritatis firmamentorum Cancellarii, qui si rem consideres, nihil prorsus *quoad substantiam* differt à communi sententia omnium aliorum Doctorum, sed *quoad modum* duntaxat. Quocirca lectione tertia dicit, se non alia quam alios, sed forte aliter dicturum, & tractaturum. Enimvero cum omnes pene Theologi *absolute* doceant, *Leges humanas obligare in Conscientia*, Gersonius, cum videret hanc assertionem æquivocatione suâ posse multos scrupulos Conscientiis ingenerare, conatus est æquivocationem explicare, & ostendere, Quantum & quousque ejusmodi obligatio se extenderet: Idque multis gratum esse non potest, qui, ut idem ait initio sextæ lectionis, *Pharisaica præsumptione* delirant, & *Traditiones* suas plusquam *Legem divinam* obligare contendunt. Summa autem illius sententiæ est, *Leges humanas* tum *Ecclesiasticas* cum *politicas* non obligare *in Conscientia*, nisi conformes sint *divinæ Legi* & *voluntati*, quæ *prima* est *causa* & *regula obligandi:* nihilominus secluſa obligatione divina inducere obligationem foro Legislatoris & Præpositi congruentem, ut de scholæ Magistro patet. Constitueram quidem Analysim integri Tractatus *Gersonii* de Vita Spirituali Animæ explicare, sed ea confecta animadverti, hoc nimis profusum & fastidiosum fore: atque permulta ibi esse, quæ Curiales traherent in invidiam. Sed videamus, quonam modo *Suares* Argumentis *Gersonii* satisfaciat.

Quinto enim absolute negat, *homines non posse obligare in foro Dei:* unde ad argumentum Cancellarii, quod *forum Conscientiæ* est *forum Dei*, non *hominis:* opponit Papam, Episcopos, Reges, & Magistratus Politicos habere potestatem applicandi voluntatem & Legem divinam suo modo: sicque inducere obligationem in Conscientia, quando operantur ut ministri Dei; quæ responsio explosa est superius in Analysi quinti argumenti *Almaini*; nam concedimus, homines si *adæquate* & *sufficienter* ut ministri Dei operentur, hoc est, si eorum *Imperata necessariam* habeant *connexionem* cum Lege divina & naturali, *obligare ad mortale*, aliter non.

Sexto quia objicitur, nullum spirituale vinculum aut obligationem in foro Conscientiæ posse induci à Principe & Magistratu Politico: *Suares* opponit, Civilem potestatem dici temporalem ex parte materiæ, hocque modo verum esse, Regem aut Magistratum Politicum non posse vinculum aliquod spirituale irrogare in materia spirituali, scilicet *directe* & *per se* in ordine ad effectum spiritualem: verum tamen quatenus in *Materia temporali* & *Lege Civili* potest aliqua reperiri honestas & obligatio ad illam honestatem servandam, tum Legem Civilem ex parte materiæ, quæ consideratur sub hac circumstantia obligandi ad illam honestatem hoc inferre vinculum, etiamsi aliquo modo spirituale

rituale videatur. Subjungit *Suares*, Politicam & Eccleſiaſticam Poteſtatem eſſe *quandam participationem divinæ poteſtatis*: & hac ratione includere *vim quandam* quæ ipſum *ſpiritum*, *conſcientiam*, & *rationem* ligat. Quæ quidem reſponſio partim dat manus veritati, partim eam involvit: dat manus dum aſſerit poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe *quandam participationem divinæ poteſtatis*, & Magiſtratum politicum *non poſſe* vinculum ſpirituale *inferre* directè in *materia civili* & *temporali*, niſi ſub circumſtantia *honeſtatis* atque *obligationis* ad illam honeſtatem ſervandam, &c. Denique æquivocationibus veritatem implicat. Quod enim Cancellarius Pariſienſis clare docet, *Leges Civiles* & *Eccleſiaſticas* non obligare *in Conſcientia* niſi habeant *connexionem* cum *Lege divina* & *naturali*, quæ *prima* eſt *Lex* & *cauſa obligandi*: hoc Suares tecte atque involute hic verbis æquivocis deſignat, poteſtatem Eccleſiaſticam & Civilem eſſe quandam participationem divinæ poteſtatis: & obligationem ſpiritualem in materia temporali naſci ex aliqua circumſtantia honeſtatis, quæ illam inducit obligationem: quandoquidem hic inter honeſtatem, & honeſtatem diſtinguendum eſt: Nam *verbi cauſa*, honeſtas atque utilitas *rectæ rationi conformis eſt*, ut Scholaſtici Latine loquantur ex præcepto Gymnaſiarchæ; nihilominus quia ejuſmodi honeſtas non eſt *affinitate neceſſaria* Legi divinæ & naturali devincta, ideo non obligat *in Conſcientia*, ſecluſo *ſcandalo*, & *pervicacia*, qua proterve aliquis in publicæ diſciplinæ, & magiſtrorum contemptum obdureſceret. Denique tametſi poteſtas Eccleſiaſtica & politica quædam ſit participatio divinæ poteſtatis, quia *omnis poteſtas eſt à Deo*, Roman. 13. Nihilominus inde inferri non poteſt, omnia quæcumque ab Eccleſiaſticis & politicis Principibus imperantur, obligare ad mortale. Cujus rei teſtis eſt illa celebris diſputatio inter Doctores etiam Jeſuitas, *an gabellam*, quæ *ſine ulla* aut *ſine rationabili cauſa* imponitur, *defraudare liceat*.

Septimò contendit, obligationem in Conſcientia *ſimpliciter* & *abſolute* eſſe neceſſariam, ut poteſtas politica & humana poſſit efficaciter ſuum finem conſequi: quia *Pax* & *Juſtitia* non poteſt conſervari; niſi ex *Legibus humanis* redundet *obligatio* ad *Conſcientiam*. Ad hæc rependo, *obligationem* in foro civili *ſatis eſſe* ad continendos homines *in officio*, quando Leges *nullam* habent *affinitatem* cum *Lege divina* & *naturali*: Idque communi experientia compertum eſſe: Quoniam olim Lacedæmonii, Romani, & permulti alii Ethnici, qui obligationem in conſcientia ignorabant, per longum temporis ſpatium ſuam Rempublicam felicius gubernarunt, quam multi Reges & Principes Chriſtiani. Præterea hinc ſequeretur non fuiſſe apud Ethnicos perfectam poteſtatem politicam, quod eſt erroneum, & alias confutatum à me.

Octavò ad argumentum Cancellarii, quod nemo poſſit obligare in foro in quo non poteſt cognoſcere, & judicare: hominem vero *ut homo eſt*,

non posse de *actibus internis Conscientiæ* cognoscere aut judicare, & continuò non posse obligare in Conscientia, Corollario primo quartæ Lectionis de Vita Spirituali animæ. Opponit *Suares*, Legem humanam ut obliget *in Conscientia*, non oportere *per se* ac *directè* cognoscere & judicare de illa obligatione, & pœna inde exsurgente *in foro Conscientiæ*: sed satis esse, si cognoscat & decernat de *externa actione*, vel *omissione* propter quam obligatio inducitur ad *mortale*. Quæ responsio nihil probat, sed petit principium, supponens ex quacumque transgressione & omissione externa Legis humanæ, induci obligationem *in foro Conscientiæ*: quod negatur, nisi forte Lex justam habeat necessitudinem cum Lege Divina & Naturali. Consule sextum Argumentum Suaris.

Nonò, quia *Gersonius* urget Legislatorem humanum non posse obligare sub pœna inferni vel Purgatorii, cùm ejusmodi pœnam infligere nequeat: & consequenter talem pœnam longe excedere humanæ Legis virtutem. Respondet, ex Legis transgressione aliquem posse *duobus modis* fieri reum transgressionis: *Primum* quatenus Lex illa *directè* talem pœnam imponit per proximum & immediatum Legislatorem *Deum* videlicet: *Secundo* quatenus ille reatus pœnæ solummodo insurgit ex Constitutione & Transgressione Legis humanæ: ac priori modo verum esse Principem politicum non obligare tanquam immediatum Legislatorem ad pœnam æternam & spiritualem, quam *directè* non potest irrogare: sed posteriori modo fallum: quia eam *mediatè* imponit, ut insurgit ex Legis humanæ transgressione. Quæ responsio ut aliæ præcedentes continuat in petitione Principii, quasi transgressio Legis humanæ nullam habens connexionem cum Lege Divina & Naturali obligaret in Conscientia.

Decimò ligare & solvere sunt quasi *correlativa* cap. quod autem. de Pœnitent. & Remiss. Nemo autem potest ligare in foro in quo non potest solvere: Ergò cum Legislator humanus non possit solvere in foro Conscientiæ, nec etiam poterit obligare ad mortale. Respondet *Suares*, 1. in rigore hoc falsum esse Principium, puta ligare & solvere tanquam *Correlativa* sese perpetuò sequi: quia, inquit, homo potest se voto obligare, & tamen non potest nexum obligationis voti solvere: II. Fatetur nihilominus, hoc verum esse Principium: Qui potuit Legis obligationem ponere, posse similiter illam auferre, ut cum Legislator humanus abrogat Leges quas fixit, aut de illis dispensat. Sed hoc procedit ante Legis transgressionem, ait: quia post Legis transgressionem Legislator nullo modo potest culpam remittere, quatenus est contra Deum: quia tunc alterius est fori, & ordinis: poterit quidem Legislator remittere transgressionem, ut in suam cedit injuriam, & forum suum violat, non autem *ut est contra Deum*. Hic multa turbat: dum à *veritate* recedit Suares: *Primum* quod initio negare voluit, *Ligare* & *Solvere non esse Correlata*, &c. Fallit aut maxime

ximè fallitur, dum hæc abripit ad vota; quorum obligatio longè dispar est ab obligatione quam Lex inducit. Nemo enim nisi *Sponte* & *Voluntariè* voto obligatur: at sæpè invitus edictis atque Legibus Principum devincitur. Quare plane iniquum esset aliquem in pure humanis posse invitum obligari ad mortale, nisi Lege Divina & Naturali obligaretur. *Secundo* tandem herbam porrigit, dum fatetur, Legislatorem non posse culpam remittere, quatenus est *contra Deum*, quoniam hoc est alterius fori: unde sequitur nec eam similiter posse imponere, juxta hoc Principium, *Ligare* & *Solvere* sunt Correlata, &c.

Undecimo ad definitionem *Augustini* peccatum est *dictum*, *factum*, aut *concupitum* contra *Legem Dei* cap. 22. contra Faustum Manichæum: obtendit illos qui Leges humanas transgrediuntur, virtute etiam censeri violare Legem Divinam, à qua tota vis obligandi Legis humanæ fluit, & hac de causa definitionem *Augustini* etiam convenire transgressioni Legis humanæ. Quæ responsio eadem est cum solutione quam *Dominicus à Soto*, tradit octavo suo Argumento: confirmatque doctrinam Cancellarii contendentis, *Leges humanas* non obligare *ad mortale* absque *necessaria connexione* cum *Lege Divina:* idque ipsum *Suares* his verbis confirmat; *humanas Leges transgreditur, virtute etiam censetur violare Legem Divinam, id est interpretativè, qua Lex humana Legis Divinæ particeps est.*

Duodecimo, quod objicitur, sufficere ad *Vitam æternam* si *Dei Mandata* serventur, Mathæi 19. versu 17. idque Argumento esse homines posse salvari, quanquam Leges humanas minime servent. Opponit sicut ad præcedens Argumentum, qui humanas Leges transgrediuntur, censeri etiam virtute transgredi Legem Divinam, atque *Unum ex Divinis præceptis* esse, ut obediamus *nostris Superioribus* & *Principibus Politicis*, Roman. 13. eamque ob rem illos qui non servant *Leges humanas*, neque similiter *omnia Dei mandata* servare, ac proinde sibi *damnationem æternam* acquirere. Quæ responsio sicut & omnes præcedentes ludificant à suppositione Principii, ac si Leges humanæ aliam obligationem, quàm pure humanam, & politicam inducerent: de qua re plus satis superque anteà.

XVII. Sed ut huic disputationi lineam extremam adscribamus: quando propositum est adversariis, non tam virtute & rationum pondere, quàm conferto & meditato studio invidiam *Gersonio* & iis qui ejus sententiam tuebuntur, conflare: illos rogatos velim Auctorum sequentium Doctissimorum, & maximè Catholicorum Testimonia diligenter apud sese reputent. Primùm *Navarri* cap. 27. Manualis num. 289. *Non videtur*, ait, *una Opinio appellanda communis ad effectum præjudicandi alteri, eo solo quod plures eam sequantur tanquam oves aliæ alias, quæ præcedunt sine judicio sequentes.* Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam *sex* vel *septem Auctores Classici* rem ex professo tractantes

tractantes assererent, quàm probatam à *quinquaginta* sola ferè priorum auctoritate ductis. Quin & arbitror utramque ad hoc posse dici *communem*, quando utraque habet *octo* vel *decem asertores graves* & *cum judicio* eam *deligentes*.

Melchior Canus libro 8. de locis cap. 4. *Theologorum scholasticorum* etiam *multorum Testimonium*, ait, *si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum*, vel *gravior* etiam *auctoritas comprobarit*, videlicet in scholastica Disputatione *plurium auctoritas* obruere Theologum non debet: sed si *paucos viros* modo *graves* secum habeat, poterit sanè *adversum plurimos* stare: Non enim *numero* hæc judicantur, sed *pondere*, &c. Quo loco sanè arguendi sunt Scholastici, qui ex opinionum quas in Schola, acceperunt præjudiciis, viros alios Catholicos notis gravioribus inurunt: idque tanta facilitate, ut meritò rideantur. Nobis autem Schola nostra *magnam* quidem *licentiam* dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat, id nostro Jure liceat defendere: sed non licet tamen eos qui nobis sunt adversi, temerè & leviter condemnare.

Gabriel Vasquesius prima secundæ quæstione 19. disputation. 62. cap. 4. Articulo 12. Dico igitur *ait*, si aliquis vir doctus qui non parum in studiis laboraverit, qui optimè viderit rationes contrariæ partis, easque omnes examinans & expendens judicaverit contra cæteros qui ipsum præcesserunt scriptores suam opinionem probabiliorem esse, etiamsi illa minus tuta sit, posse eam amplecti, & secundum illam rectè operari: hanc verò sententiam colligo ex communi sensu Doctorum; ratio verò est manifesta, quia si aliquis pollet *ingenii acumine* & *maturitate consilii*, & rationes contrariæ partis diligenter vidit & expendit, easque judicavit minus sufficientes, non videtur imprudenter operari secundum suam opinionem: quia *in rebus moralibus*, quæ *certa* non sunt, sed *sub opinione*, ipse etiam mature judicat. Negare enim non possumus turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem *absque delectu rationum*, aut saltem non *tam exactè* rationibus *ponderatis*: contra quos deinde alius Doctor magnæ auctoritatis opinionem aliquam maturè excogitatam in scholas introducere potest. Quod si quis levi aliqua ratione, nec mature considerata amplectatur Opinionem minus tutam contra cæteros Doctores, peccabit sanè, non quia *contra Conscientiam* operetur, sed quia *leviter* & *temerè* de re illa judicavit, ut rectè tradit *Navarrus*, in Can. si quis. de Pœnitentia dist. 7. numero. 51. & 52. Quandò verò censeri debeat temeritas, & leve fundamentum in judicando, arbitrio prudentis relinquitur: nec enim censeri debet temeraria opinio unius Doctoris contra reliquos in re obscura, & opinabili, si maturo fundamento excogitata sit. Nam, ut rectè admonet *Corduba* lib. 1. quæst. 17. §. 13. *Temeraria opinio* absolutè *est censenda*, non quæ *communi sensui Theologorum Scholasticorum* contraria est, sed quæ *absque sufficienti ratione*

ne & *Fundamentis* excogitata est. Nam multæ opiniones initio excogitatæ, & in Scholas invectæ sunt, quæ *communes* tunc non fuerunt. Verum in hac re *matures satis* procedendum est.

Idem *Vasquesius* eadem disputatione cap. 5. numero 26. assignat *discrimen* inter *Formidinem* & *Hæsitationem*, notatque *Cajetanum* & *Navarrum* non satis cogitatè hæc duo confundere: *Dubitare* & *Hæsitare*, ait, *est intellectum pendere* in *utramque partem contradictionis*, & *nulli illarum* determinatè *assensum præbere*; quia in nulla illarum apparet *convenientia prædicati* cum *subjecto*: Cum hac autem *hæsitatione* non licet operari. *Formido* verò *unius partis* non excludit *assensum determinatum alterius*: sed *formido* in eo tantum *posita est*, ut aliquis *per actum reflexum* judicet *rationes* illius *partis*, cujus habet *assensum*, non esse *evidentes*, sed tantùm *probabiles*: & ideò putet *fieri posse* ut *in re ipsa* opposita pars *vera sit*, cum tamen *rationes illius* id non ostendant. Cùm igitur hæc *formido* etiam *expressa* unius *partis* non excludat *assensum determinatum alterius partis*; & cum quovis *assensu probabili* qui non attingit *evidentiam*, formido *esse possit*: sequitur cum hac *formidine* posse quemlibet *operari*. Primùm quia, ut constat ex sententia omnium, *ad rectè operandum* non est necessarius *assensus evidens*, sed sufficit *probabilis*: Præterea quia certum est *neminem* debere *necessario* tutiorem partem *eligere*: Postremò, quia qui habet *formidinem* circa propositionem *universalem*, habebit circa *singularem*; ergo qui habet tantum *opinionem* de *universali propositione*, poterit rectè operari *cum formidine* circa *singulare* judicium Conscientiæ.

Alphonsus Salmero tom. 8. tract. 29. in Euangelia, hæc verba Math. 15. explicans, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*: Hoc verbo *instruimur*, ait, *Scandala ex malitia propria accepta, quæ* passiva *vocamus*, à *nobis esse minimè curanda & citius* Scandalum *nasci permittatur, quàm* veritatem Fidei, *vel* Vitæ *vel* Justitiæ *relinqui*. Dicuntur enim ejusmodi *Scandala*, ut diximus *Passiva*, quæ alius *ex bona Vita*, aut *ex Fide* & *Justitia* à me culta *ob propriam suam imbecillitatem accipit*. Scandalum verò *infirmorum* seu *pusillorum* vitandum est, quemadmodum Christus præcepit, cùm dixit: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis &c.* Mathæi. 18. Suo etiam exemplo illud hic docuit, quia *scandalum Pharisæorum* his verbis docuit non esse curandum: Aliàs *Christus* non esset *prædicatus*, neque *veritates Catholicæ* contra Hæreticos *qui scandalizantur* definitæ. Turbam verò ad se vocavit, illamque instruxit, & erudivit, ne scandalizaretur. Quod si interdum quidam sint minùs *Veritatis* capaces, tunc *doctrina*, aut *actio* quæ scandalizat, si non est *necessaria*, aut *valde opportuna* atque *utilis*, dandum est nonnihil *imbecillitati infirmorum*: si verò hoc scandalum *Majores* accipiant, & *doctrina* sit *utilis*, mittendi sunt; sunt enim *insanabiles*, quia *cæci* sunt: id est, *nolunt videre* & *intelligere quod eis inspirat Deus*: & *duces* eorum

similium, qui & ipſi *Divinam inſpirationem* repellunt: quare *ambo in foveam cadunt*. Hactenus Salmero.

Porrò hæc *Dictorum Claſſicorum* ſententia, *Navarri* ſcilicet, *Cani*, *Vaſqueſii*, & *Salmeronis*, nos ſeptem docet: *Primo* frequentiorem Doctorum numerum, neque communiorem, neque probabiliorem efficere ſententiam, tum quia utplurimum multi *anticipatis opinionibus* irretiti nullo habito *delectu rationum* ſe in aliorum opiniones *cæco impetu* tanquam oves ovem præeuntem ſequentes præcipitant: partim etiam, quia illam ſententiam non ex profeſſo, ſed tantùm obiter & perfunctoriè tractant, ac proinde *firmamenta* quibus roboratur, non examinant: partim etiam quia laborem & diligentiam neceſſariam ad indagandam veritatem ſubterfugiunt: & plerumque firmitate Judicii ad id præſtandum carent; vel denique quia invidiam quam veritatis defenſio ſuis auctoribus parit, reformidant: ut ſit in præſenti controverſia, qua quæritur, *Quantum & quouſque Leges obligent*. Cum enim Curia Romana hoc unum moliatur, ut Chriſtianos cæca obedientia involvat: quotuſquiſque ejus Leges ſine magno nomine, famæ, fortunarum, & vitæ periculo in dubium revocare poteſt? Quod autem permultos etiam laborem & diligentiam ſubterfugere dixi, hoc confirmari poteſt quorundam exemplo, quorum ego lubens parco nomini: qui cum nonnullos Doctores viderent ſeſe Lectioni Patrum antiquorum dedere, illos ridiculè & contemptim *Antiquarios* vocitabant, palamque dicebant ſe per omnia, & in omnibus *Bellarmino* in controverſiis, & *Baronio* in Hiſtoria Eccleſiaſtica aſſentiri neque ſupra tantos viros quicquam velle ſapere, quæ vox homine, nedum Theologiæ Doctore penitus indigna eſt.

Secundo colligimus, illam opinionem communiorem & magis veroſimilem habendam, non quæ à *turba magna Doctorum* propugnatur, ſed quæ *majoribus rationum firmamentis* nititur, quanquam paucos habeat Doctores, qui eam propugnent.

Tertiò peritis eſſe credendum in arte ſua, illis potiſſimum qui ad evolvendam aliquam controverſiam tempus, diligentiam, juſtumque maturum, & neceſſarium Judicium, abſque ullo alio, quàm *veritatis cognoſcendæ*, & *vindicandæ propoſito*, impenderunt. Atque Argumenta omnia contraria, ut par eſt, examinarunt, & rem ex profeſſo tractarunt.

Quartò, ſi viro Docto *in literarum & Theologiæ ſtudiis* apprime exercitato permiſſum eſt etiam cum formidine aliqua propriam ſequi opinionem, & ſecundum illam ſecurè *in Conſcientia* contra opinionem quæ Communis cenſetur; quanto id magis licet *Theologo*, ubi optimis atque validiſſimis rationibus fulcitur? Validitas autem & robur argumentorum ex oppoſitione atque dilutione contrariorum patebit. Certè ex duabus opinionibus probabilibus, quarum utramque Theologus ad normam tertii articuli examinavit, illam potius amplecti

amplecti tenetur quam probabiliorem ducit, nisi fortè velit dictamini rectæ rationis repugnare, quod magnum peccatum est: *quod enim fit contra rectam Conscientiam, peccatum est* Roman. 14. Siquidem glossa dictum Apostoli de recta Conscientia explicat, & ita interprerantur Patres, confirmaturque à *Cornelio à Lapide* qui *fides*, inquit, *est dictamen Conscientiæ*, sive *persuasio credulitatis*: quod enim non est *secundum hanc credulitatem*, id est, *quod est contra Conscientiam, hoc peccatum est.* Ita *S. Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Ambrosius*, *Theophylactus*, *Oecumenius* ait.

Quintò Doctrinam illam non habendam temerariam quæ communi sententiæ Doctorum Scholasticorum contraria est: sed quæ firmitate principii fundamenti & rationum destituitur.

Sextò magis expedire *Scandala nasci*, quam *veritatem fidei*, *bonæ vitæ*, & *Justitiæ deseri* cap. qui scandalizaverit. de regulis Juris in Decretalibus,& si contingat aliquos *ex Doctrina valdè utili* scandalizari, nihili plane faciendos *tanquam insanabiles, cæcos, ducesque cæcorum*, auctore Salmerone. At verò quàm sit utile, imò necessarium perspectam & exploratam habere justam Potestatem Clavium, & Pastorum Ecclesiæ horum temporum gravitas indicat; quæ tanta atque intolerabilis est, ut vita Regum, atque Principum Christianorum ludibrio furiosorum hominum exponatur, *prætextu Religionis neglectæ*, aut quod Papa aliquem Principem excommunicavit; vel Princeps *in articulos Bullæ Cœnæ Domini* impegerit. Quibus de causis *Henricum* III. & IV. Franciæ Reges mactatos fuisse aliàs ostendetur.

Septimo, his accurate ponderatis, relinquitur Doctrinam Cancellarii Parisiensis tum de Ecclesiæ & Concilii authoritate supra Pontificem, tum de Legum humanarum obligatione in Conscientia neque esse temerariam, neque erroneam, neque scandalosam, cùm non tantùm versetur in re opinabili levibus fulta argumentis, sed gravissimis, necessariis, ac evidentibus rationum momentis, necnon etiam Decretis & praxi Ecclesiæ Catholicæ, octingentorum annorum decursu usitata confirmetur: ut historia octo primorum Conciliorum Generalium docuimus. Poro his Articulis me in meis lucubrationibus ità satisfeciisse arbitror, ut sicut aliàs docui, nihil mihi deesse putem, quominus & *naturaliter*, & *moraliter* sim *in Conscientia securus*: præsertim vero, quod semper animo paratus sim quemcumque privatum rectè monentem, nedum *Catholicam Ecclesiam, matrem charissimam*, & *sponsam Christi audire*; cujus rei testes sunt Amici & Familiares mei: Quamobrem nihil superstes, aut vita functus molevolorum, atque hominum obnoxiorum convitia & calumnias coram Deo pertimesco.

FINIS.

VITA
JOANNIS GERSONII,
DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS, EX EJUSDEM OPERIBUS COLLECTA.

ANNO M. DC. VI.

OANNES CHARLIERUS, patrem Arnulphum optimum & Catholicum virum, habuit Gerſonii, quod pagus eſt agri Rhemenſis, non longè à Rhetelio: illum Elizabeta pientiſſima mater, poſt lachrymas & aſſiduas orationes Deo fuſas, die XV. Decembris, Anno M. CCC. LXIII. à Domino impetravit, omnemque operam cum marito, ut piè & liberaliter filius erudiretur, uſqueadeo certè impendit; ut ne quidem anilibus fabellis aut ludicris (quibus puerilis ætas ineptè ſolet adlactari) illum unquam recreari paſſa ſit. Utérque verò parens, nihil quotidie filio tantopere frequentabant, quàm *Omne datum optimum, & omne donum perfectum à patre luminum deſcendere:* unde quoties Charlierus, poma, ficus, nuces, aut crepundia aliqua habere deſiderabat, ea prius orando Deum, ab optimis parentibus emere cogebatur, qui interim filiolo (ipſo orationis æſtu abrepto) de feneſtra aliqua, ſolario, vel camino, quæ petebat, abunde largiri atque effundere, hiſque inſuper verbis illum magis ac magis ad pietatem incendere ſolebant: *Vides, dilecte fili! quàm bonum ſit orare Dominum Deum, qui talia confert orantibus.*

Quamprimùm adoleſcentiam attigit, Lutetiam Pariſiorum profectus, liberalibus artibus, Philoſophiæ, & Theologiæ operam dedit in Collegio Campaniæ, ſeu Navarræ; ubi Petrum de Alliaco, virum & doctiſſimum & illuſtriſſimum (nam ex nobiliſſima Alliacorum familia Picardiæ oriundus erat) præceptorem habuit; qui tum magnus erat Collegii Navarræ moderator, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, & poſtmodum Caroli V. Regis Francorum Confeſſarius; ſacroſancti ſacelli Pariſienſis Theſaurarius; Cameracenſis Epiſcopus, & demum Sanctæ R. E. Cardinalis fuit. Sed ubi ex ſcholæ Pariſienſis conſuetudine, nomen & patriam ſuam in acta Academiæ referre procuravit Charlierus, ei ex natali ſolo agnomen (ſicut antè Roberto de Sorbona, Henrico de Gandavo, & multis aliis viris illuſtribus) inditum fuit à contribulibus; qui deinceps illum *Joannem de Gerſon*, aut *de Gerſonio*, ſemper vocitarunt. At

quàm laboris, frigoris, & inediæ patiens, tam ſomni impatientiſſimus fuit: adeò ut, ſine valetudinis & mentis periculo, vix inſomnem noctem tranſire poſſet, quod ad capitis & cerebri illius amplitudinem referri nec-ne debeat, medici viderint: nunquam porrò minus ſolus, quàm cum ſolus; neque magis actuoſus, quàm cum otioſus erat, ut ipſe teſtatur. Stylum neglectum potiùs, quàm horridum aut aſperum habuiſſe, ejus opera & carmina monſtrant: ſiquidem humanioribus literis, pluſquam ſeculi in quo vivebat infantia pateretur, ſtuduerat; & ſe inter ſcribendum, ornatum omnem contempſiſſe, pluſque prodeſſe quàm delectare voluiſſe narrat; prudenter quidem meo judicio, quia ſi aliter rigido illo ſeculo ſcripſiſſet, à paucis, imò à nullis fuiſſet intellectus. Cæterùm, facilè ex ſequenti poëmatio, quod diebus aliquot antequam mortem obiret conſcripſit (juſta autem eſt apologia, quam pro defenſione carminum, quæ in extrema vitæ periodo uberrimè & piiſſimè cecinit) lector conjiciet, quid ampliùs potuerit Gerſonius.

Vidit livor edax, ut mea carmina,
Deſpexit, nitida veſte carent, ait;
Nec pulchris facies picta coloribus,
Vox eſt rauca, ſonans parum.
Ornatus varios ſi meretricula
Nil virtutis habens, nec ſolidum bonum
Quærit, quis ſtupor eſt? ſat ſibi perplacet
Fallax, alliciens procos;
Fucatos oculos hæc ſtibio gerit,
Comit cæſariem, lubrica conſpici,
Aſſueſcit placidis, blanda, procax, vaga,
Et quos proſtituit necat.
Aſt matrona gravis, caſta, pudicaque;
Cui nativus adeſt, & color, & decus,
Ut proſit ſatagit, ſeria moribus,
Sponſo quod placeat ſtudet,
Totam compoſuit cincta modeſtia;
Cultum net proprium, nent famulæ ſimul,
Non linum neque lanas petit hæc extra,
Solers artifica manu:
Non nequam, petulans, ſubdola, fractáque
Vox, ſed ſuave ſonat, cui rigidus tonus:
Vivax ex oculis cælica lux micat,
Sancta prole beatior:
Frugi menſa ſibi ſplendida, ſobria,

In

In qua psalterio rex David insonat
Hymnos, imparibus quos numeris ligat
Metris, carmen amicius:
Carmen tale cano, sit procul ethnica
Mendax musa, strepat his quibus est Venus,
Aut Mars deliciæ, vanaque numina:
Noster solus amor Iesus.

TANTA autem prudentiæ, virtutis, gravitatis, atque eruditionis Gersonii opinio, Academiam universam pervaserat, ut vix dum, in secundis ordinibus Baccalaureorum Theologiæ consistens, nonnullis cum doctoribus, à Rege Christianissimo, & Academiâ Parisiensi, ad unionem & pacem Ecclesiæ promovendam, Romam legatus fuerit. Et post navatam egregiè operam Theologiæ, primum licentiæ suæ gradum adeptus, laureâ doctorali M. CCC. XCIIII. circa XXXI. ætatis, cohonestatus; & paulò post, ad Academiæ Cancellariatum, & Ecclesiæ Parisiensis canonicatum, favorabili ejurationePetri de Alliaco, præceptoris sui, evectus fuit; tum demum in Ecclesiæ Brugensis decanatum, duce Burgundiæ auctore, adoptatus est.

VERUM, in munere Cancellariatus, *ab omnibus vinculis mundanæ necessitudinis liber esse voluit; quatenus pro veritate*, ut ait, *præparato animo amplius certamen habere posset:* unde nihil reliqui fecit, quo privatim & publicè scholæ Parisiensis disciplinam melius regeret, & omnem ἰδιοδρησίαν, errorumque & novitatum monstra, quasi in horto irriguo succrescentia, debellaret: qua de re priusquam dicere aggredior, venit mihi in mentem mirari, quonam auctore vir doctissimus, fol. 184. sacri sui apparatus, isthæc scripserit, *Joannes Gerson dictus Carlerius, Gallus, Monachus ordinis Cæleſtinorum, & deinceps eorumdem Lugdunensis Monasterii Prior; demum verò Parisiensis Academiæ Cancellarius, &c.* Nam prætèrquam Ecclesiæ, & scholæ Parisiensis consuetudo, indispensabili lege, omnes regulares, decanatu & Cancellariatu Academiæ (*quæ clerica, non regularis est*) semper excluſit, ipsemet Gersonius passim vitæ suæ institutum satis declarat, præsertim in fratris Nicolai (Monachi ordinis Cæleſtinorum) Epicedio, quod fratri Joanni, ejusdem ordinis Monacho, misit:

Monice quem mihi dat fratrem natura sequendum,
Nostri sunt generis quæ monumenta vides.
Arnulpho Charlier, cui nupsit Elizabeth olim,
Gerson origo fuit, advena voce sonans:
Dotavit Deus hos bissena prole, puellæ
Septenæ numero; quinque fuere mares,

Primus,

Primus Theologus, Monachi tres, mortuus alter
Infans, & nupsit filia sola viro.
Frater Petre rapit te mors, & te soror Agnes
Infantes; vivit purus uterque Deo:
Ægra Jabina soror vivens, mala sustinuisti
Fugiter; hinc moriens reddita dona capis.
Chara soror Raulina vale, quæ commeruisti
Consors esse Jesu, cujus eras famula.
Hospita pauperibus & mystica Martha fuisti,
Te vocat inde Jesus, tu Benedicta veni.
Tempora complesti consummatus citò multa,
Frater cordis amor tu Nicolae mei:
Cælos credo equidem tu Cælestinus adisti,
Cælica semper amans, dum peregrinus eras.
Sors lugenda manet nobis, quos vita superstes
Septem servat adhuc, torquet & exilio.

Hos versus, habes in 2. parte operum Gersonii, quibus docemur, Cancellarium fuisse maximum natu, & septem sorores, cum quatuor fratribus habuisse; quorum unus in cunis obiit, tres reliqui Monachi, Joannes quidem & Nicolaus Cælestini fuerunt, tertius Rhemis professus est, ut ex quadam Gersonis Epistola innotescit, qui quidem omnibus sororibus, ut cælibem vitam agerent, auctor fuit: hoc porrò carmine, quinque sorores tantùm de nomine compellat, Agnetem, Jabinam, Raulinam, Martham, Benedictam, duarum autem aliarum nomina silentio obruit.

UT autem ad ejus Cancellariatum revertamur, sæpe de illo abdicando cogitavit, tum quod indignos atque ineptos promovere, tum quod provinciâ hac implicatissimâ, orationem, meditationem, & studia, sæpe deserere cogeretur: veruntamen, quo minus id faceret, Burgundiæ dux (cui se quadam in Epistola omnia post Deum Optim. Max. debere profitetur) semper impedimento fuit.

QUAM salutis, atque eruditionis omnium, & præsertim Scholasticorum, sitiens fuerit, varia ejus opera moralia, & præsertim libellus *de parvulis ad Christum trahendis*, *de arte audiendi confessiones*, *de arte moriendi*, *condendi testamentum*, *de methodo consolandi eos qui sunt in agonia*, & plures alii tractatus, *de absolutione & reservatione casuum* demonstrant; qui Richardo Hallo, doctori Lovanienſi, incentivum fuerunt, ut opus perutile *de quinque partita*, *recta*, *erronea*, *dubia*, *opinabili*, *& scrupulosa conscientia*, edendum curaret; quod quidem, se ex Gersonii opusculis excerpsisse ingenuè fatetur, doletque maximè, tanti viri lucubrationes, magno piorum & Religionis Catholicæ de-

sonius,

trimento, tamdiu in tenebris exoleſcere. Frequens autem habebat in ore Gerſonius, Theologum, *neque monoculum neque moroſum nimis, aut ſcrupuloſum eſſe debere*, quia cum magiſtri in Theologia, lux & regula aliorum habeantur, non populari, ſed juris præſertim divini & naturalis trutina, (cui lux canonica famulatur) examinare debent, ut ille revera omnia ad hanc incudem revocare conſueverat; cujus rei, varias lucubratiunculas, de omnium hominum ſtatu & officio, obſides habemus; in quibus, tanquam omnium debitor factus, omnibus opitulari conatur, & id quidem benignè, conſtanter, abſque aſſentatione, ſpe, aut deſiderio lucri, imò abſque cujuſquam doctoris aut hominis contemptu: quæque morosè nimis, obſcurè, aut univerſim ab aliis ſcripta ſunt, hic facilè, planè, & compendiosè perſtringit; & axiomata univerſalia, ad caſus particulares ita deducit, ut ex hominum animis omnes ſcrupulos & aculeos evellat: neque enim hominibus facilè cœlos claudit, neque cæcam nutrit arrogantiam, ſed ubique mediâ viâ, quæ tutior & certior eſt, incedit. Nam

Pueros affectu paterno amplectitur.
Adoleſcentes ſanctioribus præceptis imbuit.
Gymnaſiorum moderatores, & pædagogos omnes erudit.
Principes, nobiles, & filios Regum, melioribus documentis inſtruit.
Triplicem ſtatum Eccleſiaſticum, Civilem, & Militarem, Reipublicæ perneceſſarium eſſe monſtrat.
Cenſus & vectigalia moderatur.
De legitima Pontificis, Prælatorum, & Principum poteſtate diſputat.
Chriſtianam & Eccleſiaſticam libertatem, ſanctiſſimè propugnat.
Parrochorum & privilegiatorum jura temperat.
Canonum & legum fontes, reſerat.
Conciliorum celebrandorum neceſſitatem declarat.
Modum optimum Eccleſiæ regendæ monſtrat.
Hæreſes & ſchiſmata debellat.
Religioſos pio zelo inflammat.
Confeſſionum ſecretarum arbitris, optima tradit præcepta.
Modum doctrinæ & ſpirituum probandorum deſignat.
Theologiam ſcholaſticam ex diſputationum tricis, ad uſum ſalutarem & myſticum primus erexit.
Quid cuique ætati, ſexui, & vitæ inſtituto conducat, explanavit.
Dominicanorum ordinem Academiæ Pariſienſi probavit, & reconciliavit.
Artem bene moriendi aperuit.

ITAQUE, qui vitæ humanæ finem cum Gerſonii operibus compararit (nunquam enim ſtudia ſua à pietate & bene vivendi ratione, quod caput eſt artis, ſegregabat) valde addubitabit, an cuiquam veterum aut recentiorum

ſit hac in parte poſthabendus; maximè verò, quod *Chriſti jugum leviſſimum atque mitiſſimum; & Euangelium, regalem & perfectæ libertatis legem eſſe* pronunciet: unde etiam inſtitutionum & traditionum humanarum impedimentis (quàm minimè fieri poteſt) Chriſtianos gravandos eſſe publicat, ne conſtitutionum diverſitas, pro decipula ſit: quia ut patrisfamilias, ſic etiam ſapientis eſt legiſlatoris, id omne vitare, quod ſuis ad peccandum occaſionem aliquam præbere poteſt. *Nam ſi Adam vir talis & tantus*, inquit, *unicum diſciplinæ præceptum habens, in illo corruit, nos inter innumerabilia poſiti, qualiter evademus? Vix poteſt imbecillitas noſtra divinas leges, ad numerum parvum, gratuita Dei benignitate reductas, implere; viam igitur obſitam tot ſpinis conſtitutionum ſemet involventium & obumbrantium, quis inoffenſo pede tranſiliet? Scimus quod dixerit Petrus Apoſtolus Actuum 15. Quid tentatis Deum? imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus? Hoc animadvertens, & pia compaſſione deplorans egregius doctor Auguſtinus, ad inquiſitionem Ianuarii, ipſam*, inquit, *religionem noſtram, quàm manifeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationum ſacramentis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam; ſervilibus nos premunt oneribus, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui legalibus ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. Si tuo tempore ſic dolebas, ô ſapiens Auguſtine, quid noſtra tempeſtate dixiſſes! ubi pro varietate & motu capitum, incredibilis eſt varietas, & diſſona multiplicitas onerum hujuſmodi ſervilium, & humanarum, prout loqueris, præſumptionum. Hæc eſt querela, qualem olim apud devotum Bernardum, detulerunt quidam ex monachis, & propter quam compeſcendam, ſicut modo nitimur agere, ſcripſit Volumen pulcherrimum, de præcepto & diſpenſatione, qui liber, huic Operi noſtro pro fundamento ſuppoſitur.* Hactenus Gerſonius, lectione 4. libri de Vita Spirituali: cujus ratio docendi effecit, ut apud omnes doctos ſui ſeculi, nomen Euangelici, & Chriſtianiſſimi Doctoris propterea mereretur, quod Chriſtianos, humanis inſtitutis quàmminimè premendos eſſe doceret.

QUOTIES autem de re aliqua conſulebatur, ſcriptò quàm verbo, & meditatò quàm ex tempore reſpondere malebat; atque ubi divinam, naturalem, Canonicam legem, aut Patres antiquos auctores & vindices deſiderabat, *non tam determinativè*, ut ait, *quàm inquiſitivè & dubitativè* reſpondebat. Totiſque inſuper animi & corporis nervis in id ſtudium incumbebat, ut Theologiæ ſtudioſos, pruritu novitatis ad prava & inutilia abreptos, ad auctorum veterum lectionem revocaret: quia Patres antiqui, quò propiùs à Chriſti & Apoſtolorum ſeculo diſtant, eò perturbationum animi magis ſunt expertes, déque veritate, acrius & candidius quàm nos, motibus animi præpediti, ſentiunt atque judicant.

AT virtutis & patriæ acerrimum fuiſſe propugnatorem, hoc unum demonſtrabit exemplum, ſiquidem Burgundiæ ducem Mœcenatem ſuum, tum juſtiſſimè

simè deseruit, quamprimum novis rebus studere, & Galliam factionibus conturbare perspexit. Joannes Juvenalis Ursinus refert Anno M. CCCC. XIII. quo sex plebeculæ Parisiensis sæviebat in Armeniacos (sic enim perditi, bonos cives vocitabant) Joannem Gersonium (qui propter vitæ sanctimoniam, & crebras conciones, quas frequenter habebat Lutetiæ, magnæ erat auctoritatis apud populum) inter concionandum valde ingemuisse; dixisséque, istiusmodi scelera, quibus se multi certatim nobilitare studebant, hominis etiam in extrema barbaria educati esse indignissima; & tandem aliquando, illorum auctores, severissimam & justissimam Dei manum, publico exemplo experturos. Quæ Cancellarii concio, statim atque ad seditiosorum aures pervenit, concilio habito, sicarios ad virum sanctissimum ablegant, qui in carcerem teterrimum illum compingerent: cujus incœpti nefarij certior à nonnullis factus Gersonius, vitæ suæ fugâ consulere, & (domo cum tota suppellectile, prædæ & expilationibus latronum relictâ) sese intra superiores ædis beatæ Mariæ fornices, per aliquot dies abdere, coactus est: & dehinc, Carolo VI. delirii inducias patiente, vitam exilio mandare, quàm inter Anglos & Burgundiones, Parisiis vivere maluit.

De zelo & pietate, nihil, quàm pauca dicere præstat, quippe cum germanis omnibus, ut religionem Monasticam profiterentur; sororibus verò ut cœlibem vitam ducerent persuaserit: nullaque re alia tantopere lætaretur, quàm si ab aliquo fraternè, &, ut ait, *charitativè* redargueretur: id enim lucro, & mendicitati spirituali deputare, proque assiduo docendi, concionandi, & secretas confessiones audiendi labore, præter spiritualem fructum, & orationes populi atque scholasticorum, nihil quicquam aliud stipendii aut quæstus exposcebat. Hercle quidem, *tota ejus conversatio in cœlis esse videbatur, quia instar Angeli alicujus, nec benedictione nec maledictione movebatur, neque ex ministerio occupationis suæ inferioris, superna unquam deseruit, aut sordes pestiferas contraxit. Non enim formis corporum alliciebatur aut stimulabatur, sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate, perpetuò versabatur, & sicut pravis suspicionibus non inquietabatur, aut minis terrebatur, sic neque gloria turgescere, neque infamiâ ullâ contrahi aut deprimi solebat*: quæ hominis verè mystici & spiritualis signa esse monstrat, divino illo in Opere *de parvulis ad Christum trahendis*. Quid hic mysticam commemorem Theologiam, quam qui attentè revolverit, certè, Gersonium viris Apostolicis, divo præsertim Bernardo (quem unum sibi privatim ad imitandum delegisse videtur) conferendum existimabit: Enimverò, quemadmodum diligens paterfamilias, obvia quæque ad certos usus colligit & seponit; itidem Cancellarius, sic vitam instituerat suam, ut quicquid etiam inter deambulandum haberet obvium, ad meditandum, & animum meliùs erudiendum abripereret:

Cujus diligentiæ exempla, passim in ejus operibus, & nominatim *in Donato de octo partibus orationis*, occurrunt; quem libellum puerilem, ad mysticam scholasticorum institutionem, quam deperibat, in sensum transformavit moralem. Quâ porrò methodo singulos hebdomadæ dies, orando & meditando, ad pensum vitæ spiritualis exigeret, una epistola ad sorores, Deus immortalis! omni genere pietatis refertissima, abundè & planè demonstrat: quique varia ejus opera mystica, ad amussim examinarit; recentiorum molitiones, de vita spirituali, non valde desiderabit: Imò doctissimis & sanctissimis Gersonii libris, ideò postponendas duxerit; quod præ istis, illæ omnino inanes & vacuæ sint: siquidem scholasticam Theologiam, mysticæ subservire voluit, & nihil non gravibus sententiis, & axiomatis theologicis, undequaque egregiè munitum protulit; idque in causa fuit, ut Laurentius Surius, & cæteri, qui Rusbroëchii defensionem susceperunt, summam eruditionem Cancellarii, contra quem faciunt, semper impensè laudare & admirari conentur.

SED hic mihi aliquos videor subaudire & objicere, libros *de potestate Ecclesiastica* non levem maculam Gersonii pietati inurere: bona verba obsecro, certè qui auctoris institutum non malignè detorserit, vel oscitanter perpenderit, contrarium facilè reputabit. An rogo, pontificiæ auctoritati infestus est, qui sanctam S. A. monarchicam, & ita quidem monarchicam esse asserit, ut neque ab Ecclesia unquam tolli, neque in puram Aristocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari possit? atque insuper, Pontificem maximum (tanquam doctrinæ atque unitatis fidei symbolum) sic à Christo dimino institutum probat, ut Ecclesiam, solo principatu monarchico, ab hæreticorum conventiculis, & synagogis Sathanæ, dignosci & secerni; atque solùm Pontificem, Conciliorum generalium convocandorum & comprobandorum, auctoritatem habere demonstret?

AT inquies, librum *de Auferibilitate Papæ* edidit: verum id quidem est, sed attende ad schisma quo bacchante lucubratum fuit, tum omnia bene concordabis. Enimverò Parisiensis Academia, cum duos Antipapas de Ecclesiæ auctoritate sic inter sese colludentes cerneret, ut neque actu neque habitu, uniendæ & concordandæ Ecclesiæ rationem retinerent; postquam ex usitata scholæ consuetudine, multas supplicationes, & sacra de Spiritu sancto, pro Ecclesiæ pace, & schismatum exstirpatione, solemniter habuit, duce Gersonio, frequentia coëgit comitia, quibus primò disputatum fuit:

OMNEM *politiam, rebus necessariis ad sui conservationem, fuisse à Deo instructam: & Christum Dominum Ecclesiæ sponsæ charissimæ, non minùs bene, quàm Civili politiæ consultum; divumque Petrum, quamquam Ecclesiæ princ. pem, Concilio œcumenico, & fraternæ correctioni, propterea subjici voluisse* (*Matth.* 18) *quòd jure divino & naturali repugnet, aliquem propriâ in causa, testem esse aut judicem:*

cem: unde Galatarum 2. Petrus à Paulo redarguitur, eo quod ad veritatem Euangelii non ambulet; hoc est, decretum Concilii Hierosolymitani super legalium abrogatione, minimè observet.

SECUNDO *concluſum fuit, auctoritatem, ſanctitatem & unitatem Eccleſiæ Catholicæ iſthoc ſymboli articulo obſignatam,* CREDO UNAM SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, *&c. non penes Antipapas (qui manibus atque pedibus Eccleſiæ unitatem & concordiam impedire conabantur) ſed tantùm penes eos, qui conſilio, re, & operâ, pacem atque unionem procurarent, reſidere: & proinde, iſtis invitis atque reclamantibus, Concilium unius obedientiæ, ut Gerſonius appellat, indici & cogi poſſe (ut revera habitum fuit) quò & unitas ſarciretur, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, in priſtinam libertatem aſſereretur: quia alioquin, Chriſtum Eccleſiæ defuiſſe in neceſſariis, & Antipapas, ſtatum Monarchicum Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum, poſſe deſtruere oporteret, quod impoſſibile eſt.*

Cæterùm, qui libellum *de auferibilitate*, cum titulo compararit, omniaque benignè examinarit, animadvertet, Tractatum hunc eruditiſſimum, non id velle, quod hæretici cavillantur, aut invidioſum illud lemma præ ſe fert: quoniam Eccleſiæ auctoritatem, *non abſolutè & formaliter; ſed caſualiter tantùm, quoad abuſum, & exercitium*, auctoritati Pontificiæ antecellere demonſtrat Gerſonius.

At forſan dicet aliquis, Pontificem nihilo magis ab Eccleſia, quàm patremfamilias à familia propria, ſuam mutuari facultatem; & proinde Papam nec coërceri nec abdicari poſſe ab Eccleſia, ut Petrus de Luna cauſabatur. Sed quis neſcit patremfamilias, moribus & inſtitutis patriis obſequi debere, & ſi furioſus ſit, rectè ad agnatos deduci; imò verò à propria quoque familia vinciri, & exarmari poſſe? Haud certè aliter, quàm caput & oculus meus (quæ non à me ſed à natura & à parente meo ſunt) ſi fortè fini & inſtituto naturæ adverſentur, à me aut per me uri, vinciri, ferroque ſecari poſſunt. Nam Pontifex Max. caput eſt miniſteriale & analogicum, cui in ordine ad regimen Ariſtocraticum, facultas paſcendi commiſſa eſt; & iccirco, nihil ſua privata, ſed communi Eccleſiæ utilitati ſtatuere, Eccleſiámque inauditam, inconſultam, invitam, aut repugnantem obligare poteſt: quoniam, ut ait Apoſtolus, poteſtas *data eſt ei in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia*: qua de re videndus eſt libellus Articulorum theologicorum contra Petrum de Luna.

Martinus Azpilcueta Navarrus, tractatu de poteſtate laica & Eccleſiaſtica, refert Thomam à Vio Cajetanum, omnium doctiſſimè & ſublimiſſimè contra Gerſonium & ſcholam Pariſienſem ſcripſiſſe, cujus verba hìc lubet adſcribere: *Non eſt*, ait, *conſilium in præſentia definire, cui principalius poteſtas Eccleſiæ fuerit à Chriſto collata? An Eccleſiæ toti, an verò ipſi Petro, propter illam maximam diſcordiam Romanorum & Pariſienſium: illi enim tenent Petro & ſucceſſoribus datam*

esse hanc potestatem, atque ideò Papam, Concilio esse superiorem: Ii verò quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per unum, atque adeò in aliquot saltem casibus Concilium esse suprà Papam: quarum illa, scilicet Romanorum, videtur placuisse sancto Thomæ, & Thomæ à Vio, ubi altiùs omnibus & profundiùs hoc demonstrare conatur. Altera verò, placuit Panormitano, qui pro Parisiensibus est, quem frequentiùs nostri sequuntur, ut tradit Decius Consilio 151. quàm mordicus tuetur Jacobus Almainus è Sorbona Theologus, qui respondit Thomæ à Vio, libello justo; & Joannes Major capite 18. in Matthæum, qui idem facit, ajens Romæ neminem permitti tenere Parisiensium & Panormitani sententiam; nec rursus Academiam illam Parisiensem pati, ut contraria opinio asseratur in ea: quorum utrique videtur replicasse prædictus Thomas à Vio in dicta Apologia. Hæc Navarrus *cap. novit. de judiciis*, ubi non obscurè designat, se Parisiensium placita, velut probabiliora, amplecti: quod fuit in causa, ut justum (brevissimum tamen) Almaini libellum, & Joannis Majoris disputationem *de Ecclesiæ auctoritate*, cum Gersonii operibus edendum curaremus, ut lector videre posset, justè nec ne Cajetanus, Constantiense & Basileense Concilium criminetur, & decreta scholæ Parisiensis, *pura puta somnia, & imaginationes Gersonii* vocitet, cum divina, naturali, & canonicâ lege (quæ veteris Ecclesiæ praxim indicat) ita nitantur ut nullis Cajetani argutiis convelli unquam possint.

SED ut unde digressa est eò redeat nostra oratio, cum Cancellarius Parisien. Antipapas, mutuam sponsionem quam de ejuranda auctoritate Pontificia (pro pace & concordia Ecclesiæ) horribilibus sacramentis firmaverant, nolle implere videret; tantum apud regem Christianissimum effecit atque profecit, ut Imperatorem, omnésque alios principes Catholicos, ad schisma communi studio opprimendum, solicitaret: cujus rei testem Froissardum, cum innumeris Gersonii actionibus, pro Concilio unius obedientiæ, & synodi Constantiensis celebratione, laudare, & sine ulla ostentatione prædicare possumus, unionem Ecclesiæ, post Deum Optim. Maxim. Academiæ Parisiensi, duce Cancellario, potissimùm deberi, ut hac Gersonis icone adumbratur:

Quid Sorbona potest, monstras doctissime Gerso,
Gerso sacro-sanctis luxque decúsque chori.

Enimverò, quàm egregium est ac laudabile facinus, mundum universum, diuturna schismatum consuetudine infatuatum, palámque & publicè docentem, *nihil de unico Pontifice in terris curandum esse (modo unus Papa in cœlo Iesus Christus crederetur)* ad unionem & salutarem concordiam revocasse?

MITTO insuper labores ab Hercule Gallico exantlatos, pro formidabilis hydræ fratris Joannis Parvi expugnatione, quem ducis Burgundiæ beneficiis corruptum, voce & scriptis publicare non puduit, ô perditos hominum mores! tyrannum quemcumque, per nocturnas insidias, etiam à quocumque privato

privato homine, juſtè & laudabiliter trucidari poſſe: qua ſcelerata & furioſa aſſertione, ille nequitiæ magiſter (cum ducis Aurelianenſis necem, à duce Burgundiæ patratam, excuſare moliretur) *quæque hominum retrimenta, in ſacroſanctos Principes armabat: Regum omnium vitam, ſicariorum libidini impunè proſtituebat; & unà, totum Ordinem politicum (in quo bonum & totius Reipublicæ tranquillitas conſiſtit) funditus convellebat.* Hanc peſtiferam opinionem, omnium doctorum ſecularium ſcholæ Pariſienſis hortatu, Epiſcopus Pariſinus (quamquam invitis mendicantibus) *velut hæreticam, & politiæ omnis turbatricem* damnavit: & dehinc Gerſonius (qui pro Rege Chriſtianiſſimo, Academia Pariſienſi, & Senonenſi provincia, in Concilio Conſtantienſi legationem obivit) ut ab univerſali Synodo XV. ſeſſione condemnaretur, non ſine vitæ diſcrimine effecit; qua de re, legendus eſt Dialogus apologeticus, quem pro actis Conſtantienſis Concilii compoſuit.

SCIO quidem non deeſſe aliquos, qui hujus conſtitutionis fidem ideò enervare moliantur; quia decretum illud (inquiunt) *Romano Pontifici Martino V. probatum non inveniant, non Eugenio aut ſucceſſoribus, quorum conſenſu, Conciliorum Eccleſiaſticorum ſanctitas ſtat, præſertim quod non ſine Eccleſiæ motu triplici Pontificum, de ſummo Pontificatu contendentium, Concilium Conſtantienſe celebratum fuerit, etc.* Quibus verbis deſignare volunt, decretum memorabile *de Tyrannis minimè tollendis*, ſolummodo ſanctum fuiſſe à Prælatis, qui Joanni XXIII. favebant & Piſano interfuerant Concilio, & propterea vim œcumenici decreti non poſſe obtinere, cum Benedictus XIII. & Gregorius XII. manibus atque pedibus Conſtantienſi ſemper obſtiterint Concilio.

SED homines docti non vident, auctoritatem & unitatem Eccleſiæ, nihilo magis apud duos Antipapas, quàm hodie apud Lutheranos aut Calviniſtas, habitare potuiſſe; quia illi Antipapæ, præter regulos Apuliæ, Arragoniæ, Scotiæ, & Comitem Armeniaci, nullos erroris ſui fautores habuerunt, & à propriis etiam Cardinalibus, tanquam perfidi & infames, tandem derelicti ſunt, ut hiſtoriæ omnes, & Platina ipſe teſtatur in Gregorio XII. Unde ſi quinquepartito univerſalem Eccleſiam diſtribuerimus, vix quintam partem duobus illis Antipapis hærere, & reliquas quatuor partes Eccleſiæ Catholicæ, Piſanum & Conſtantienſe Concilium, omni ope atque ſtudio auctoraſſe comperiemus: quod ad univerſalis Synodi conſtitutionem plus ſatis eſſe, divina, naturalis, & canonica lex comprobat.

PRÆTEREA, quo paralogiſmo primas ſeſſiones Synodi Conſtantienſis labefactare, eodem quoque, & hæreſim Joannis Wicleſ, 8. ſeſſione damnatam, redivivam ab inferis excitare, & Martini V. electionem confutare conantur: quia, ut de priore priùs dicamus, nebulo ille, multos errores ab Lutheri, Calevini, & Joannis Hus erroribus differentes fovebat, qui alibi damnati

non

ICON PEREGRINI.

non leguntur. Deinde, nihil Eccleſia ampliùs juris habuit, quo Martinum V. eligeret, quàm ut ſeſſiones, & de Tyrannis non tollendis; & de Eccleſiæ auctoritate ſuprà Pontificem maximum erigenda, ſanciret: maximè autem, quod Lex divina & naturalis oſtendant, Monarchiam Eccleſiæ, Concilio œcumenico, velut quodam temperamento & regimine Ariſtocratico, moderari: quod in cauſa fuit, ut D. Jacobus, de omnibus Apoſtolis, non de ſolo Petro, ita loqueretur, Actuum 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis:* ex quo fit, ut Martinus V. niſi inito, ſubducto, & ponderato ſuffragiorum numero, *ſynodicè & conciliariter concludere non potuerit:* quoniam ſolus Papa nihilo magis decretum ſynodale; quàm ſolus dux Venetiarum, Senatuſconſultum, evertere, aut conſtituere poteſt.

ADDAMUS inſuper, ante argutiſſimam Cajetani ſcriptionem, nullum extitiſſe, ne Eugenium quidem IV. Pium aut Julium II. qui Conſtantienſis & Baſilcenſis Concilii auctoritati derogare auderet; ut ex Bulla Julii, ſuper Synodi Lateranenſis convocatione edita, apertè colligi poteſt.

VERUM, ut ad incredibiles Cancellarii labores redeamus, condemnatio propoſitionum fratris Joannis Parvi, tantùm Gerſonio, à duce Burgundiæ odium, & periculum creavit, ut Synodo Conſtantienſi exacta, inſtar alterius Athanaſii aut Chryſoſtomi, in ſpontaneum exilium ſecedere, & vitam potiùs mendicitate ſuſtentare, quàm veritati deeſſe aut Lutetiam Pariſiorum, cruentis Anglorum & Burgundionum molitionibus diſcerptam, redire elegerit: cujus ſuæ peregrinationis picturam, quam proſâ & verſibus adumbrare voluit, hîc tibi exhibendam curavimus.

JOANNES CANCELLARIUS
PARISIENS. GERMANO SUO CHARISSIMO, ORDINIS CÆLESTINORUM MONACHO.

INCLINAVIT *cor meum vel curioſitas, vel vanitas, vel ut piè confido, charitas illius, cui dixit, Cor meum Deus, cordis mei & pars mea Deus in æternum, ut mihi deſcriberem arma ſcutum, & cordis & fidei, qualem militiam mihi neceſſariam & accommodam figuraret prò præſenti vita, quæ teſte Job, eſt militia hominis ſuper terram. Meditatus ſum cum corde meo plurima, tandem aſcendit mens in hunc affectum cordis, ut ſibi ipſi cor alatum & ignitum, ſignatum ſigno Thau aureo, poneret in ætheris ſaphyrini medio, radiantibus illic, aureo colore, Sole, Luna & Stellis; quatenus ego peregrinus & advena*

(sic enim Gerſon interpretatum ſignificat) aſſidua meditatione recordarer verbi cæleſtis peregrini Pauli, Noſtra converſatio in cælis eſt. Nec me prorſus fefellit hæc meditatio cordis, dum illud tu, Domine, dilataſti, dum libero ſibi volatu per ampliſſimos ſacræ ſcripturæ cæleſtes campos, ſpatiari donatum eſt, ubi totiens de corde ſit ſermo vivus & efficax, quæ ad ſenſus nunc allegoricos, nunc morales, nunc anagogicos fructuoſiſſima jocunditate trahi poteſt, ut jugiter inſonet illud Eccleſiæ, SURSUM CORDA. *Hoc tibi Germane ſignificare volui, qui conſors es peregrinationis meæ; tibi mecum & mihi tecum debet eſſe cor unum, & anima una, quatenus ædificationis hujus non ingratæ particeps eſſe velis; quia ſcies, & poteris, cooperante illo, qui cor regis & hominum inclinat, quocumque voluerit, quia finxit ſigillatim corda eorum: In quo bene vale feliciter, & evola. Scriptum Conſtantiæ,* I. *Januarii* M. CCCC. XVI.

Dic precor iſte quis eſt, qui carmina condidit iſta?
Gratia nomen ei, cognomen & advena fecit.
Eſſe peregrinus ſignis erat cognitus aptis,
Caſſidulum dextro fartum dependet ab armo,
Ad latus oppoſitum: celſum caput orbicularis
Pileus obnubit, ſoles quo pellat & imbres
A vultu infeſtos: baculus teres regit artus,
Ferrea cui cuſpis: munitur ſura cothurno:
Scutum læva gerit, ſaphyro, cælóve ſereno
Concolor; hic auro ſeptem radiare planetas
Inſpiceres; medio cor pennatum velut ignis
Emicat, & Thaurutilo ſibi ignat in auro,
Ægide theoſophus hac, hoſtica tela retundit:
Nec caret angelico duce, ſed caro viſibus obſtat:
Sedulus hunc catulus, ut Thobiam, comitatur:
Gerſon origo fuit, dat Cancellarius almo
Luſtris quinque gradus ſtudio tibi Pariſiorum.

VERUM, quod hoc carmine, ſe ex gratia nomen, & ex peregrinatione agnomen traxiſſe indicat, ad Hæbreas voces referendum videtur, quia חנן Joannes, gratioſum vel gratum; & גר Gerſon, advenam aut peregrinum Hæbreis ſignificat: hos autem verſus, in procemio Joſephinæ ſuæ, ad verbum inſeruit, & cum præcedenti epiſtola editi ſunt, anno M. ID. XXCIX. quo quidem, opera Gerſonii, Argentorati arbitror, prelo ſecundùm commiſſa fuerunt.

PRIMO autem exilii ſui veſtibulo, ad montana Bavariæ, in oppido Rhatembergenſi divertit, ubi ad imitationem Boëtii, quatuor libros *de Conſolatione Theologiæ, cum dialogo Apologetico*, actorum à ſe in Synodo Conſtantienſi egens, anguſtiatus, & afflictus compoſuit; anno M. CCCC. XVIII. Nec multò

multò post (nam pater misericordiarum divinam illius virtutem diutiùs latere noluit) in Ducis Austriæ notitiam venit, qui omnia necessaria humaniter Cancellario suppeditavit. Sed post aliquod temporis intervallum, Lugdunum (quod domino Delphino contra Burgundionum factiones favebat) sese (ut Fratris Joannis Monachi ordinis Cælestinorum consuetudine uteretur) contulit; ubi omne suum tempus, orando, meditando, concionando, componendo, & præsertim parvulos in fidei Christianæ rudimentis quotidie informando, impendit: quorum salutem atque eruditionem, qua arte moderaretur, libellus ille *de parvulis ad Christum trahendis*, nunquam satis laudatus, apprimè indicat, cujus Epilogum hic adscribere lubet.

USQUEQUO *parvuli diligitis infantiam, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Venite fidenter, nullæ viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba: communicabimus mutuò bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro. Ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis; imò orabimus pro invicem ut salvemur: sic angelos nostros vicissim lætificabimus, in quorum solemnitate hæc scribo: sic fortè, nec jam fortè, sed certa spe, misericordiam inveniemus apud Patrem nostrum, dum obediemus voci suæ, in accessu nostro ad eum, ego provocando, vos exequendo: nec deerunt piæ gratiæ, & devotionis amplexus in præsenti miseria consolatorii; postmodum gloriæ consummatæ perpetua unitas subsequetur: Ad quam nos omnes, qui spiritu parvuli esse debemus, invitat ipse Jesus, spirituali collocutione & afflatu jugitur inspirans, & dicens: Sinite parvulos venire ad me.*

Hæc pia & religiosa consuetudo, quam cum parvulis toto vitæ suæ decursu habuit Concellarius, effecit, ut cum sibi mortem imminere præsentisceret, omnes parvulos, quos de more in ædem divi Pauli Lugdunensis quotidie ad catechizandum cogere solebat, Deum Optimum Max. pro se in hæc verba orare & coram sacro-sancto altaris sacramento, sæpius iterare & exclamare induxerit: *Mon Dieu, mon Createur, ayez pitié de vostre pauvre serviteur Jean Gerson*, quod Latinè redditur, *Deus meus, Creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Joannis Gersonii*! Hoc ipso quoque tempore, sibi anniversarium fundari & institui procuravit, in æde divi Pauli Lugdunensis.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti primitus invocato: notum sit omnibus quorum interesse poterit, quod anno Domini M. ID. XXVIII. *die* XXI. *Octobris, Nos P. Camerarius. & capitulum Ecclesiæ sancti & gloriosissimi Pauli Lugdunens. concessimus & concedimus per præsentes, ex certis & legitimis causis, venerabili Magistro & domino Joanni de Gerson, sacræ Theologiæ Professori, & Cancellario Parisiens. & sacerdoti Rhemensis diœcesis, Anniversarium panis & vini perpetuum, more solito, per nos annuatim in dicta Ecclesia faciendum & celebrandum, die* XIV. *Decembris, in crastina sanctæ Luciæ: qua die, festum est celebre sancti Nicasii Rhemens. Episcopi: & in tali natus est mundo, & renatus Christo*

prædictus Ioannes, ut dicit, anno M. CCC. LXIII. *Conceſſimus præterea eidem Ioanni liberaliter locum ſepulturæ (in noſtris locis ad hoc deputatis, nec jam occupatis) eligendi pro ſe facultatem: in cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum duximus præſentibus apponendum, anno & die quibus ſuprà,* BENEDICTUS DEUS, *fiat fiat.*

IN HOC etiam tempus, Gerſonii teſtamentum (perpetuum pietatis Cancellarii monimentum) incidit.

TESTAMENTUM QUOTIDIANUM PEREGRINI.

DISPONE *domui tuæ, quia morieris tu, & non vives, Eſai.* 38. *Sicut homo peregrè profecturus in longinquam regionem, ſolet condere teſtamentum, & copiam ſecum ferre, ſic agere nos convenit, qui non habemus hîc civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus: ſit igitur ſub orationis typo quotidianum peregrini teſtamentum.*

PATER, *Ecce poſitus ſum hîc & nunc, velut in articulo mortis, quoniam media vita in morte ſumus: Compareo coram curia miſericordiæ tuæ, cui me ſubmitto jugiter, & adeo cum fiducia thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequar, & gratiam inveniam in auxilio opportuno, dum tempus eſt miſerendi, & hora comparendi.*

DA *continuè mentem ſanam, da pœnitentiam veram, da ſaltem in affectu communionem ſacram, da ſimiliter unctionem ſanctam, da remiſſionem plenam: da Sanctorum, contra poteſtates contrarias, conſolationem; da in exitu vitam æternam.*

ET *quoniam nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc, temporalia temporalibus relinquo, prout ſpecificavero: & revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, precor ad Eccleſiaſticam ſepulturam: & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* DOMINE JESU, SUSCIPE SPIRITUM MEUM.

Iſthuc quoque ſequens referri debet epiſtola ſuper librorum ſuorum teſtamento, quam ad Cæleſtinos Avinionenſes miſit.

VENERABILIBUS PATRIBUS ET FRATRIBUS CÆLESTINIS, JOANNES DE GERSON SACERDOS, SACRÆ Theologiæ profeſſor, gratia & pax.

THESAURIZATE *vobis theſauros in cælo, dicit cæleſtis noſter Doctor Chriſtus: eſt autem ſapientia theſaurus infinitus hominibus, quo qui uſi ſunt, participes effecti ſunt amicitiæ illius: repræſentant hanc ſapientiam, & docent inſtrumentaliter libri ſacri.*

PROPTEREA, *diſpoſui in ſenectute mea theſaurizare, juxta paupertatulam meam*

meam de libris ſalutaribus. Viſum eſt autem mihi commodiùs in Cæleſtinis, velut in quibuſdam cælis, aut cæleſtibus habitaculis, theſaurum hunc reponere: maximè, quia duos in illa religione germanos habui profeſſos.

SUSCIPIAT *igitur propoſitum meum cum bona gratia, devotio veſtra (patres & fratres chariſſimi, re vocéque cæleſtes): Sit theſaurus iſte perexiguus (dum venerit ad manus veſtras) cuſtodiendus in ſacro conventu veſtro apud Avinionem, non quidem alienandus, ſed nec prorſus abſcondendus, imò communicandus hinc & inde, prout ſuperioris, induſtria judicabit: Ita tamen quod ſemper tandem recolligatur ſub propria clave, vel armariolo, ad hoc ipſum ſpecialiter inſtituto.*

DENIQUE, *nomina librorum & tractatuum, tam ab aliis quàm à me compoſitorum diſpoſui colligere in ſpeciali ſchedula, Domino concedente, ad quem effundite preces pro mea finali ſalute, in gratia & gloria ſempiterna.*

SCRIPTUM *Lugduni, anno gratiæ*, M. I D. XXVIII. *in Novembri, anno ætatis dierum vitæ peregrinationis meæ (qui parvi ſunt & mali,)* LXV. *& incipiet* LXVI. *annus, die* XIV. *Decembris, in feſto ſancti Nicaſii Rhemenſ. qua natus & renatus in Domino Jeſu Chriſto, in quo det idem ipſe nos omnes bene mori. Amen.*

HÆC epiſtola, duo nos ſigillatim docet: primum, antè typographiam inventam, bibliothecas fidei & integritati veterum monachorum commendatas fuiſſe, qui ſumma Dei providentia, libros omnes antiquos, integros, intemeratos & minimè caſtratos ad hæc tempora tranſmiſerunt: qua de re, legendus eſt eruditiſſimus liber *de laude ſcriptorum*, quem, velut ſervum atrienſem, cæteris operibus Gerſonii, veteres meritò præmittendum cenſuerunt. Secundum eſt, D. Gerſonem, diem ſui exitus certò præſenſiſſe, ut ſequentia apertiùs adhuc declarant: Nam paulò antequam è vivis excederet Carthuſianis, quibuſcum maximam ſemper habuit neceſſitudinem, ſcripſit, ut quæ illi ſuffragia poſt obitum ſuum pollicebantur, ſe adhuc in vivis agente, ſic anticiparent, quatenus (ut in gratia Dei moreretur) à Deo impetrare valeret.

FACITE *vobis amicos, docet hoc amator hominum Ieſus, ſubdens cauſam finalem, ut, inquit, recipiant vos in æterna tabernacula: Cauſam verò materialem tangit, eſſe mammona iniquitatis, non quin illa cauſa ſit potior, quæ de materia venit æquitatis, qualis eſt charitas gratuita, qualem vos, honorandi Patres & Domini, concedere placuit pridem mihi villico inutili, qui fodere non valeo, ſed certè mendicare non erubeſco, cum illo qui dicit, Ego autem mendicus ſum & pauper. Eſt itaque mihi pro copia, pro divitiis, & opibus, ſpiritualis mendicitas, prout dudum ſororibus ſcribens latè ſatis expoſui. Et quoniam poſuit in mendicitatis meæ ſacculo, imò ſacco permaximo, & inani, largitionem liberalem, & grandem (de participatione bonorum ſpiritualium preciosi perdivitiſque ordinis veſtri) benevolentiſſima charitas veſtra; venit in cor meum fiducia petendi qualemcumque accelerationem, me vivente, ſuffragiorum illorum, quæ poſt obitum ſunt oblata.*

MOVET *me consideratio præcipua, quatenus impetrent spirituales amici, vivere & mori me in gratia Dei, non quin oretur Deus, ut transeat à me calix purgatoriæ pœnalitatis (si possibile est secundum ordinem divinæ voluntatis) sed quod planè mihi gratia Dei adsit, & comitetur vitam, & obitum meum, qua deficiente, nulla esset ulterius redemptio.*

MOVET *altera consideratio, quia videtur facilior pro patribus & dominis, paulativa quasi per tempus & tempora distributio suffragiorum, quàm statim post obitum continuata solutio. Denique justorum assidua deprecatio, proderit spero mihi ad meritum proprium cumulandum in via, qualiter esse non poterit extra viam, quæ mersti nullius statum habet.*

ROGO *igitur patres in Christo, & fratres charissimi, ut charitas vestra in me magis abundet, ut in æterna tabernacula vobiscum recipiar. fiat fiat. Scriptum Lugd. vester alumnus in Christo Ioannes de Gerson Theologiæ professor indignus, & Parisiens. Cancellarius.*

CÆTERUM die XII. Julii, anno M. ID. XXXIX. ætatis LXVI. tribus diebus, postquam manum extremam commentariis in Cantica Canticorum imposuit (quodipsum etiam Bernardo, Thomæ Aquinati; & multis aliis viris sanctissimis antè contigerat) viam universæ carnis, inter orandum, ingressus est, idque, cum aliquot ante mensibus innumera Cantica & carmina spiritualia, instar divini alicujus vatis, sanctissimè ceciniisset.

SEPULTUS fuit in æde divi Pauli Lugdunensis, hócque divinum Christi proloquium, *Pœnitemini & credite Euangelio*, quod inter concionandum frequenter in ore habebat (summam enim omnium quæ sunt ad salutem necessaria complectitur) ejus tumulo, cum sequenti epigrammate inscriptum est.

EPITAPHIUM IN CIRCUMFERENTIA SEPULCRI, ET IN TABULA MURO APPENSA, JUXTA arma Gersonii, exsculptum.

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem,
Præcelsum meritis, Gerson cognomine dictum,
Parisiis sacræ professor Theologiæ:
Claruit Ecclesiæ, qui Cancellarius; anno
Milleno Domini, centum quater atque vigeno
Nono; luce petit superos Iulii duodena.

AB eo autem die quo mortem obiit, pro divo semper & cultus & habitus est ab omnibus, uti epistolæ sequentes declarant.

VENE-

VENERABILI PATRI, FRATRI JOANNI DE GERSON, PRIORI CÆLESTINORUM LUGDUNENSIUM, in omnibus ſingulariſſimo.

VENERABILIS *pater, recommandatione præmiſſa, in eo qui abſtergit omnem lacrymam ab oculis ſuorum: margaritam hîc nuper in Eccleſia eminentiùs rutilantem, in vigilia Margaretæ virginis, ejus glorioſæ hoſpitis, deſcribitis migraſſe: Margarita eſſe concupierat, dum adhuc tenera & juvenili carne tegeretur: & margaritam inveniens, vendidit omnia quæ in carnis deſideriis habuit, vel habere potuit, ut emeret agrum illum, cujus jam piè credimus eum beatum eſſe poſſeſſorem. Altera, ſi non fallor, repromiſſio Patriarchæ noſtro Abrahæ facta à Deo (venerabilis Pater) vobis conceſſa eſt; ille namque Deo patri carnem ſuam in unico filio immolans, Angelum, ne jugulare filium admitteret, invenit; Vos verò, Deo ſimiliter patri omnipotenti carnem propriam in unico germano * (committo te, inquit, omnipotenti Deo, chariſſime frater) ne jugulum Sathanæ inveniret, angelum, ut piè credo, Dei invenit. Et cum altera Margareta virgine, ejus patrona & hoſpita, lucidas ſedes accepit: Conveniebat namque mens ejus devota, Margaretæ virginis votis: illa draconem vicit, & crepuit victus; iſte ſimiliter vicit tortuoſum ſerpentem, & ab eo ſuperatus remanſit confuſus: illa crudelitatem Olibrii ſuperavit; iſte Olibrias veſtes, ut legalem ſequar ſapientiam, omnino deſpexit: noverat enim plenè noſter pius pater, quod qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt, dixiſſéque libeat, poſt tantos ſeculi hujus honores, ubi primus pater almæ Univerſitatis Pariſienſis, re & nomine ac merito exiſtebat (quæ inter cæteras univerſitates ſicut ſydus radiat matutinum) ubi tantis rerum copiis, & beneficiorum valoribus abundabat, pro veritate longum paſſus exilium, etiam interdum in lingua quam non noverat: apoſtolica fretus doctrina, ſcivit ſimul abundare & indigere, viciſſeque vitia, & ſervaſſe virtutes, confutaſſe hæreſes, & exaltaſſe veritates, in Chriſtique glorioſa confeſſione; & ſua peregrinatione devotè obiiſſe; martyrio non carere videtur: multos namque ſanctos legimus, & in catalogo Martyrum deſcribimus, qui ſoli paſſi ſunt exilia. Quod ſi lucidas ſedes accipiens, concivis cæleſtis effectus eſt (quia gaudium eſt Angelis de loco prævaricationum animas ex carne aſſumi ſuæ civitatis conſortes) vos pater venerande, qui re & nomine Cæleſtinus eſtis, & cujus converſatio in cælis eſt, non dicam panem, quod corroborat & confirmat cor hominis, cum fletu miſcere, ſed fletus in gaudia & riſus omnino commutare debetis. Nec illud vos moveat, ſemper colende pater, quod nodoſas diſſolvebat quæſtiones, & in hoc vobiſcum conveniam, quod poſt ſe non reliquit ſimilem ſibi ſed in agro ſemper proficiens dominico, inceſſabili calamo ſcribens, poſteris ambiguitates plurimas ſubmovit, & ſcripta ſua revolventium men-*

tes

tes elevavit, & per acumen sui eminentis igenii, tenebras fugavit: suus utique eram, & quoad vivam vobis placebo, ipso auctore; qui omnium est salus, in quo bene diu vos valere peropto. Scriptum Ternandi, die XVII. *Julii.*

A. ARCHIEPISCOPUS LUGDUNENSIS.

CHRISTOPHORUS, DEI GRATIA BASILEENSIS EPISCOPUS, VENERABILIBUS ET CIRCUMSPECTIS dominis, Decano, totíque Capitulo insignis Ecclesiæ Lugdunensis, amicis nobis plurimùm dilectis.

AMICABILI *salutatione præmissa, Venerandi viri, Amicíque charissimi, quoniam à multis annis, doctrinæ & scriptis Magistri Ioannis Gerson, singulariter affecti fuimus; in eisdémque legendis, usque hodie plurimùm delectamur (quod nobis solidus, Ecclesiæ utilis, & omni statui consolatorius visus est) desideramus vehementer certiores reddi, de quodam rumore, qui apud nos pridem, haud ex futili auctore, personuit; eundem Ioannem Gerson, apud vos, in Ecclesia divi Pauli Lugdunensis sepultum, multis & magnis claréscere miraculis, populique concursu cum celebritate frequentari: Rogamus in Domino, ut cum ad famam ipsam, vestræ quoque fidei & auctoritatis testimonium accesserit, non solùm nos ipsi, ingenti gaudio repleri, sed & cæteris multis hujus sapientissimi & integerrimi patris amatoribus, solatium & voluptatem afferre possimus, qui & unà nobiscum Dominum Deum glorificaturi sunt, quod vitam & doctrinam tanti támque digni viri, signis & miraculis illustrare tandem dignatus est. Facietis nobis rem gratissimam, nostris obsequiis, oblata opportunitate, compensandam. Relatum est etiam ad nos, quemdam doctorem ordinis Carmelitarum, Confessorem Regis Franciæ, carmina in laudem Ioannis Gerson edidisse, & ea ad ejus sepulchrum appensa esse, eundémque Carmelitam, antea hujus Ioannis Gerson contemptorem, quadam quasi miraculosa muli (cui insedit) rebellione, in crure & lateribus attritum, divinam sensisse vindictam. Item quod depingatur imago Ioannis Gerson, instar Alberti Magni cum radiis solaribus in capite, sine tamen diademate, in cappa doctorali, & corde in manu sinistra, quódque dexteram levet dicens,* SURSUM CORDA. *De his certificemur, & métra nobis rescribantur, atque ipsa imago depingatur. Valete in Domino, ex civitate nostra Basileensi, Anno* M. D. IV.

RE-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO CHRISTOPHORO, DEI GRATIA BASILEENSI Episcopo, vestræ paternitatis servitores, quanti sunt Canonici & Capitulum Ecclesiæ Lugdunensis, reverentiam & debitam, & devotam cum salute plurima dicunt & optant.

REVERENDISSIMÆ *Dominationis vestræ epistolam, magna devotione, & tersa facundia refertam accepimus: vidimus & legimus quod Divi Joannis Gerson doctrinam, solidam, omni statui consentaneam, affectu maximo complectimini, in eáque hactenus legenda, sancta voluptate tenemini, dignissimi & optimi Antistitis (& qui de literaria doctoris sancti sapientia bene sentiat) officium habetis: Est profectò ejus doctrina, sana, clara, salubris, & devota, & inter cæteras, ad pellendos animi morbos aptissima, usque adeò, ut jam* Christianissimus doctor *Divus Gerson passim nominetur. Erectum est in Ecclesia sancti Pauli Lugdunensis, in Divi Joannis Gerson decus & laudem, devotum sacellum, ubi super altare ejus, imago depicta est, magnúsque populi concursus, pro obtinenda ope divina affluit, & plurimi se adjuvari beati Ioannis Gerson precibus prædicant & fatentur. Ista est quæ apud nos vulgatur de Divo Gerson clara & celebris fama. Scribit insuper Reverendissima dominatio vestra, quod frater Laurentius Theologus doctor Parisiensis, ordinis Carmelitarum, aliqua carmina in beati Joannis Gerson laudem scripsit, quæ altari suo juncta sunt: hoc habete, dignissime Pontifex, quod præfatus frater, nunc Episcopus Sistarienſis, Regis Confessor, per sex quadrageſimas, & annos plurimos, coram Regibus, & clero, & populo, Lugduni prædicavit; nomenque et virtutum præstantiam dotes, et doctrinam olim Joannis Gerson semper commendavit; et Regem Carolum, ut Capellam ædificaret, suo suasu impulit, nec doctrinæ nec vitæ illius contemptor fuit unquam: quinimò, omni ingenio, studio, industria, et labore, apud Christianissimum Regem dat operam, ut habita sufficienti formatione de vita, moribus, patientia, et doctrina, inter divos canonizatus adscribatur. Is ad vestram Reverendissimam dominationem, literas cum suis carminibus, humilis et devotus, et vestræ Reverendissimæ dominationi deditissimus, destinabit: nec cervice, nec latere attritus est, sed è mulo lapsus, illæsus permansit, invocato prius divi Joannis Gerson auxilio: imaginem ejus, et cætera, quæ vestræ Reverendissimæ dominationi devotionem augeant, mittimus, facturi ea omnia, quæ vestra Reverendissima dominatio jusserit, auspice Jesu Christo, qui ad utilitatem Ecclesiæ, vestram Reverendissimam dominationem conservet, tueatur, augeat, et protegat. Amem. Ex Lugduno* XXII. *Februarii*, M. D. IIII.

QUANTUM ad Gersonii opera attinet, magnam profectò gratiam habere


image
not
available

JOANNIS DE GERSON,

CANCELLARII PARISIENSIS COMPENDIOSA LAUS, A PETRO SCHOTTO ARGENTORATENSI, hortatu Joannis Geileri Keisersbergii, illic concionatoris elucubrata, anno M. ID. XXC IX.

IOANNEM de Gerſon, Pariſienſis quondam ſtudii Cancellarium, ſi quis *Doctorem Chriſtianiſſimum* vocet, is certè videbitur ejus merito ac dignitati, non impertinens nomen, indecentémve titulum attribuiſſe. Si enim author Chriſtiani nominis Chriſtus, finem & conſummationem legis ſuæ, dilectionem conſtituit; ſi lene, & ſacramentis paucis adſtrictum jugum, poſteris ſuis impoſuit, ſi Phariſaicum illud paternarum traditionum onus, à ſuorum humeris excuſſit; quis obſecro inter doctores legis hujus, Chriſtiani agnominationem juſtiùs ſortietur Joanne de Gerſon? qui operoſa & pia induſtria, per omnem ætatem in literis ſacris verſatus, omne ſtudium in id contulit, ei ſoli operam impendit, ut Chriſtianis (qui ſuccedentibus ſubinde, multiplicatiſque præceptis hominum, ac innumera vivendi varietate propoſita, inextricabili ferme conſcientiæ labyrintho circumerrare viderentur) egrediendi ex hoc, callem, nutumque faceret, & planam, ſecuram, ac regiam dilectionis Chriſtianæ viam luculentiſſimè demonſtraret? Planè ſi quis fortè dubitantior de hoc fuerit, huic nulla probatio certiùs perſuadebit, ut quæ præmiſſa ſunt credat, quàm ſi ſæpe & attentè legat, quæ plurima poſt ſe reliquit Cancellarius ingenii ac doctrinæ ſuæ monimenta: inveniet etenim non hærentem in curioſis ambagibus, non vanâ ſubtilium oſtentatione ſolicitum, neque affectatione exquiſitæ novitatis turgentem, ſed his inſiſtentem tantummodo, quæ cognitu neceſſaria, & opere ſalubria in priſcis doctoribus deprehendebat. Quæ profectò ad uſum noſtrorum temporum, & ad mores, in quibus Chriſtiana verſatur reſpublica, tam ſcitè applicuit & accommodavit, ut nihil clarius, nihil certius homines noſtri legere poſſint, per quod ab hac miſera perplexitate, tum in multis aliis, tum præſertim in varietate legum humanarum (quæ nunc obligantes, nunc abolitæ aſſeruntur, nonnunquam vertuntur in dubium) ſeſe tutò queant evolvere. Unde factum eſt, ut qui ſoli utilitati proximi ſcribendo ſtuderet, nulla affectione privata alicujus è doctoribus, qui eum præceſſerant, ſingulariter duceretur. Quamvis enim ex his qui celebres erant, neminem ignoraverit, eorum tamen quos non reſpuit Eccleſia, nec aliquem uſquequaque refutavit, nec cuiquam ſeſe ubilibet obnoxium

constituit imitatorem; sed velut apis argumentosa, singulorum depastus dulcorem, ex eo potissimè sapiebat, qui naturalem aut divinam legem synceriùs redoleret, & favum perspicuum, ornatissimum, suavissimúmque inde contexebat. Longè profectò alienus ab eorum sensu, qui doctorem favore probant, & quibus non tam perspecta veritas, quàm ejusdem professionis conjunctio, sectandi alicujus necessitatem imponit; hæc quidem in scholastica Theologia: in mystica verò, quæ ita est Christianorum, ut (auctore Dionysio) solis sit Christianis concessa, quantus fuerit Joannes de Gerson, quàm clarus, quàm copiosus, quàm justè Christiani agnomen promeruerit, ex scriptis suis adverti manifestissimè potest: Studiosè siquidem curavit, quemadmodum de seipso pluribus in locis testatur, Theologiam mysticam cum scholastica concordare, vel quod ostenderet scholasticis doctrinis illam non esse adversam, vel quod omnes qui crudis solummodo speculationibus Deum investigant, ad experimentalem ejus gustum invitaret, ad quem scilicet, tanquam ad margaritam pretiosam, & futuræ beatitudinis prælibationem, omnes Christianæ perfectionis avidos anhelare docebat; eò certè efficaciùs, quo & ipse non modo doctus verbo, sed & usu peritus in ea re fuerat. Nisi enim gustasset quàm suavis est Dominus, nunquam tale aliquid, (quod meliùs percipi quàm dici potest) tam dilucidè, tam signatè, tàmque copiosè, declarare potuisset. Nec mirum sanè. Nam ut de vita quoque sua nonnihil afferatur, ab ineunte ætate per parentes ad Dei amorem allectus extitit, quos ipsos, pietate in Deum non mediocri arsisse indicio sunt liberi ferè omnes Deo dicati. Mox traditus bonis artibus, in Parisiensi Gymnasio, ita se exercuit, ut proficiente cum tempore peritia & integritate, omnium illic Theologiam profitentium, tempore suo longè eminentissimus haberetur & esset. Singularis profectò gloria, vicisse Parisienses in eo, in quo ipsi cæteris studiis omnibus semper præstitissent. Verùm multò laus amplior, & immensum ferè præconium ejus, ab his consurgit, quorum adhuc ne meminimus quidem: quæ quia illustriorem dicendi ornatum deposcunt, aliis, & alii loco duximus reservanda. Quis enim brevibus complecti posset accuratissimam prudentiam, laborem fortissimum, modestissima consilia, ferventissimum zelum, quem indefessus adhibuit, pro sedando & uniendo illo turbulentissimo schismate, quo ætas illa quatiebatur? Quis legationes suas, mira gravitate & peritia obitas, satis dignè commemorare posset, quas pro Francorum Rege, Ecclesia Gallicana, & Universitate Parisiensi, tum plerúmque aliàs, tum præcipuè apud celeberrimum illud Christiani populi generale Concilium Constantiense, graviter administravit? Illic etenim diligentia incredibili, sanissima doctrina, & vehementissima vi dicendi, quibus patres movit, confirmavit, & quid facto opus esset, apertissimè monstravit: tantùm effecit pro communi pacis (quæ à tota Christiana republica exulabat) reconciliatione,

ut

ut non minùs neceſſarius fuiſſe videatur, illi ſuæ calamitoſæ tempeſtati, quàm olim glorioſiſſimus doctor Auguſtinus ætati ſuæ, Pelagianorum hæreſi contaminatæ. Extant & Tractatus, & orationes ejus in eam rem plurimæ, quo minùs neceſſe ſit adducere multa ad hæc comprobanda : Quare ſilentio prætereantur reliqua, ſi uno perſuaſum fuerit, Joannem de Gerſon, evidentiſſimo intuitu veritatem perſpexiſſe, & non minori conſtantiâ ac fortitudine perſpectam, tutatum fuiſſe. Ad eam ſiquidem ſenſuum puritatem, & ſimplificationem cordis devenerat, ut velut è ſereno pacatoque aëre, deſpicere & contueri valeret omnia, quæ ſub ſe turbida paſſionibus, & ignorantiæ nube obducta, in cæteris agebantur. Itaque expeditiſſimus & reſolutiſſimus erat in vero cognoſcendo; in defendendo autem quàm firmus, quàm imperterritus fuerit, vel hoc unum argumento nobis ſit, quod poſt graviſſimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatum fidei, & præceptorum Dei, coram ſacro-ſancto Concilio certaverat, principis etiam potentiſſimi odium non veritus, velut alter Chryſoſtomus, aut Athanaſius, ipſum tandem exilium moleſtiſſimum perpeti non detrectavit. O virum verè Chriſtianum! O temporum noſtrorum perditiſſimorum ſingulare ſydus! Tu eam quam à ſe pellunt cæteri veritatem, etiam in exilio perquiris! Tu teipſum injuriâ & contemptu mavis affici, quàm veritatem exulare! Tu verè ſecundum nomen tuum, laudem tibi paras! Gerſon enim advenam ſignificat: Tu ipſius Chriſti, qui ut veritati teſtimonium daret, nullum tormentorum genus expavit, cum re & facto fueris imitator, cur non meritò tuo maximo, ejus cognominationem adipiſcaris? Quamobrem honorentur doctores alii quiſque epitheto ſuo: dicatur hic ſanctus, ille Seraphicus, magnus iſte, irrefragabilis alter, ſubtilis, ſolemnis, illuminatus, vel quicquid tale pro merito ſuo quiſque vocitetur. Juſtè quidem & bene, ſunt etenim: liceat obſecro Joannem quoque de Gerſon non fraudari laude ſua, liceat *Chriſtianus doctor* appelletur, is cujus primo doctrina ad Chriſti meras traditiones, omnem noſtram aſſertionem contendit metiri. Cujus deinde ſtudium, primariæ Chriſti operationi (propter quam in mundum venerat, teſtimonio ſcilicet veritatis) intentiſſimè fuit addictum. Cujus poſtrema vitæ concluſio, tanta Anagogicæ, & veræ Chriſtianæ contemplationis dulcedine, & amore flagravit, ut velut Cygnus, modulato canticorum carmine, mortem ſuſcipiens, in fœlicem familiam Chriſti (quem docuerat, pro quo certaverat, & quem totis viſceribus deſideraverat) non immeritò, in æterna beatitudine receptus eſſe credatur.

PLURA poſſent alia in laudem hujus Chriſtiani doctoris annecti, quorum aliqua ex epiſtolis Archiepiſcopi Lugdunenſis, & fratris ſui Prioris Cæleſtinorum concipi poſſunt, quæ ad finem hujus operis habentur. Verùm paſſim plurima ſeſe objicient, laude & honore digna, ſtudioſis ſcriptorum ejus, è quibus

& hæc pauca quæ præmissa sunt, clarius intelligi possunt. Hujus itaque utilissimi doctoris tractatus & opera, quotquot colligi potuerunt, etiam non sine singulari labore, in hoc volumine castigatè admodum impressa fuerunt. Quod tribus sanè partibus, si cui libuerit, poterit secerni: Earum prima, continet ea quæ & fidem & Ecclesiæ regimen, & errores circa illa concernunt. Secunda, complectitur ea quæ ad morales traditiones pertinent. Tertia, mysticæ Theologiæ accommodata subjungit. Hunc autem partium ordinem, non esse incongruum, sed scripturæ sacræ prorsus convenientem, apertè intelliget, si quis Bonaventuram, in libello de reductione artium ad Theologiam, in quarto volumine, leget. Inter hæc autem opera, licet nonnulla sint, quæ Joannis de Gerson non esse verisimilius sit, ut est Tractatus contra proprietarios sancti Augustini, Compendium Theologiæ, Sermo de Conceptione, & si qui plures reperiantur, tamen quia author alius non patebat, ideo loco suo perstiterunt. Alii autem tractatus, qui Gersonio nonnunquam tribuuntur, & tamen auctorem certum habent (ut est libellus de contemptu mundi, quem constat à quodam Thoma, Canonico regulari, editum, & alii plures) non his sunt operibus inserti: Verùm, nonnulli ad finem operis, propter conformitatem materiarum subjuncti.

EPITOMA VITÆ JOANNIS GERSON.

ANNO salutis M. CCC. LXIII. natus est Joannes Gerson, in pago ejusdem nominis, diœcesis Rhemensis, ex honestissimis devotissimisque parentibus, patre Arnulpho Charlier, & matre Elizabeth, qui ab ineunte ætate, ad Dei amorem illum solicitè induxerunt, móxque tradiderunt bonis artibus in Parisiensi Gymnasio instituendum. Deinde, ipse convolavit ad studium legis divinæ sacrarúnque literarum, in quibus ita seipsum exercuit, ut brevi tempore, omnes illic Theologiam profitentes, longè superaret, servata semper morum integritate: in laboribus enim fortis, in consilio prudens & modestus, in zelo ferventissimus erat: quotiens legationis munus in causis fidei & Christianæ legis obibat, mira peritia usus est & gravitate. Incrementum & decorem regni Franciæ, sicut alter Leodegarius, apprimè dilexit. Contra schisma periculosissimum, utilissima multa non solùm scripsit, sed etiam diligentia incredibili & vehementissima vi dicendi, ad communem Ecclesiæ pacem reverendissimos & amplissimos patres in Concilio Constantiensi movit & induxit. In cognoscendo verò expeditissimus erat, in defen-

defendendo firmus & imperterritus, adeo ut, pro ipſa ſancta & Chriſtiana veritate tutanda, potentiſſimum Principem non metuerit: tandémque in Germaniam pulſus, exilium, velut alter Chryſoſtomus aut Athanaſius, patientiſſimè perpeſſus ſit. Et quia ſciebat jugum domini ſuave eſſe, onúſque ejus leve, conatus eſt omnia præcepta, omnéſque conſtitutiones humanas, quantumvis graves & numeroſas (quo tolerabiliores eſſent) ad Chriſti legem referre, unde & non indignè Chriſtianiſſimi doctoris meruit habere cognomen. Neque enim inhærebat curioſis ſpeculationum ambagibus, nec circa vanam ſubtilitatum oſtentationem ſolicitus, nec in novitatibus adinveniendis turgidus fuit. Verſabatur autem in his ſtudiis, quæ ad Dei laudem, ad fidei robur, ad plantandam Eccleſiam, ad conſcientiæ pacem, ad conſolandos puſillanimes, ad morum ædificationem, ad animarum ſalutem, utilia & neceſſaria eſſe videbantur: & quia utilitati proximorum, & toto corde inſerviebat, nullius privati commodi affectione ductus, abſque aſſentatione, & abſque contemptu cujuſcumque doctoris, qui eum præceſſerat, veritatem docuit, verum non adulterans verbum Dei, ſed ex ſynceritate prædicavit, & in monumentis poſt ſe plurima reliquit, quæ omnium ſtatuum hominibus, quæ confeſſoribus, quæ ſeminiverbiis, quæ Eccleſiarum Curatis, quæ viris quoque contemplativis, vehementer conducunt. Nam & in myſticæ Theologiæ & affectivæ traditione, clarus fuit & copioſus. Theologos etiam ſpeculativos, qui crudis ſolummodo ſpeculationibus, & clamoſis quæſtionum diſputationibus, vel Deum inveſtigant, vel de Deo diſceptant, ad experimentalem ejus guſtum invitabat, quippe qui, prius guſtaverat, quàm ſuavis ſit Dominus. Atque ita in Chriſtianæ contemplationis dulcedine, meditando, & ſuper Cantica Salomonis ſcribendo, in vitæ ſuæ finem perſiſtens, poſt multos labores Eccleſiæ Dei utiliſſimos, poſt ferventiſſimum animarum zelum, poſtque exilium, in fœlicem familiam Chriſti, quem docuerat, pro quo certaverat, quem totis viſceribus deſideraverat, in æterna beatitudine creditur eſſe receptus. Obiit autem anno Chriſti M. CCCC. XXIX. die Julii XII. Sepultus Lugduni in Eccleſia ſancti Pauli; inque lapide ipſius membris ſuprapoſito hæc verba leguntur: *Pœnitemini & credite Euangelio.* Ubi hodie magnis miraculorum beneficiis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuum famulum illuſtrare, ejuſque ſanctitatati clementer atteſtari dignatur, cui ſit honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

Hæc Epitoma vitæ Cancellarii, excerpta eſt ex bibliotheca Collegii Navarræ, tomo primo operum Gerſonii, Baſileæ edito, Anno M. D. XVIII.

JOAN-

JOANNES CHARLIERUS DE GERSON IN TUMULO GLORIOSUS.

Juxta exemplar Lugduni editum.

AD LECTOREM.

NOn injucundum tibi fore, Lector, arbitratus ſum, ſi huic Gerſonianæ Apologiæ *adjicerem inventi ejus corporis narrationem à* Stephano Berney *oculato teſte editam; ſanam* Gerſonis *Doctrinam ac fidem doctiſſime defendit* Richerius; *ejus pietatem imo ſanctitatem miraculis non paucis Deus noſtris diebus comprobavit. Meum ergo eſſe duxi, poſt Richerii librum qui antehac ineditus neſcio quo fato in manus meas inciderat, tibi ſine invidia communicatum, alterum etiam hoc Opusculum, jam quidem Lugduni impreſſum, ſed paucioribus tamen cognitum publici juris facere; ut ab omnibus honoretur quem ſic voluit Dominus honorari, confidatque Eccleſia habere ſe interceſſorem in cœlis quem in terris habuit acerrimum unitatis, veritatis ac diſciplinæ ſuæ defenſorem.*

STE.

STEPHANI BERNEY LUGDUNENSIS

Qui sequentem Narrationem conscripsit,

Ad Collegiatam D. Pauli Ecclesiam
Anagramma Gersonianum
Gratulatorium.

JOANNES CHARLIERIUS DE GERSON.
ORES SANE: NIL GERIS CHARIUS DEO.

PLAUDE manu, cane voce, animo pia jubila pande,
Ædes insolito munere sacra Deo.
Ecce SACERDOTEM præfert tua fabrica DIVUM:
Quémque PIUM tenuit terra sacrata refert.
Hunc ORES SANE: NIL CHARIUS hoc GERIS almo
Munere, sive DEO, sive tibi, atque aliis.

TUMULUS GERSONIANUS

LECTORI.

HIC DO RARA GERENS: SOL, INVENIES.
Ab obscuro si rara prodeant,
Sanctioris vitæ claritate num emicat
JOANNES CHARLIERIUS DE GERSON?
GERSON, EN GROS.

ΤΥΠΟΓΡΑΦΟΣ ΛΟΥΓΔΟΥΝΑΪΟΣ
ἰυσιβῆ, καὶ ἰυσυνίτῃ Λυδίντῃ,

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

ΓΕΡΣΟΝΙΟΙ, λαμπρῶς ἀγρίνετε ὔς, ΣΤΕΦΑΝ', ἄνοι,
Ζαπτὸς' ἀΦωράθῃ σὺὼ κιφαλὼ στράτῳ.

M. ΓΑΤΘΕΡΕΪΝ.

Sſ 2 JOAN-

JOANNES CHARLIERUS DE GERSON IN TUMULO GLORIOSUS.

FAMA nuperrimè nuda ſatis, & velox emanavit, quæ JOANNEM olim dictum GERSONIUM, à pueritia deductum per gradus virtutis, & honoris, ad diverſa, tum negotia, tum etiam loca Galliarum; poſt labores publicos, privatóſque confectum tandem, Lugduni reliquerat in tumulo.

QUIA tamen vacuum GERSONIS tumulum plerique ſcripſerant, omnes ferè crediderant; viſum eſt nunc eductum illum de tumulo proferre in medium, ut novâ famâ ſuccedente veteri, glorioſior appareat JOANNES, qui huc uſque delituit, verè GERSON.

UNUM monet, qui famæ tumulum, & tumulo JOANNEM glorioſum adhibet; nimirum, adulterata ſe nulla proferre; neque celare, aut addere quicquam circa tumulum JOANNIS, & JOANNEM in tumulo: ſed quæcunque viſa, vel audita, ſive etiam lecta refert, omnia donare *Patri luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicisſitudinis obumbratio.*

EXTAT igitur, etiam nunc, in Æde ſacra B. Laurentii Martyris, Collegiali Divi Pauli Apoſtoli contigua, paroeciali Nobilium Fratrum Maſcranny pietate, ac liberalitate reædificata nuper, atque in auguſtiorem ſtatum reſtaurata, locus ſepulturæ, JOANNI DE GERSON liberaliter conceſſus à P. Camerario, & Capitulo Eccleſiæ S. Pauli, anno Domini 1428. die 28. Octobris, cum Anniverſario panis, & faciendo ex more tunc ſervato, & ſolito: locus, inquam, ab ipſo vivente JOANNE, Sacerdote, atque Cancellario Pariſienſi meditatus aliquoties inter circundantes ſe pueros catechizatos; occupatus ab eodem vita functo novem pòſt menſibus; nemini poſthac, quantumvis claro, & poſtulanti, non ita pridem, conceſſus, ex reverentia ejus cui datus fuerat; ideò ſervatus inter Eccleſiæ labentis ruinas, ut ipſa per egregios Fratres JOANNIS amantiſſimos tandem reſtituta, theſaurum aperiret, quem credebant omnes aſportatum, margaritam proderet Agri cœleſtis poſſeſſorem annis ampliùs ducentis.

HUNC tumulum, jam olim celebrem & frequentatum, ex fama beneficiorum,

ficiorum, quæ Deus præstabat illic devotis Civibus in gratiam *Christianissimi Doctoris JOANNIS, cognomento, Pii GERSONII*, à die obitus pro *Beato*, ac *Divo habiti, cultique communi ferè omnium suffragio*, ut post veteres, non impar illis Andreas du Saussay scripsit in suo Martyrologio: Christianissimus etiam Gallorum Rex Carolus VIII. decoraverat, erecto in ipsius *Divi JOANNIS decus, & laudem* (ait epistola Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ Lugdunensis ad Christophorum Episcopum Basileensem, initio Operum ipsius GERSONIS inserta) *devoto Sacello, & Altari supra quod Imago ejus depicta erat* (nimirum, eo modo, quem requisierat ab hocce Capitulo Reverendissimus idem Episcopus) *ad instar Alberti Magni, cum radiis solaribus in capite, sine diademate tamen, in Cappa doctorali; Cor tenens in manu sinistra, quod ad Cœlum dirigebat, elevatà dextera dicens: SURSUM CORDA.*

LAURENTIUS quoque Burellus, Regis Confessor, atque Eleemosynarius, & Doctor ex Ordine Carmelitarum, deinceps Episcopus Sistarienſis, hujus Capellæ Author, addiderat Altari quædam à se conscripta carmina in laudem *Beati JOANNIS: cujus* (addunt Canonici Lugdunenses) *nomen, & virtutum præstantiam, dotes, atque doctrinam commendabat in urbe prædicans coram Regibus, Clero, & populo: cujus invocato, cùm è mulo caderet, auxilio, cervice, nec latere attritus, illæsus permanserat: cui non minore studio, industria, & labore, dabat operam apud Christianissimum Regem, ut, habita sufficienti formatione de vita, moribus, patientia, & doctrina ipsius, inter Divos canonizatus adscriberetur JOANNES. Quem suum famulum magnis miraculorum beneficiis* (narrat Bibliotheca Collegii Navarræ, in Epitome Vitæ ipsius JOANNIS) *Dominus noster JESUS CHRISTUS illustrare, cujus sanctitati clementer attestari dignabatur. Ad cujus venerationem* (subjungit epistolis superioribus jam citatus du Saussay) *multi confluentes pro obtinenda ope divina, votorum compotes se factos Beati GERSONII precibus, & meritis, seriò contestabantur.*

SED venerandum, adeóque tremendum præbuerat hunc locum ab initio posterioris sæculi quinti supra decimum, Laurentius alter, nomine Cataigne, Civis, &, ut scribitur, Apothecarius Lugdunensis, qui *pia, & laudabili devotione motus, cupiens divinum cultum augmentari*, (verba sunt in Contractu expressa,) *pro salute animæ suæ, & suorum, de voluntate, licentia, & consensu Camerarii, & Capituli Ecclesiæ S. Pauli, fundavit in Ecclesia S. Laurentii, dictæ Ecclesiæ S. Pauli contigua & adiacente, atque in Altari de novo in eadem Ecclesia ad honorem Dei, Beatæ MARIÆ Virginis, & commemorationem bonæ, recolendæ, dignæque memoriæ Magistri JONNIS JARSONIS* (ita scribitur) *quondam dictæ Ecclesiæ S. Pauli Canonici, ac sacræ Theologiæ Doctoris, ibidem sepulti, erecto & constructo de mandato Christianissimi Francorum Regis Caroli,*

hujus nominis Octavi; *unam* primùm *Missam Eucharistialem singulis diebus Martis celebrandam*; tum & duobus pòst mensibus *aliam qualibet Jovis die per unum Presbyterum de gremio, & habitu supradictæ Ecclesiæ S. Pauli.*

HUNC, inquam, locum sepulcralem lapis adhuc superpositus arguebat esse ipsius JOANNIS DE GERSON, in hæc verba, duplici lineâ Gothicâ circunducta, quæ nunc, ut pridem, visuntur in tabula muro affixa, aureo charactere Romano inscripta studio piorum Maschranny, his versibus:

Magnum parva tenet virtutibus urna JOANNEM,
Præcelsum meritis, GERSON cognomine dictum:
Parisiis sacræ Professor Theologiæ,
Claruit Ecclesiæ qui Cancellarius, anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit Superos Julii duodena.

ERAT etiam insculptum parti superiori hujus lapidis hoc Divinum Christi proloquium: *Pœnitemini, & credite Euangelio.* quod frequenter in ore habebat inter concionandum, ut legitur in Vita ejus, præmissa Operibus: atque in inferiori parte ejusdem lapidis parma quædam tesseraria, in qua nihil apparebat præter Symbolum, *Sursum corda*, superiùs allatum, quod aream ambiebat.

PIETAS quoque studiosorum Gersonitarum, unius, vel plurium, hoc in loco *Tumulum* posuerat charo suo JOANNI GERSONIO, fortè ab urbe superiori sæculo reddita. Quem Tumulum à se visum refert Claudius Pratus, in Præfectura Lugdunensi Regius olim Consiliarius, Prati sui pagina 134. in hæc verba:

IOANNI GERSON, Canonico Parisiensi, Universitatis Cancellario, Theologo insigni & Doctori, Universitatis & Libertatis Catholicæ Vindici & Propugnatori acerrimo & integerrimo: Cujus gesta, & scripta memoriæ æternæ debent consecrari.

SED, quia nullus erat hoc tempore, qui hanc Tabulam, aut illam antiquiorem vidisset; nullus, qui pro lapide Tumulo superinducto sponderet, ut ei, longum jam tempus diviso, nunc quoque fracto, etiam & deperdito ex parte, fides adhiberetur: & Altare cum Sacello Regio disiectum suadebat, JOANNEM GERSONIUM, cum ejus Imagine, à furentibus Calvinitis flammis, aut vicino fluvio traditum: Deus, qui Resurrectionis CHRISTI denunciatrices voluit esse mulieres; concessam nobis in JOANNE Gratiam revelavit per mulierem de Grassia vocatam, eámque (mirum dictu!) vitâ functam; ut exanime corpus servatam in mortuo vitam proderet,

deret, cunctis viventibus pariter ac morituris, profuturam. Res ita se habet.

AD decimum octavum Calendas Maii anni currentis 1643. (quæ tertia feria erat post Dominicam in Albis) horâ vespertinâ, cùm Libitinarii Ecclesiæ Parœcialis & Collegiatæ D. Pauli sepulcralem fossam in adjuncta Æde S. Laurentii pararent egregiæ mulieri de Grassi, juxta prædictum Tumuli Gersonici lapidem; obtulit se casu, muralis operis lateritii pars quædam, impedimentum faciens: ad cujus aliquoties icti apertionem, cùm unus ex fossoribus, misso in patentem aditum manubrio ligonis, pulsasset interius lignum; exorta videndi cupiditas ampliorem sibi viam fecit, per quam intromissa manus cum lumine addito videndum præbuit Libitinariis primùm, deinde nobis Clericis, tum etiam promiscuis pluribus, feretrum ligneum, transversis repagulis ex ferro cinctum ad pedes, ad medium corpus, & ad caput, muris (ut videbatur) lateritiis conclusum, quos super, non arcuata structura, ut jam solet fieri, sed planus erat lapis appositus. Cujus quidem feretri superiores tabulæ, quæ ad ictum ligonis ferè omnes desederant, invisum faciebant, quod in eo continebatur; aliis indistincta quædam proferentibus; aliis, præter tabulas & repagula, nihil aliud videntibus. Nam, quia procul satis erat prospiciendum, vix quisquam discernere quid poterat. Nulli tamen graveolens locus fuit; quin potiùs, jucundum, suavémque illic halitum odorati sunt sagaciores non pauci.

SUBITO rumor exoritur de Tumulo GERSONIANO: fama volat per urbem: inventum dicitur Sancti cujusdam corpus in Ecclesia D. Pauli: cientur utriusque sexus promiscui absque numero: repletur iterum atque iterum viventibus, aperta mortuis tantùm fossa sepulcralis: omnes introspicere cupiunt, interrogant, sermonem habent, mirantur hilares, auditis fidem adhibent, & gratias agunt; maximè post visam effracti ad pedes feretri portionem, quæ divisa propinquioribus, alios faciebat ad quærendum audaciores: ita ut prohibito jam lumine, sermo fieret de obstruendo foribus ostio Templi, aut saltem de complenda fossa vicina, quæ adventantibus undique curiosis ansam præbebat. Interim, horâ datâ, traditur sepulturæ corpus defunctæ de Grassi, redditæ sibi terræ lapis superimponitur, incitantur omnes ad propria pulsato ære campano, portæ valvis obducuntur. Attamen (quis credat?) succedunt recedentibus nocturni ferè adventantes: queruntur de aditu prohibito; &, quod intueri sibi non licebat, potestantur genibus advoluti pro foribus; vota secretò concipiuntur, de quibus erit nobis sermo deinceps.

POSTRIDIE, benè manè concedunt ad locum vigilantiores quidam, tum etiam alii successivè plures, devoti pariter & cupidi. Quos inter honesta vidua Margarita le Roux, altero crure dolens adhuc à nocte diei Sanctis Innocentibus

centibus ſacri, quâ, conflagrante domo apud Montempeſſulum, minus, ut videbatur, diſcrimen elegerat, dejecta per feneſtram; cùm veniſſet tandem ſpei Chriſtianæ magis, quàm manibus opem ferentium innixa, & fidelis oraſſet ad tumulum per ſemihoram; ſenſit paulò pòſt mitigatum valdè cruris dolorem initio vehementem: poſteà erecta in pedes, ac ſtans, imò & protenſum, aut curvum à caſu pedem corrigens, iterum atque iterum genua ſubmittens, (quod ei non licuerat à quatuor menſibus,) iiſque poſitis adorans, atque voti compos; tot habuit ſecum Divinæ bonitatis præcones, quot deinceps fecit hujus integræ, ac ſubitæ valetudinis auditores.

SUBSECUTÆ ſunt autem hanc primam curationem aliæ ſtatim tres: quas inter non ignobilis illa, pueri quinque annos nati, qui ſcambis ab initio cruribus nuſquam ſteterat in pedes. Mater ejus, & avia convenerant invicem in voto; hæc jejunium, illa Sacrificium promiſerat. Mirum dictu! nondum perſoluto voto, redux à paroeciali ſupplicatione publica, mater ſtantem cernit in pedes puerum, miratur incedentem, ducit ad Eccleſiam, votum ſolvit, plerique accurrunt, ambulantem vident, non rectis equidem adhuc cruribus, omnes Deum collaudant, & *Beatum* prædicant JOANNEM GERSONIUM.

QUÆ fuit cauſa poſterior, ut, inſequenti die Dominica, ex arbitrio Eminentiſſimi Cardinalis, ALPHONSI LUDOVICI DUPLESSIS DE RICHELIEU, Archiepiſcopi, & Comitis Lugdunenſis, convenirent de nocte quidam ex Dominis Canonicis Eccleſiæ S. Pauli, me, uno Incorporatorum, ſecum aſſumpto; ſcilicet, ut amoto ſuperiori lapide tumuli Gerſonici viderent, quid haberet inferior capulo ſuperinductus. Nam dubitari poterat de ſuperiore, quantum vis noto, ne hinc inde aſportatus, illic tandem relictus eſſet, aut aliud quid etiam ſuſpicari. Veruntamen, concurrentibus undique paroecis utriuſque ſexus, & conditionis, atque adeò impedimentum facientibus, ita ut vix poſſet notari quorundam in parte lapidis apparentium elementorum forma, dilata eſt res in craſtinum.

QUA die nondum excitatis à ſomno curioſis, cùm defoderetur humus reliqua, ablato jam priùs lapide ſuperiori, apparuêre quatuor laterum ordines, intrito arenario juncti, æquali ab invicem intervallo poſiti ſuper totidem diviſi lapidis partes unitas, atque compoſitas: quibus remotis lateribus, quilibet adſtantium hæc verba quatuor lineis more Gothico inſculpta lapidi ſic, ut ſuprà, diviſo, legit ſemel & iterum, non ſine gaudio:

JOANNES DE GERSON
CANCELLARIUS PARISIENSIS.
JOANNES DE GERSON
CANCELLARIUS PARISIENSIS.

Erat

Erat autem lapis iste quadripartitus, inferior superiore, duobus saltem pedibus, intermedia terrâ nulli visus adhuc, ne quidem Hagiomachis, quorum rabies, etsi magna, cesserat majori piorum Lugdunensium studio erga Virum hunc talem, ac tantum, quatuor annis, de se benè meritum.

QUIA verò fractus erat divisis ex lapidibus unus, per quem via fiebat oculis, manibúsque ad videndum pariter & tractandum feretrum, & quæ continebat operta superioribus tabulis, quæ, ut jam dixi, subsederant: placuit adstantibus nomine Capituli, ut, deprehenso, quod per rimas venerat ad manum visitantis, aliquo panno serico, & divisa parte capuli modica, reliqui sibi temperarent omnes, & clauderetur hujusmodi aditus strepentibus ad januam curiosis ex plebe, cæterisque omnibus deinceps venturis. Nimirum ita caverat Eminentissimus Cardinalis, cui primùm conveniebat hujusmodi thesauri plena lustratio. Unde, repositio super humum sibi redditam lapide superiori, recessêre qui venerant sex, aut septem numero Clerici, læti admodum, sed implicati satis in media turba conquerentium pariter & flagitantium plura multò quàm fuerant asservata.

VIX credi potest, quantus fuerit exinde concursus; quod, & quale incrementum sensit piorum in Divum suum animus; viso potissimùm, atque tractato, missóque invicem, tum capulo, tum etiam vestimento GERSONIS, quem tanta sollicitudine conditum illic à majoribus, tanto cultum à Regibus honore, audiebant servatum posteris integrum, atque in eo statu, quo fuerat positus. Jam fiebant Missæ privatæ gratiarum actionis, laudis, & honoris Deo debiti super Altare cum Ecclesia restitutum ad parietem, eo sanè in loco, ubi posuerat illud olim Christianissimus Rex Carolus VIII. etsi non sub eodem omninò titulo. Quam privatorum pietatem, ut communis fieret, & nota, positæ sunt ad decimum diem ephemeræ tabulæ in commodum offerentium, simul & aliorum; vocatique ad codicem, cum Clericis de gremio Ecclesiæ, adventitii non pauci, qui numerum æquarent donorum; qui concepta piorum desideria, votáque cum precibus offerrent Summo Parenti, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit.*

UT autem vidit Eminentissimus Cardinalis, eximiè rem cedere, modúmque tenere, quem prudens exspectaverat, singularem; venit ad quintum Calendas Maias ipse, cum paucis, non dubius, non curiosus, sed sapiens & consultus, quippe qui dubitantes & credulos audierat priùs; venit, inquam, hos laudaturus, illos confirmaturus, omnibus facturus satis in hac causa, quemadmodum & in publica urbis non semel omnia factus est omnibus. Idcircò testes habuit ex utroque ordine, Clericali, & Religioso, Viros non levioris notæ, doctrina pariter, & pietate claros: quibuscum ingressus Templum horâ vespertinâ, imò & Tumulum ipsemet solus, obtulit se primùm illi, cæterisque

desuper aspicientibus, lapis ille planus inferior, quatuor in partes simul junctas divisus; quem diligentius attendentes singuli, legerunt scripta quatuor lineis Gothicis verba jam suprà posita, mira voluptate animi. Tum erecto lapide per adhibitos juvenes, apparuit intra muros lateritios illa ex quercu sandapila, ferreis ac transversantibus cincta repagulis. Cujus remotis tabulis superioribus, & absterso pulvere, qui, vel ex ipsis tabulis imminutis, aut etiam per rimas divisi, fractique lapidis venerat, objecit se oculis intuentium humani corporis moles quædam, calci diutiùs maceratæ similis, undique tecta triplici (ut par est credere) vestimento sacerdotali; laneo primo; & secundo, quod vix apparebat, lineo; tertio quoque, & superiore, serico Damasceno, austeri satis coloris, quem dicunt, frondis emortuæ.

QUIBUS diligenter notatis, ut jussus est, qui inspector erat, Sacerdos, & Canonicus. & Officialis Lugdunensis, intima rimari corporis; ecce, apparuêre pili capitis prolixiores satis, alterius quàm germani coloris: quorum pars, quæ occipitii fuerat, adhærebat supposito sibi scamillo ligneo; reliqua circum, supérque posita defluxerat à capite. Quod, sive quassatum infelici casu tabularum, adeóque subductum; sive etiam audaciore manu asportatatum (proh nefas!) aliquam tantùm occipitii speciem, aut figuram præbebat in scamillo supposito. Manus quoque subactæ, quem tenuerant olim caliculum admotum pectori, dimiserant; nisi forte cadentes ut supra, tabulæ demisissent illum ad latus: ubi & repertus est, oblisus, & quâ parte terram attigerat, squalidus, reliquâ pene omni tersus; ita ut nulli, nisi aurifici, perspecta fieret ejus materia, non aurea, non argentea, sed stannea. Cujusmodi erat etiam attrita usu patena, quæ contractam extremis digitis manum habebat in medio sculptam, tribus primis extentis velut benedicentem.

QUIA verò tibiarum unam deprehendebant adhibiti juvenes, accessit, qui inspiciebat, relicta corporis parte media, ut levatum os hujusmodi traderet in manus Eminentissimi Cardinalis. Qui exosculatum pro innata sibi pietate jussit restitui, claudique Sepulcrum, satis esse dicens, & sibi, & cæteris, imò & omnibus, ubi nullus erat locus dubitandi de servato his temporibus JOANNE GERSONIO. Fuêre tunc etiam attrectati ejus calceoli bubuli, longiores quidem, sed simplarii, tectique, nec elaborati, quales videmus hoc sæculo; non ideò tamen minùs pretiosi charique omnibus, quandoquidem unius ex eis pars à Libitinario subducta, divisáque rogantibus importunis, vix tandem ejus fuit.

HIS ita peractis, divisáque inter præsentes, ex beneplacito ejusdem Domini Cardinalis, aliqua parte vestium, etiam & capillorum, atque capuli, recesserunt omnes pari cum alacritate fiducià in Deum, qui, ne capillum quidem de capite suorum perire finit; affirmantes ubique, rem ita se habere, quam

quam viderant oculis, palpandam præbebant manibus amicorum.

STATIM, reseratis Templi foribus, ingrediuntur catervatim, qui observabant ad januas, & quod videre sibi non licuerat, audire cupiunt; obtestantur Libitinarios; procumbunt in genua super fossam, oppletionem ejus prohibentes; sumunt sibi ex ea; fidem adhibent, & *mirabilem in Sanctis suis Deum* prædicant: planè, ut non sufficeret dies pietati convolantium ad noctem usque virorum, ac mulierum, etiam & Clericorum ex utroque ordine.

SUFFICERENT hæc curiosis, nisi etiam ipsi Sancti esse vellent.

AUDIANT igitur, quæ patrata sunt in gratiam devotorum JOANNIS DE GERSON, post ea, quæ suprà, sive Miracula, sive Beneficia, de quibus non ipsi, non ego, non quilibet; sed is, cui competit, Judex esto.

PRIMUM à recessu Eminentissimi Cardinalis, impensum à se Divo huic laborem gratum, acceptúmque refudit, in quos ille testes adhibuerat suæ visitationis per urbem. Nam, licèt ea ipsa nocte, qua caliculum JOANNIS probaverat aurifex, puer ejus parvulus, febrili commotione subitâ tentatus, opus haberet dilato in crastinum solatio medico: tamen ut cogitavit mater ejus de vovendo illo GERSONI, cujus fragmenta caliculi duo collegerat, quæ manum viri probantis evaserant; ut implevit summo mane votum, quod conceperat, in Templo super Tumulum Gersonianum, sanatus est omninò puer in reditu, nec opus habuit ad valetudinem, eorum, quæ Pharmacopola præparaverat.

ALIUS triennis, ilium procidentiam passus à tertio nativitatis mense, convaluit statim à reddito voto parentum ipsis Calendis Maij.

TERTIUS, etiam triennis, usu pedum, atque oculorum prohibitus per annum; invocato à parentibus Divo GERSONIO, restitutus est pristino suo statui.

QUARTUS, ætate major, interdictum sibi lumen oculorum ex morbo puerilium pustularum, post undecim menses, recepit statim à voto parentum.

QUINTUS, octo annorum, febrili calore subitò affectus, inter oblatas de more preces ante Tumulum Gersonianum pro salute publica, privataque Regis, (de qua suo loco,) liber evasit in fide parentum, adhibita Beato GERSONIO, cujus calcei particulam ideò appenderant collo pueri.

ETIAM & puellæ quædam febre laborantes convaluerunt ipsâ voti nuncupati horâ. Aliæ subitò steterunt in pedes, quos nunquam fixerant.

CÆTERI plures parvuli, quantumvis ignoti, non ideò minora percepêre beneficia. Convenit enim huic pusillorum studioso, ut quorum olim mentes enutriebat verbo, corpora jam sanet, quæstu duplicato.

SED, non in pueros tantùm beneficus est JOANNES DE GERSON:

ille, qui grandævus lac potum dabat parvulis, etiam grandiores pascebat cibo solidiore: unde & nunc quoque cura est ei de omnibus.

DIXIMUS suprà, sanatam omninò mulierem, quæ à casu quodammodo sibi necessario claudicaverat extra spem remedii humanam; addamus hîc alios non paucos utriusque sexus. Inter eos ille tricenario major, pustulis ex motu, atque itinere malè multùm habens; nullo adhibito remedio periculum evasit invisibili Dei manu, quamprimùm in GERSONIS clientelam sese dedit. A quo tempore satis infesto urbi, quamplures eum sibi, ac civibus Patronum in causa luis adsciverunt.

ALIUS quadraginta quinque annos natus; quem non valuerant Medici lenire dolorem totius corporis, & maximè stomachi, à Festivitate omnium Sanctorum, amplius non sensit in tertio novendialis comprecationis die.

MERCATOR & civis non ignobilis, quartana febre laborans quintò jam mense, adhibitis in cassum humanis, divina petivit remedia per oblatum sibi recèns JOANNEM GERSONIUM: & expleto novem dierum spatio, sensit, dixit, scripsitque manu propria se liberatum omninò.

RUSTICUS etiam quidam, viginti circiter annorum, ita debilitatus oculis à tempore Adventus, ut nihil tandem videret; (unde & necesse habuit, asino vehi, ducique in urbem facie velata,) dum novendiale pensum obit, paulatim aperuit oculos: & jam videt.

ALIUS, urbis incola, quem alta jam nocte gravior status apprehenderat totius corporis, linguâ exceptâ, quam cor movebat, ut Deum sibi faceret propitium; addidit ad Beatam Virginem Dei Matrem, ipsum etiam JOANNEM GERSONIUM: & statim convaluit, misso, quem sui adsciverant, Medico.

EX mulieribus quoque, præter eam, quæ suprà, & aliam; sive etiam plures, quibus licuit aquam ex calículo, quantum vis fracto, manantem colligere, ut malè affectis potum darent: una villatica, triginta annos nata, quæ signum Christiani hominis, in corde servatum, fronti minimè impresserat viginti jam annis; brachia movere cœpit, & digitos extendere, non expleto adhuc novendiali.

A[illegible]A, paulò minor ætate, quam aurium stupor tenuerat annis quinque; statim à persoluto voto, quod fecerat, levatum à se hujusmodi impedimentum asseruit.

NOVISSIME honesta vidua quinquaginta & amplius annorum, adhibitis ægro femori, genu, tibiæque, fragmentis capuli Gersonici; fructum fidei suæ statim retulit, acceptam, scilicet, hoc solo remedio sanitatem.

ALIA, quadraginta annos nata, brachium quindecim jam diebus tensum ex nervo malè affecto contraxit, invocato cum fide JOANNE GERSONIO.

CLARA,

CLARA etiam in Delphinatu fœmina, quæ tribus ferè menſibus malè habuerat ex adventitio colli, atque alterius genæ tumore non modico; ut ſenſit ſe de relictam à Medicis, votum vovit JOANNI: ſtatimque levato pauliſper dolore, convalvit tandem aliquot pòſt diebus: unde & venit in urbem, acceſſit ad Tumulum Gerſonianum, ut voto defungeretur, & hæc narraret nobis.

LONGIOR eſſem, ſi alios proculdubiò plures hic apponerem, quorum, aut non data nomina, vel etiam nondum expletæ preces novendiales.

UNUM tamen addam, quod & fidem in GERSONEM, & animum Gallorum erga Regem ſuum probat. Periclitabatur his diebus Chriſtianiſſimus Rex LUDOVICUS XIII. unde & in Miſſis adhibebantur omnibus ferè Templis, & Aris, privatæ, imò & publicæ comprecationes in tanti ſalutem Principis. Hanc ut promoverent devoti quidam cives, (illè potiſſimùm, qui Pſalmum, *Miſerere mei, Deus*, pro ſe, ſuiſque recitans ſuper Tumulum Gerſonianum, affectu quodam ſubito verterant animum ad rem Galliæ publicam,) in privata Miſſa ideò facta ſuper Altare ante dictum Tumulum, ſacram Euchariſtiam, expiatione prævia, ſumpſerunt non ſemel.

ALIUS, & ille quidem ſanguine, ac virtute clarus, ex familia gentis Groſſanæ, Regius Eques Torquatus, continuato novem diebus Sacrificio Euchariſtico, cum adjuncto Pſalmo, *Exaudiat*: quem cum celebrante recitabat ad Altare ſuprà nominatum, religioſè pariter, ac publicè obſecravit pro hujuſmodi ſalute Regia.

QUAM etſi nec ille, nec alter, nec alii ferè omnes impetrare valuerunt, (non enim convenit ſemper,) quid vetat dicere, quod piè credi poteſt, ægrotanti LUDOVICO meliùs factum eſſe pluries operâ JOANNIS, etiam nunc Oratoris Regum noſtrorum; aut ſaltem prorogatos illi vitæ dies, intuitu ejus, cui chara fuit ſemper Gallorum, & maximè Regiorum Principum vita: nimirum, ut qualis vixerat exemplo GERSONIS LUDOVICUS, talis etiam poſt eum decederet *Rex pius, fortis, ac juſtus*.

ADESTE nunc igitur, Lugdunenſes; adeſte, Galli: venite & vos, Advenæ; properate, quotquot eſtis in Orbe Gerſonitæ. Videte ſuperſtitem in tumulo JOANNEM CHARLIERUM, contra ſpem in ſpem ſervatum: & quem latentem vocabatis, quaſi non eſſet; jam viſum, ut diximus, & *Glorioſum*, credite *Beatum*; *Divum* colite, quem *Pium*, & *venerabilis memoriæ* GERSONEM dixiſtis cum veteribus.

SED nunciate viſum filiis, prædicate poſteris beneficum, etiam nunc. Dicite omnibus, & ſingulis, Virum hunc talem ac tantum, eſſe illum puerum Rhemenſem, precibus datum parentum; precibus aſſuetum, quia ſic educatum; precibus fratres, ac ſorores Chriſto lucratum; precibus formantem filios patrum;

precibus eorum inter docendum, orandum, ministrandum contentum; precibus etiam suis (dicam & meritis) revelatum his temporibus, ad majorem Dei gloriam, & vestrum speciale commodum.

NIMIRUM, ut filii Parentem ament; Magistrum audiant discipuli; clientes Patronum habeant; omnes restitutum sibi Divum frequentent; colant beneficum; etiam & relevent, implentes opere, quod Majores mente conceperant.

SVSPICIANT juvenes benè natum JOANNEM, traditum Gymnasio Parisiensi bonis artibus instituendum, ac deinde convolantem ad studium Legis divinæ, sacrarumque Literarum: sed mirentur, quem Trithemius dixit *ingenio subtilem, vitâ & conversatione insignem*; quem Collegium Navarræ scripsit *fortem in laboribus*, atque *in zelo ferventissimum*; *alios* quoque *brevi tempore longè superantem* æmulentur; sed *modestum, & humilem, servata semper*, & ubique *morum integritate*.

LEGANT Tyrones *Oratorem, atque Poëtam*, juxta Sixtum Senensem, *suo tempore insignem: qui*, ex eodem Trithemio, *metra, & prosa scripsit Opuscula multa præstantissima, quibus nomen suum apud posteros immortalitatem semper obtinebit*; *quorum lectio devotis, & religiosis Viris non minùs est utilis, quàm jucunda: præter alia minora quidem, sed valdè utilia, etiam Gallicè scripta*, dicit JOANNIS frater Joannes in epistola ad Fr. Anselmum, *quæ ad notitiam nostram non pervenerunt, & alia multa, quæ deperierunt.*

VERSENT Eruditi *Virum*, addit Trithemius, *sæcularis Philosophiæ non ignarum; in divinis Scripturis eruditissimum*; *Theologum, sermone quidem Scholasticum, sed affectu Mysticum*; *sententiâ certum, & stabilem*; *ac dubiorum clarissimum interpretem. Qui multa nobilia volumina*, subjungit Sixtus Senensis, *in divinas Literas, stylo non injucundo conscripsit, in quibus ita scholasticas subtilitates dulcibus mysticæ Theologiæ affectibus miscuit, temperavitque, ut addubitandum sit, an eruditione pietatem, vel pietate eruditionem superaverit.*

AVDIANT omnes *Doctorem* à coævis dictum *Euangelicum, Christianum*, propter ejus docendi rationem. *Neque enim*, pergit in dicendo Navarrense Collegium, *inhærebat curiosis speculationum ambagibus, neque circa vanam subtilitatum ostentationem sollicitus, aut in novitatibus adinveniendis turgidus fuit. Versabatur autem in his studiis, quæ ad Dei laudem, ad fidei robur, ad plantandam Ecclesiam, ad conscientiæ pacem, ad morum ædificationem, ad animarum salutem utilia & necessaria esse videbantur. Et quia utilitati proximorum ex toto corde inserviebat; nullius privati commodi affectione ductus, absque assentatione, & absque contemptu cujuscunque Doctoris, qui eum præcesserat, veritatem docuit, non adulterans verbum Dei; sed ex sinceritate prædicans: plurima quoque in monumentis post se reliquit, quæ omnium statuum hominibus, quæ Confessoribus, quæ Semini-verbiis,*

quæ

quæ Ecclesiarum Curatis, quæ Virtis etiam contemplativis vehementer conducunt.

FELIX es quidem titulo multiplici, GALLA; sed maximè solo natali tot Sanctorum, Beatorum, ac Piorum, vitâ, factis, dictis, atque scriptis illustrium.

FELIX & tu, CIVITAS RHEMENSIS, quæ JOANNEM CHARLIERVM, Gersoni natum, advenam simul & indigenam habuisti. Felices parentes Gersoniani, quibus hoc datum est ex gratia, ut GERSONEM in Dei gratia, & amore sollicitè educatum, gratiosum ex nomine daretis, & vestris, & Gallis, & advenis.

FELIX Gymnasium Parisiense, in quo formatus, atque excultus CHARLIERUS; adeptâ primùm laureâ doctorali, *Cancellarius* evasit, atque *Canonicus*, ejuratione favorabili Magistri sui Petri de Alliaco, sive potiùs Dei providentia ineffabili: dignus planè, qui huic etiam Cardinali succederet.

FELIX tu quoque, CIVITAS PARISIENSIS, quæ GERSONEM, etiam *Plebanum* audisti; BRUGENSIS, quæ suspexisti *Decanum*; ROMANA, quæ *Legatum à Rege Christianissimo*, & *Academia*, ut refertur in ejus Vita, suscepisti, *ad promovendam unionem, ac pacem Ecclesiæ*; TARASCONENSIS, & MASSILIANA, quæ concionantem coram Summis Pontificibus audistis; PISANA, quæ huic *Oratori Galliarum* locum dedisti in Concilio tuo generali: cujus tu vocem audisti dicentis (ex Annalibus Minorum) *convenisse*, non quidem ad Conventiculum, sed *ad Concilium generale, Patres Dei nutu, Sanctique Spiritus instinctu ductos.*

ET tu, CONSTANTIENSIS CIVITAS, etiam felix, in qua *contra schisma periculosissimum*, ait Bibliotheca Collegii Navarrensis, *utilissima multa, non solùm scripsit JOANNES; sed etiam diligentia incredibili, & vehementissima vi dicendi, ad communem Ecclesiæ pacem Reverendissimos, & amplissimos Patres movit, & induxit.* In cujus Concilio generali *damnatas paulò antè ab Episcopo Parisiensi propositiones*, addunt citati suprà Annales, *recensuit ex parte Caroli VI. Franciæ Regis, cujus fratrem Ludovicum, Ducem Aurelianensem occiderat Dux Burgundionum*; *recensuit*, inquam, & *instituit*, *ut* Joannis Parvi (qui respondera ex parte Burgundi homicidæ) *libellus famosissimus, mortifer, hæreticalis*, verba sunt ipsius GERSONIS, *eraderetur è memoria populi Christiani.*

DECEBANT hæc talem Virum, *Pacis amantem*; *virtutis, ac Patriæ propugnatorem acerrimum*, qualis dicitur in memorata Vita; *pro extirpatione hæresum gloriosè laborantem*, ait Trithemius; *firmum, ac imperterritum, adeò ut pro ipsa sancta & Christiana veritate tuenda*, subjungit Collegium Navarræ, *potissimum Principem, Mecœnatem suum non metuerit*, imò, *tum justissimè deseruerit*, additur in contextu Vitæ, *quamprimùm novis rebus studere, & Galliam factionibus conturbare perspexit.*

SED

SED longè felicior es, CIVITAS LUGDUNENSIS, quæ Domino Delphino contra factiones Burgundionum tunc favens, JOANNEM CHARLIERUM, *post aliquot dierum latebras pulsum in Germaniam, occasione quærentium se ad necem perditorum*, ut legitur in citata toties Epitome Vitæ; *dissoluto* quoque *Concilio Constantiensi, domo, patriâ, cognatis, amicis, dignitatibus, rebusque propriis, pro veritate tuenda privatum*, addit Trithemius, *atque multis insidiis expetitum*; *necessitate compulsum & ad te confugientem post petita montana Bavariæ*, tunc verè GERSONEM, quia peregrinum & exulem, susceptisti læta, sinu fovisti mater; pavisti benefica; civem & Doctorem habuisti quatuor(& utinam pluribus)annis; Patrem & Magistrum coluisti; mirata solitarium in magna populi tui frequentia, vidisti *coaptantem animum suum quietum*, verba sunt Joannis fratris, *variis hominum statibus, nunc prosperis, nunc adversis, omnibus omnia factum*: flevisti quoque cum deflente miserabilem cladem Regni Gallici, quod intestinis, & civilibus bellis tunc dirumpebatur, (ait ipse JOANNIS frater;) hominem tandem in ipso quietis tempore minimè quietum, præmisisti Patronum ad loca quietis; & non tam planxisti mortuum, quàm viventem in beata Sanctorum regione credidisti; nunc quoque sentis, imò & præbes exteris eum, *cui soli*, viventi adhuc, à te amato pariter atque amanti te, *omnes divini amoris affectus*, ut optimè Sixtus Senensis, *in numerato fuisse videbantur*.

QUID verò de te dicam, COLLEGIATA D. PAVLI ECCLESIA, GERSONIS amans? Tu eum corpori Curialium tuorum additum, etiam adoptasti in Canonicum. Tu Cathedram cum Sede, Mensam cum Altari, cætera quoque necessaria, sine dubio, præbuisti ei. Tu concionantem audisti; Catechistam, & Ministrum Sacramentorum dedisti Parœcis. Tu communibus in Templo precibus tuorum eum aggregasti. Tu pompa funebri comitatum, mœsta simul, & pia posuisti in tradito gratis ei Tumulo, quem deinceps omni petenti denegasti; præscia, scilicet futuri quandoque cultus ejus.

NON fuisset tibi satis, Authorem habere fabricæ tuæ materialis D. Sacerdotem Archiepiscopum, nisi etiam *pium Sacerdotem* JOANNEM GERSONIUM habuisses ædificii spiritalis institutorem. Et quæ gloriaris inauguratione mirabili Templi D. Paulo dicati, nunc quoque gaudes depositione (dicam & illustratione) chari tibi JOANNIS in conjuncta Apostolo Ædi S. Laurentii Martyris. Nimirum, ita disponente Deo, ut, sicut illa Pauli, suæ Divinitatis est Domus; ita hæc Laurentii foret sanctitatis suorum, per quam via esset ad illam: & utraque Domus hæc terrena, dilecta Davidi, Paulo, Laurentio, Joanni, Tabernacula æterna, concupienda nobis proponeret.

ERGO GERSONEM suscipite *Cancellarium*, Doctores; *Regium*

in

in causis fidei, legisque Christianæ Legatum, Oratores: habete *Curionem*, Parœci; *Magistrum*, *& Archipresbyterum*, Curiones. Sequimini hunc *Sacerdotem*, Ecclesiæ Ministri; suspicite *Decanum*, Canonici; attendite, Clerici, *Canonicum*. Omnes credite *Virum verè Christianum*; & , quem miramini *temporum suorum perditissimorum singulare sydus*, ex Vita ejus, dicite deinceps æterni Solis radium, & quasi stellam matutinam in medio nebularum.

Outinam tales habeat Ecclesia Clericos, Academia Doctores & Cancellarios, Gallia Legatos, & Oratores; *qui* pari *cum peritia utantur gravitate*, *mira*, scilicet, qualis illa JOANNIS, ex Vitæ ejus; *qui incrementum*, *& decorem utriusque status apprimè diligant*; *qui justitiam*, *& veritatem ament*, exemplo GERSONIS, in Epitome Collegii Navarrensis. *In quibus*, quod etiam de ipso dixit suprà memoratus du Saussay, *nescias plus raram sapientiam*, *ac indefessum in procuranda Ecclesiæ unitate studium*; *an Pietatis eximiæ decus*, *& vitæ purissimæ nitidam seriem debeas admirari.*

FINIO tandem, & dico vobis Lugdunensibus, dico Gallis, dico advenis, omnibus dico, majorem his omnibus JOANNEM, majori quoque dignum esse honore, cùm honorificet eum Deus, etiam nunc. Unde, & post superiora collata Patribus, hæc, aliáque plura beneficia præstantur vobis, ut religiosum avorum in nepotibus renovent, foveant, imò & augeant animum erga concessum nobis pariter, atque illis, CHARLIERUM GERSONEM. Cujus expetita spolia, etiam minima, non minore cura servari debent à possidentibus hodiernis, quàm fuerunt à piis parentibus recondita. Quem pietate, dum viveret, ac Miraculis post mortem olim celebrem habitum, scriptumque, nunc etiam, & in posterum sentietis beneficum; si, quod ille vivens monuit, impleveritis morituri: *Pœnitemini*, ajebat post Christum. *& credite Euangelio.* si credentes, & cum fiducia petentes amaveritis; si sobriè, & justè, & piè vixeritis exemplo GERSONIS.

IN quo laudandus iterum, & æternùm Deus, justus in viis suis omnibus, & sanctus in operibus; qui, cæterorum Reliquiis Sanctorum (quibus ferax erat Lugdunensis Ecclesia,) vel asportatis, vel deperditis, JOANNEM servavit hucusque GERSONEM, advenam Gallis, Gallum advenis; oppidanum Lugdunensibus, Clericis Canonicum & Sacerdotem, Parochum Curialibus, Academiæ Cancellarium, Oratorem Regibus, Ecclesiæ Legatum; uno verbo dicam, Cleri lumen, Galliæ columen, ubique *Pium*, deinceps *Beatum*, ac *Divum*, nunc quoque *Gloriosum*. Ideò, nempe, ut Gallorum, ut civium pariter, & advenarum, ut Curialium, ut Clericorum, ut Doctorum, ut Curialium, ut Clericorum; ut Doctorum, ut Regum & Principum, ut

omnium CORDA SVRSVM trahat, quæ direxit vivens; mentes, & corpora sanet, quorum curam egit priùs; rem augeat temporalem; spiritalem obtineat Urbi, Orbi, Regique Gallico, Ecclesiæ.

FINIS.

AD LECTOREM.

SCIO, *multiplex erit hujus Scripti mei judicium, benevole Lector: multiplex, inquam, & unum: nec abnuo: nam,* Sicut hi, qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parere, propter multorum grátiam libenter laborem sustinent: *ita & nos omnium judicium, atque sententiam.* Curavimus *tamen in hac rerum multitudine,* & conceſſa de ſingulis veritate ſuis Authoribus; ut legere volentibus eſſet animi oblectatio; ſtudioſis verò, ut faciliùs poſſint memoriæ commendare; cæteris omnibus utilitas conferatur. 2. *Machab. cap.* 2.

AD ZOILUM
GERSONIANUM,
ANAGRAMMA DUPLEX,
uno concluſum Epigrammate.

JOANNES CHARLIERUS DE GERSON.
ERRAS: EN SONUS CHARI GEDEONIS.
INHORRENS HÆRESEON GLADIUS.

ERRAS, *ô Amalech; Madian, tu ſomnia narras;*
Iam fuge: quid Sanctis impia caſtra moves?
EN SONUS, *& lampas* CHARI GEDEONIS,
INHORRENS
Vitâ, voce, actis, HÆRESEON GLADIUS.